8
C
E

P. OVIDII NASONIS IBIS

ELLIS

London

HENRY FROWDE

OXFORD UNIVERSITY PRESS WAREHOUSE

7 PATERNOSTER ROW

P. OVIDII NASONIS IBIS

EX NOVIS CODICIBVS EDIDIT

SCHOLIA VETERA COMMENTARIVM CVM PROLEGOMENIS

APPENDICE INDICE ADDIDIT

R. ELLIS

COLLEGII TRINITATIS APVD OXONIENSES SOCIVS

Oxonii

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

M DCCC LXXXI

PRAEFATIO.

IBIN Ouidianam diu neglectam ut rursus in lucem protraherem ederemque fors potissimum effecit. Nam publicato in Catullum commentario dum Bodleianas opes peruagor incidi in librum rariorem, *Repertorium Vocabulorum Exquisitorum*, quem anno 1273 confecit Conradus de Mure Turicensis, saeculo xv Bertoldus quidam Basileensis typis excudit. Hic liber disposita tenet ordine litterarum nomina quae in fabulis Graecis Romanisue mythica maximam partem leguntur. Accedunt ipsae fabulae et loci quibus narrantur, Vergilii Lucani Statii sed praecipue Ouidii, neque ex Metamorphosibus solum et Epistulis sed, quod rarissimum, ex Ibide. Haec ego dum perlego intellexi me in nouum quasi thensaurum iter penetrasse; est enim in toto opusculo rudis quaedam simplicitas quae quo longius a doctrinae abest adfectatione, hoc magis sincera et antiqua et uere Heluetica est. Vt tribus uerbis omnia conprehendam, uisus sum mihi in uetustum codicem incidisse operis quo nullum magis ad uetustos fontes reuocari debebat.

Sed non intra hos limites fortuna mea terminata est: nam postquam ex Merkelii editione anni 1837 uideram inter multos quibus usus est codices Ibidis unum tantum Vindobonensem 885 interpolationis inmunem ab eo iudicari, qui ne ipse quidem saec. xiii excederet, indagabam num quis alius extaret codex qui et ignotior et sincerior et antiquior esset. Nec me fefellit opinio: nam duos certe inueni qui saec. xii attingerent, Cantabrigiensem (G) Turonensem (T). Qui quamquam adiectis Conradi excerptis carmini restaurando prope sufficiebant, non hoc contentus Phillippicum 1796, Parisinum 7994, utrosque optimos, prioribus addidi, quibus tamquam ualido fundamento editio mea niteretur. Duos communis familiae Holkhamicum et Mutinensem, Vaticanum 1602, Parmensem, cum Vindobonensi et Francofurtano quos ambos Merkelius ediderat, aut totos aut ubi boni aliquid suppeditabant exhibui. Nec tamen nescio posse alicubi latere etiam antiquiorem.

Ibis ut ante exstinctam Romanorum potestatem interpretes habuit, sic ne medio quidem aeuo legentibus et adnotantibus carebat, ut testantur Scholia quae uariis modis inmutata ad nos descenderunt. Sed numquam saepius legebatur quam aetate qua Graecorum in Italia

reuiuiscebant litterae, circa 1440–1500. Italos certe hoc studio exarsisse saeculo xv non unus testis est. Velut Pius Bononiensis, discipulus Philippi Beroaldi, in Annot. Poster. cap. 12 explicationem Ib. 295 quam de Pausania uel Crateua duplicem protulit, a se ipso inuentam dicit, etsi ante eum Codrus publicauerit; cuius rei testem citat Lucam grammaticum Bononiae non incelebrem. Hic est Codrus Herberiensis, quem cum Laurentio Abstemio *multas eiusce nemoris feras domuisse, multa senticeta collucasse* tradit Constantius Fanensis Hecatostyos c. ix. Prodiit is* liber Fani anno MDVII, inter alia locos Metamorphoseon et Ibidis tractans. Insequente anno idem Constantius peculiare opusculum aliud edidit Fani, In Ibin Ouidii Sarritiones. Hic quos dicit Ibin ante se interpretatos hi sunt. Domitius Calderinus Veronensis integrum carmen addito Martiale edidit cum commentario Venetiis anno 1474. De Domitii commentario iudicium fecit Politianus Miscell. ix, edidisse quae bonae frugis essent ubi non fucum faceret et lectoris credulitatem ludificaretur: multa tamen in eo uana ridiculaque confinxisse ex tempore commodoque suo (lxxv). Qua in re Domitius quamquam excusationem habuit in uetustis scholiis quibus paria inlata fuerant mendacia, dedit exemplum quod secuti recentiores Ibin falsis fabulis non raro dehonestarunt. Quantum his dissimilis ipse Politianus! quantum Philippus Beroaldus fuit! Quorum hic in Annotationibus Centum duos locos ex Ibide 591 et 389 optime interpretatus est, ille grauissimum mendum quod 569 antiquitus insederat *agenor* doctissime ex Odyssia emendauit. Praeter hos et Pium citantur a Constantio Urceus Codrus ad *Amyntiaden* 295, *Eurydamas* 331, *dispar cultus* 346, *Filius et Cereris* 419, *et arbore natum* 503: Laurentius Abstemius (Lorenzo Bevilacqua) Maceratensis, ad *Nataque ut Aeacidae* 305, *dux Poenus* 389, *Inclusus cauea* 519, *Vt puer Harpagides* 545. Fuit hic Laurentius pater Nicolai Abstemii cui Sarritiones suas Constantius dedicauit, uir, eodem teste Constantio, *extra omnem ingenii ac doctrinae aleam* positus, edideratque *multis annis* ante quam Sarritiones in lucem prodirent *libellum prope aureum* in quo quattuor locos Ibidis exposuit.† Longe tamen melius ipse Constantius de Ouidio meritus est in opusculis quae supra memoraui, quorum exemplum (liber est rarior) praesto mihi fuit commodante I. Bywater.

Non fugit doctos circa Ibin praecipue uersari controuersiam de *L. Caecilii Minutiani Apuleii Grammatici fragmentis de Orthographia*

* Collectaneorum Hecatostys Prima Hadriano Cardinali dicata. Fani. Nonis Septembribus MDVII. Insequente anno editae sunt ab eodem Constantio Fani xii Calen. Quintiles MDVIII In Ibin Ouidii Sarritiones.

† Libri duo de quibusdam locis obscuris, Venetiis, sine significatione anni. Liber I editus est in Gruteri Lampade i. p. 878. Praefuit bibliothecae Guidi Vbaldi Vrbinatis ducis ibique Grammaticam docuit.

quae ex codice miscello bibliothecae Vallicellianae apud S. Philippum Romae, manu propria Achillis Statii exscripta, Angelus Maius, qui repperit, edidit anno 1823; mox a. 1826 repetiit Fridericus Osann additis *Apuleii Minoris de Nota Aspirationis et de diphthongis libri II.* Orthographiam istam a. 1829 primus Maduigius Opusc. i. 1–29 perspicuis fraudis notis inustam esse euicit: quem secutus Merkelius Prolus. ad Ibin pp. 383-388 a Ludouico Caelio Rhodigino confictam post annum 1508 ex Constantii Fanensis *Hecatostye* et *Sarritionibus* demonstrare conatus est. Qua de re, quamquam Maduigio assentior ficticia ea fragmenta uideri, praecipue propter scriptorum ignotorum multitudinem qui in iis laudantur, (quod fraudis indicium etiam in scholiis notabimus) nondum tamen mihi persuasit Merkelius ducta ea fuisse ex Constantio. Illud suspicor, ficta fuisse quo tempore Ibis in manibus adhuc esset eruditorum, sed postquam Graeci poetae et in eos ueterum scholia innotuissent ac lectitarentur. Quae si iam anno 1507 paucorum manibus teri coepta est, uti confirmat Constantius Hecat. iv, fragmenta ista ante finem saec. xv conflata crediderim. A quocumque orta sunt, lectorem produnt Ibidis. Nam non solum huius tres loci explicantur, § 4 de Delo quam *Apollinea humo* intelligi ratus est u. 330, § 16 de Pyrrhi Epirotae sparsis ossibus u. 304, § 44 de Chao ubi u. 84 citat, sed ad Ibin manifesto reuocantur § 21 de Antaeo fratre Busiridis u. 395, § 39 de Laodamia filia Pyrrhi in templo crudeliter trucidata ab Epirotis u. 305, fortasse etiam § 2 de Busiride, § 3 de Clotho Lachesi Atropo, § 6 de Allia, § 11 Eumenides, § 43 de Batto poeta qui in Ibidis scholiis saepenumero tamquam uersuum scriptor laudatus est: cf. Ib. 399, 243, 219, 225. Sed dicendum est breuiter de tribus illis locis qui a Caecilio isto Apuleio explicati sunt. § 4 *Rhoeo aspirat .r., filia Staphyli et Chryseidis, sororibus Molpadia maior, Parthenia minor; quae ab Apolline compressa grauidaque facta a patre in arca inclusa est, et in mare deiecta, in Delum appulit, filiumque genuit nomine Anium, qui clam ab Apolline alitus et diuinitate donatus est, Polycarpi Alcimi Maximique testimonio. C. Proculus in sua Lyde et Sextus Gracchus in libro amorum historiam elegantissime exornarunt . . . Ouidius aut. u. a. q. l. a. o. n. a. d. h. . . . Delum enim . . . Sed et M. Fontanus in nympharum et satyrorum amoribus, et C. Melissus in . . .*

Legit igitur Nudus Apollinea destituaris humo, de Delo interpretans, ubi Anium, quem hic *Lenaeum* facit, Rhoeo sustulit. Eandem interpretationem Const. Fanensis tamquam ex Codro Vrceo Herberiensi protulit Hecatost. vi. Neque ea tamen uera est, cum *Apollinea* in codices non ante exiens saec. xv peruenerit (ego in Mutinensis margine *Appollinea* scriptum ea fere aetate inueni), *Amastriacis*

ab oris nequaquam Anio conueniat. Pro nihilo igitur est in hoc loco Caecilii Apuleii testimonium.

§ 16. *Illius* (Pyrrhi, regis Epiri) *Cadmus sepulchrum post aliquot annos Epirotarum princeps in cineres uersum dissipauit atque dispersit, ut in antiquitatibus Lycophron, Musaeus, Crispus et Naso prodidere. Cn. Camerinus in Troiae excidio. . .*

Respexit Ib. 303, 4, quos uersus etiam B. G. Niebuhrius (Lectures on Ancient History iii p. 311) de Pyrrhi Magni diruto sepulchro interpretatus est. Paus. i. 9. 9 Λυσίμαχος δὲ καὶ ἐς πόλεμον πρὸς Πύῤῥον κατέστη τὸν Αἰακίδου. φυλάξας δὲ ἐξ Ἠπείρου ἀπιόντα, οἷα δὴ τὰ πολλὰ ἐκεῖνος ἐπλανᾶτο, τήν τε ἄλλην ἐλεηλάτησεν Ἤπειρον καὶ ἐπὶ τὰς θήκας ἦλθε τῶν βασιλέων. Τὰ δὲ ἐντεῦθεν ἐμοί ἐστιν οὐ πιστά, Ἱερώνυμος δὲ ἔγραψε Καρδίανος Λυσίμαχον τὰς θήκας τῶν νεκρῶν ἀνελόντα τὰ ὀστᾶ ἐκρῖψαι. Eandem interpr. Constant. Fanensis sed inter alias protulit Hecatost. iv. Sed ne hic quidem uidetur rectum consecutus Apuleius, si modo uere tradit Hyginus Fab. 123 Neoptolemi *ossa per fines Ambraciae sparsa fuisse.* Hunc enim Pyrrhum manifesto Ouidius eisdemque uerbis denotauit.

§ 44. *Aeternus ae. diph. est qui nec principium nec finem habet, ut deus: quamquam Orpheus, Linus et Hesiodus deos ex chao ab initio erupisse dixerint, quos et plerique ex nostris sequuntur ut ab antiquo chao ueteresque diuique nouique i. n. t. d. c. a.*

Respexit Ib. 84 ubi uitiose in codd. traditum est *chori.* Etiam Constant. Fanensis Sarrit. fol. 1[a] dicit in bonis exemplaribus non chori sed chao legi. Ego id non ante ed. Rubei 1474 inueni. Et hic quidem uerum est quod Apuleius tradit, etsi ex litteris conicio eum legisse *In nostrum* ducti (non cuncti) *tempus adeste chao.*

Non multum lucis Ibidi accessit ex commentariis Ascensii (1500) et Zarotti (1501). Nam Ascensius nonnisi Domitii commentarium supplere constituerat; etsi non desunt quae de obscuris locis noua protulerit, e. g. ad 122 ubi *Fortunae facies inuidiosa* non male interpretatus est, et 418 ubi eam explicationem secutus est quam in Anglica interpretatione carminis repetiuit Thomas Vnderdown (1569). Copiosior Zarottus, uix melior; nisi quod plerumque affert Scholiasten, nonnumquam aliter quam in meis codicibus traditus est.* Sed et in hoc sunt quaedam bonae frugis, e. g. ad 291 *parum mitis* 'uoluit enim prodesse et obfuit' et ad 419 *Filius et Cereris*, 545 *Vt puer Harpagides*, quibus ambobus locis uerum uidit primus ex editoribus, nam eadem melius post Zarottum Constantius monstrauit. Anno 1515 prodierunt Venetiis Ioannis Baptistae Egnatii in Heroidas Ouidii Sappho et Ibin obseruationes, quae quamquam breuiores sunt, laudem mererent uerae eruditionis nisi semper fere ab eodem Con-

* Hinc factum est ut Zarottum laudet Lobeckius Aglaoph. 601.

stantio occupatae essent. Primus tamen Egnatius u. 591 *Comicus ut liquidis* de Eupolide Atheniensi interpretans locum Platonii περὶ διαφορᾶς κωμωδιῶν (Aristoph. Schol. p. i. 25 ed. Dübner) Ἴσμεν γοῦν τὸν Εὔπολιν ἐπὶ τῷ διδάξαι τοὺς Βάπτας ἀποπνιγέντα εἰς τὴν θάλασσαν ὑπ' ἐκείνου εἰς ὃν καθῆκε τοὺς Βάπτας adtulit, sed tamquam ex Aristophanis scholiis: idemque recte *Idmonaque audacem* (504) de uate fatum quod sibi praeuiderat non uitante explicauit.

Hic dicendum est de duobus uiris Iano Parrhasio, Francisco Alciato, qui alter praeceptor, alter discipulus, sed diuerso fato usi, ingenii uires in explicanda Ibide exercuerunt. Quorum Parrhasius (1470–1534) decem ex obscurissimis locis, a Domitio male intellectos, nam huius solius commentarium nouerat, doctissime tractauit in Epistulis* quas anno 1567 diu post ipsius mortem Henricus Stephanus edidit et Ludouico Casteluetro dedicauit. Hic, ut nihil dicam de uersibus quos Constantius eodem modo explicabat 520 *Non profecturae conditor historiae*, 573 *Vtque patrem Psamathes*, 615 *Obstructoque famem*, 305 *Nataque ut Aeacidae*, noua ac plerumque uera disputauit de his locis *Phaylleae* 502, *Vnum qui toto* 344 quem de Aiace interpretatus est, 319 *Aut ut Atarnites* quem de Pactye, 499 *Inuida se scopulis* quem de Aglauro, 517 *Quodque ferunt Brotean.* Nam Parrhasius, iudice H. Stephano, prae ceteris fere omnibus qui poetas commentariis inlustrarunt, et uaria doctrina et iudicio et ingenio et memoria ualuit, limaque exactiore usus est. Sed iniqua sorte iactatus in summa penuria decessit, et eodem teste Stephano tamquam unus e grammatistarum grege habitus est donec tribus et triginta post annis editae epistulae inter peritissimos Romanae poeseos explicatores hunc esse peruicerunt. Parrhasii auditor Alciatus quanti Ibin habuerit docet liber Emblematum qui pro Embl. 87 Ibin habet, docent quae in Parergis Iuris sparsa enotauit de carmine: e. g. vi. 21 duas proposuit explicationes u. 471 *ut cui matertera Maia*, ix. 23 *Achaei* in 299 de Histiaeo Milesio, *Syracosio poetae* 549 de Theocriteo illo qui se suspendit propter amorem pueri, x. 4 *Sparsa per Ambracias* de Neoptolemo ex Hyg. 123 interpretatus est.

Anno 1550 Micyllus in tertio editionis Ouidii uolumine Ibin publicauit cum commentario. Hic multos priorum errores sustulit, multa noua addidit. Qui quamquam post Saluagnii editionem rarius laudatur, non pauca occupauit quae huic plerumque adsignantur. Sic primus ex ed. Veneta reuocauit *inermis opem* 256, quamuis id tardius in editiones peruenerit, atque etiam in ed. Dan. Heinsii anni 1629 monstrum illud *inerme potens* compareat. Idem Micyllus *cognato nomine* 301 de Aeacidis interpretatus est; 397 Thrasii nomen reuocauit, pro

* Iani Parrhasii Liber de rebus per epistolam quaesitis.

quo Domitius Ascensius Zarottus Trasillum uel Prasillum ediderant; 512 recte de Simonide intellexit, quod ante eum fefellerat omnes.

Vnum Leopardus Belga quod certi, unum quod uero simile esset adtulit in Emendationibus editis post mortem a. 1568, illud tamen tam egregie ut cetera eum mireris latuisse. Nam u. 539 mutato *Myrrae* in *Cyrae* lucem loco offudit ubi ante eum omnia in obscuro erant. Magis incerta sunt quae de Biothea proposuit u. 517, sed ut aliorum coniecturis de obscurissimo uersu facile excellant. Reliquis in locis quos in Emendationibus tractauit uera iam pridem innotuerant: laudem tamen etiam in his meritus est, qui historias fusius enarrando et ex multis scriptoribus, praesertim Graecis, uetera illa et explosa, necdum abolita, penitus amouerit. Nam Leopardus ea etiam aetate quae Victorium Turnebum Muretum tulerit dignus qui primis adnumeraretur; unde nihil fere scripsit quod non hodie quoque bonae frugis sit iudicandum. Quae igitur ante Leopardum iam Micyllus uiderat, multo largius doctiusque apud Leopardum inuenies; quae Leopardus adtulit, in Saluagnii commentario pleraque comparent.

Nihil Victorius, aliqua Turnebus ac Schottus, unum alterumque Iosephus Scaliger,* ad has soluendas ambages contulit: non multa Sanctius, qui nimium sibi defuit in Commentario quem in Ibin edidit Salmanticae 1598, etsi primus uidetur *Astacidaeque* in 515 restituisse. Neque Hercules Ciofanus Sulmonensis, uir de conterraneo Ouidio optime meritus, praecipue in Metamorphosibus, in Ibide multum studii posuit, quamquam codicis Maffeiani lectiones, easque mediocres, operae habuit adferre, opusculumque suum Mureto iuniori dedicauit a. 1580. Editionem I. Mercerii cum comment. Paris. 1568 non uidi.

Insignior his opera fuit Valerii Andreae Desselii, Louaniensis, cuius in Ibin notationes additis Sanctianis Antuerpiae prodierunt anno 1618 cum electis Metamorphoseon Iacobi Pontani. Hic commentarius 76 paginas continens, scriptas duabus singulas columnis, praeter Saluagnianum longe optimus a me habetur. Fuit Desselius iurisconsultus, discipulus idem Andreae Schotti, praeceptore suo non indignus, si eruditionem spectes; nam cetera non erant ex aequo. Sed Pontano degrauatus, cuius liber est 655 paginarum, in profundum abiit, atque hodie paene ignotus est. Ne nobis quidem facultas fuit opus eius inspiciendi nisi post inpressum Commentarium et Excursus, idque beneuolentia Henrici Bradshaw, qui ex Bibliotheca Cantabrigiensi ingens uolumen et diu neglectum protraxit. Sunt tamen non pauca ab hoc primo inuenta quae Saluagnio plerumque tribuuntur, praecipue sumpta ex Graecis Lycophrone Apollonio Athenaeo Calli-

* Sic restituit *Leoprepidae* u. 512.

macho Philostrato Heraclide Pontico; ususque est scholiis uberrime Tzetzae et Apollonii, sed et Iustini Epitoma Trogi Pompeii, quibus nihil ad historias hasce indagandas utilius est. Noua adtulit haec: u. 305 de Olympiade, matre Alexandri Magni, a Cassandri percussoribus confossa interpretatus est, in quod ego quoque, nondum lecta Desselii adnotatione, incideram: u. 417 *binominis* sic explicat tamquam alterum nomen Irus propter paupertatem acceperit, allato loco ex Aphthonii Progymnasmatis iv. *Σκόπει τὸν Ἶρον, ὃς Ἰθάκης μὲν εἷς ἐγένετο, τὴν αὐτὴν δὲ τοῖς ἄλλοις πολίταις οὐ μετελάμβανεν ἄδειαν, ἀλλὰ τοσοῦτον αὐτῷ τῆς ἐνδείας προσῆν ὡς μεταθεῖναι τῇ πενίᾳ τὴν κλῆσιν. Ἀρναῖος γὰρ τὴν ἀρχὴν προκληθεὶς Ἶρος μετωνομάζετο, τὴν μετωνυμίαν ἐκ τοῦ διακονεῖν κομισάμενος*: u. 467 locum Philostrati de mendico sene lapidibus obruto primus uidetur citauisse: u. 473 *Sanguine natus eodem* explicauit de Lycaone, Pelasgi filio, Iouis nepote, sic ut Salmoneus, Aeoli filius, Iouis nepos fuit: u. 549 *Syracosio poetae* ad Empedoclem retulit. Sed haec rariora; fuit enim plumbeus ingenio, nec qui per doctrinam suam in noua plerumque duceretur, quippe quem, Iustino cum incubuerit, historia illa de Siritanis tamen latuerit, conperta serius a Saluagnio.

Sed ne mei quoque laude sua careant, non est praetereundus Thomas Vnderdown,* qui totum carmen Anglice uersibus reddidit ediditque cum adnotationibus a. 1569. Qui si cum aliis comparetur qui Ouidii scripta in nostrum sermonem transtulerunt, inter quos fuit poeta summus Christophorus Marlowe,† cuius extant Ouidii Amores Anglicis uersibus sed inprospere expressi, prope unicam gloriam consecutus est. Libellus est rarior, dignissimus tamen qui perlegatur; adeo in toto opere perlucet rudis et uernacula simplicitas, adeo acri et ardenti et paene dixerim Anglico odio fertur. Lectitabantque Ibin Angli eo tempore discebantque, si quidem poematio quo in Mariam Scotorum reginam inuectus est scriptor ignotus in Froudii Hist. Angl. c. 48 et ipsum carmen nominatim citauit et multa ex eo imitatus est.‡ Etiam in Peruuinis Indis inuentus est qui Ouidianas iras exprimeret, Diego Mexia Limensis, a quo Ibis Hispanice uersa prodiit Hispali 1608.

§ Tandem in Delphinati Galliae agro exortus est uir singulari

* Ouid his invective against Ibis. Translated into English Meeter, whereunto is added by the Translator, a short draught of all the stories and tales contayned therein, very pleasant to be read.

† Legerat hic Ibin ut docent uersus eius Tamburlaine iv. 3 *A sacred vow to Heaven and him I make Confirming it with Ibis' holy name.*

‡ *Now all the woes that Ovid in Ibin Into his pretty little book did write,* etc. Hoc mihi indicauit amicus Balliolensis, W. H. Forbes.

§ De uita Saluagnii omnia collegit Alfredus de Terrebasse in libello edito Lugduni 1850. Relation des principaux évènements de la vie de Salvaing de Boissieu, Premier Président en la Chambre des Comptes de Dauphiné.

praeditus ingenio Dionysius Saluagnius Boessius (Denis de Boissieu de Salvaing) qui quaecumque de hoc carmine edita fuerant exigeret, uera falsis discerneret, omnia largae eruditionis luce inlustraret. Educatus fuerat non longe a domo sua Viennae in collegio Iesuitarum, mox in Vniuersitate Parisiorum, ubi Dionysium Petauium, Nicolaum Caussinum, Isaacum Habertum, Fredericum Morellum, Iacobum Sirmondum audierat. Iuri ciuili Valentiae incubuit anno 1621, iam confectis commentationibus in Ibin si credimus ipsi ad u. 637: 'quas admodum iuuenis auspicatus sum Viennae Allobrogum, promoui Lutetiae Parisiorum, absolui tandem in Voreano (*Vourey*) meo annum agens aetatis uicesimum.' Sed nescio qua causa inpeditus, fortasse amoribus quibus se nimium deditum fuisse confitetur in Elegia de Vita sua, et in libello quem de suis actis propria manu scriptum Gallice reliquit, Ibin non ante annum 1633 publicauit Lugduni. Eiusdem anni mense Iulio Romae, quo eum Ludouicus XIII oratorem cum Carolo Crequio Lesdigueriarum duce miserat, orationem habuit in aula regia Vaticana ad Vrbanum VIII (Maffeo Barberini) P. M. Hic et tum Saluagnium in summo honore habuit et per menses quattuor quibus Romae commorabatur saepius cum eo conlocutus est, plerumque de litteris et poesi, in qua ipse Pontifex non mediocrem gloriam consecutus erat. Sed et Luca Holstenio et Leone Allatio usus est familiariter adeo ut ab illo codices MSS. mutuatus sit, et cum Saluagnius Holstenio confirmasset extare editam Satyri Συναγωγὴν θαυμασίων ἀκουσμάτων, ille, qui eam numquam uidisset, emendationes in Ibin se conlaturum spoponderit,* si Saluagnius de Satyro fidem praestitisset. Reuersus in patriam praeses factus est Curiae Rationum Fisci apud Delphinates et in Voreano consenuit ibique mortuus est anno 1683, qui fuit uicesimus alter post Ibin iterum editam cum uetere Scholiasta a. 1661.

Gloriatus est ipse de se Saluagnius in elegia *Eduxi tenebris Ibin, salebrisque remotis Qua plano docui tramite lector eat.* Neque id inmerito fecit: nam cum hoc conlata etiam optima quae ante 1600 prodierunt, uelut Micylli, sordebunt: adeo cum ueris falsa, cum solidis inania et uana coniungunt. Primus et sensit et docuit nusquam latius falsum serpsisse; res si uera sed obscura suberat, pro ea aut prorsus fictam supponi, aut, quod propter Domitii exemplum multo fuerat crebrius, ueris falsa adfingi solere, idque etiam a doctissimis Merula Alciato Sanctio (pp. 198, 140, 255): nihil esse prius ab interprete exigendum, quam ut ficticia remoueret, sic ad ulteriora et rectiora progrederetur. Numquam igitur Saluagnio doctrinae adfectatio inposuit; sed qui omnia aut certe pleraque ueterum scripta nosset, ad

* De Terrebasse p. 125.

fontes quemque reuocando, coegit mendacia fateri. Eruditionem a patre susceperat; hic enim et commentarium in Lycophronis Alexandram scripserat (p. 305) et, quod testatur filius in * elogio, multarum linguarum peritissimus fuit (p. 212). Ipse quot legerit, ex toto Commentario intelliges; nec sane clarius ex ulla re apparebit quam uere difficile carmen sit. Nam restant non pauca quae etiam post Saluagnii secundas curas sint in obscuro: ut his in locis ipse de se professus est, uerum non repperisse. In uerborum interpretatione multum reliquit aliis; nonnumquam etiam errauit, ut p. 323 *doctissimus* tamquam de philosophorum genere, non de uno Socrate, p. 347 *Stygius liquor* tamquam de Arcadicae Stygis uiro, non de mortis strangulatione dictum esset. Neque melius ei res cessit, sicubi coniectura aliquid reponendum erat; nam neque *gramen habentibus aruis* p. 215, nec *Sic tuus ardescat stipitis igne rogo* p. 357, nec *Stygio seni* p. 374 multis persuaserit. Sed tamen ex Commentariis qui eius aeui sint nullum equidem noui qui Saluagniano par sit: nam etiam Casaubono Scaligero Lambino uiris omni laude maioribus, non raro contigit dubia atque adeo praua ponere: huic tam constans diligentia in opere suscepto fuit ut doctrinae Gallicae etiam nunc singulare extet monumentum.

Vsus est Saluagnius codice Bibliothecae San-Victorianae, quas membranas cariosas (p. 197) sed optimae notae (p. 144) uocat: qui cum hodie lateat, operae est hic proferre quae ex eo citauit, *Iazyges* (p. 74), om. uu. 291, 2 (p. 144), u. 316 *subsidens* (p. 158), u. 378 *spinga* (p. 197), u. 447 *aterque Medusae* (p. 241), u. 473 *ut nati sanguine eodem* (p. 264), u. 545 *Harpalyces* (p. 313), u. 621 *Aethalon—Isidius* (p. 370). Denique Veterem Interpretem ope duorum codicum manu scriptorum locupletiorem et emendatiorem edidit tamquam appendicem commentarii, quem iam iterum publicabat.

Saluagnium qui norat Nicolaus Heinsius cumque eo nonnulla de Ibide communicarat, (pp. 130, 189) ipse textum carminis recensuit in editione Ouidii operum quae inde ab anno † 1552 saepenumero repetita prodiit. Qui siue quod 'codices qui uetustatem et manum castigatam prae se ferrent, uix inuenirentur' Ibidis siue quod ea prae ceteris Ouidii scriptis sorderet, perpauca feliciter correxit, nisi quod 391 *Sex bis*, 602 *Orpheos*, 502 *Phalaeceae* reduxit. Cetera aut dubia uelut 189 *reorum* pro *uirorum*, 434 *Tereidesque*, 508 *Phryx tu uenator*, aut manifeste falsa, 225 *palustribus uluis*, 366 *Pisaeae foris*, 418 *quae tibi peior reit*, 599 *Meliti* pro *Anyti*.

Saluagnii commentarium totum in suam editionem transtulit P.

* Extat in Saluagnii Miscellis Fasc. ii. p. 207 et ap. De Terrebasse p. 127.

† De Heinsii editionibus disseruit Merkelius in praefat. Tristium pp. vi–x.

Burmannus, propria nonnulla adiecit, neque ea grandis pretii, saltem ubi de nouo res exploranda fuit. Itaque quaecumque fabula Saluagnium fefellerat, fefellit etiam Burmannum. Ne Merkelius quidem, qui anno 1837 Ibidis textum ex codicibus plus uiginti edidit, quorum Vindobonensem Mauricius Hauptius, Askeuianum ipse contulerat, interpretis munere, sed critici tantummodo plerumque functus est, etsi propter doctrinam quae in eo singularis est, iudicia si qua de Ibidis fabulis fecit, siue in apparatu codicum siue in Prolusione quam carmini praemisit, semper, ut decebat, exegi scrupulosissime. Scholia tamen uetera, Saluagnianis integriora, ex Askeuiano codice protulit in lucem, unde in hac editione rursus publicaui, conlata cum altero codice qui in Collegio Corporis Christi apud nos extat, turpissime ille quidem foedatus, sed ut pristinam speciem scholiorum fidelius interdum repraesentet Askeuiano. Non omittendus denique est A. Riesius qui editioni Tauchnitianae nonnullas lectiones ex Francofurtano codice praemisit.

Si quis autem leuitatis me arguerit quod opusculum diu neglectum rursus susceperim, discat non sic de Ibide iudicasse duos uiros quibus haud scio an nulli uel ingenio uel doctrina praestantiores extiterint. Sic enim Bentleius in dissertatione de Phal. Epist. i. p. 240 ed. Dyce. 'But he asks me, *where do I find that Phalaris was burnt in his bull?* (p. 133) I find it in Ovid's Ibis:

Vtque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,
More bouis, Paphio clausus in aere gemas; [439].

and in the old scholiast upon the place; *Phalaris ipsemet resecta lingua in taurum aeneum coniectus est.—But do you take up,* says Mr. B., *with the trifling author of the verses upon Ibis?* A little while ago, *Ovid was one of the greatest wits of the ancients, and as much above Manilius as Nireus was handsomer than Thersites* (p. 28). But now the wind is changed again, and he's a trifling author . . . . But why, I pray, so severe upon Ovid? why must he have no credit in a matter of history? Will Mr. B. stigmatise him for a *lie-maker by profession* (p. 164), such as he obligingly declares all *poets are akin to?* Of all the various histories that are touched on in Ovid's *Ibis*, there's not one in forty but what we have at this day other good vouchers for besides the poet himself. And, without question, he had authors for the rest, though they are not now extant;' additque ex Cicerone locum (Off. ii. 7) quo distichi Ibidis de Phalaridis tauro ueritatem confirmet. Non minor laudator B. G. Niebuhrius Ibin et lectitabat et celebrabat. Itaque et duos locos interpretatus est, 303–4 de monumento Pyrrhi M. diruto ab Epirotis,* quo tempore Deidamiam quoque interficerent (305–6), et

* Eadem fuerat sententia Casauboni ad Sueton. Tib. 54 *Amborum sic reliquiis dispersis, ut uix quandoque colligi possent.* 'Fuit saeuissimorum hominum mos, reliquias eorum

ipsum poema plus semel legentibus commendauit siue ob ingenium quo proferuntur aenigmata, siue quod obscuritate sua quasi palaestram quandam interpretationi exhibeat. Lectures on Ethnography ii. p. 271 'I have here mentioned the Ibis, on account of this historical fact, which is not the only one in that poem. I recommend its study to any scholar who wishes to ascertain whether he is thoroughly conversant with poetical mythology and ancient history. One of the most difficult problems in it is to explain the allusions; there is not much poetry in it, but a great deal of wit.' Lectures on Ancient History iii. p. 311 'To this time we must assign the destruction of the sepulchral monument of the great Pyrrhus, to which allusion is made in a distich of the Ibis, this obscure Callimachean poem of Ouid. Let anyone imagining that he understands mythology try his hand at this poem; I do not believe that there is any man who comprehends the whole of it.'

Superest ut de me pauca dicam, qua in re si molestus fuero, ignoscent qui philologis, ut poetis, obtrectatores suos non deesse animum aduerterunt. Possum igitur de me uere profiteri, in nulla parte suscepti operis noua non adtulisse. Nam et codicibus sum melioribus quam ante me usus quisquam est, et Scholia nulli prius aut uisa aut saltem perlecta adhibui, et ad interpretationem siue rerum siue uerborum non pauca de meo contuli, praecipue ex Lycophrone et Tzetzae in eum Scholiis, quo nullum locupletius credo subsidium extare uolentibus obscuriora persequi. Ex Lycophrone igitur *Phoenodamanteos leones* u. 383 reposui, ex Apollonio Rhodio *Aphidantum* u. 327, ex Hygino et Parthenio *Teleique* u. 434, ex Homero *Panthoides* u. 447, ex Etymologico Magno *Dexionesque* u. 470, quod in Praefatione Lycophronis Kinkelius coniecerat p. iv, ex Callimacho *in Isidis* u. 621. De locis quos Saluagnius interpretari alium posse ratus est neminem 287, 310, 621–624 diuinare saltem aliquid, si non decernere, licuit. Sed de me ne plura dixerim, non inutilem me operam existimabo profudisse, si ad haec studia alios suscitauero. Nam si in Nuce laudatur Wilamowitzius, in Epicedio Huebnerus, in Halieuticis Birtius, in Epistula Sapphus Comparettus, possum mihi uel maiorem laudem adrogare qui ad Ibin, opus non leue et in quo maxima ingenia elaborarint, philologos iterum reuocauerim. Quo ut adspirare non uereor, sic uerebor ne legentibus mea ipse inferior spe euadam.

Agendae denique grates sunt eis qui in hoc opere me adiuuerunt. Inprimis sorori meae maiori, quae uerborum Indicem locupletissimum

post obitum spargere, quos uiuos uehementer odissent. Sic magni illius Pyrrhi disiectae reliquiae, ut et historici testantur et Ouidius in Ibin.' Vide Desselium ad 304.

confecit; tum Iosepho Haupt, Bibliothecae Vindobonensis praefecto, a quo codicis 885 lectiones accepi, E. Benoist, C. Dorange, Alex. Riese, Nicolao d' Anziani, qui nonnulla de codicibus Parisino 7994, Turonensi 879, Francofurtano, Florentinis a me rogati responderunt; Iordano, custodi bibliothecae Seminarii Patauini, qui codicem 36, Scholia saec. xvi continentem, inspiciendum mihi Pataui praebuit; Cardinali Pitra, Ioanni Bollig, custodibus Bibl. Vaticanae quorum ille codicum Ibidis Vaticanorum perscriptam seriem ad me misit, uterque summa humanitate studia mea Romae fouit: Hartuello D. Grissell, cubiculario P. M. Leonis XIII, per quem Vaticana mihi extra ordinem patuit; Gul. C. Sidgwick, qui nonnulla de Vaticano* 1602 ad me rescripsit; F. Madan, Adolpho Neubauer, ex praepositis Bodleianae; Alex. Napier qui Holkhamicum, Carolo Plummer qui Scholiorum codicem C. C. C. in usus meos adcommodarunt; E. M. Thompson, a quo de editionibus Musei Britannici certior factus sum; Henrico Bradshaw, praeposito Bibl. Publicae Cantabrigiensium, a quo Desselii editionem inspiciendam accepi; Roberto Sinker, H. A. I. Munro quorum alter codicem Galeanum transmisit, alter intercessit ut transmitteretur.

Scribebam Oxonii mense Decembri 1881.

* Huius et Vaticanorum 1595, 3140, 2787 (numeri sunt conlatoris) tum et Menteliani conlatio extat in ed. Elzeuiriana 1629 quae in Bodleiana adseruatur.

INDEX.

PROLEGOMENA.

I.

Ovidius postquam anno Vrbis 761 uel 762 (uidetur enim uix satis explorata res esse) in exilium ire iussus erat, recens dolore calamitatis qua praeter mortem nihil miserabilius pati potuit, carmen *Ibin* in eum scripsit quem ex amicis inimicum, ex fidis infidelem sibi cognouerat. Hic quis fuerit, incertum est; Coruinum Caelius Rhodiginus (Antiq. Lect. xiii. 1 tamquam ex Caecilii Minutiani Apuleii fragmentis), C. Iulium Hyginum Saluagnius, M. Manilium poëtam Astronomicon Merkelius ad Ib. pp. 400–406 coniecerunt. Et Coruinus quidem si est Messala Coruinus de quo Ouidius haec dicit Pont. I. vii. 27–30 *Nec tuus est genitor nos infitiatus amicos, Hortator studii causaque faxque mei. Cui nos et lacrimas, supremum in funere munus, Et dedimus medio scripta canenda foro* (alium autem uix reperias) non potest is esse in quem Ibin poëta composuit: hunc enim ut amicum Ouidius elogio commemorauit. Nec argumentis suis euicit Merkelius Manilium eum fuisse; nam nihil est in Ibide quod poëtam significet, neque poëtae conueniunt illa 14 *Iactat et in toto nomina nostra foro*, 232 *Latrat et in toto uerba canina foro;* neque ignotum poëtam *publica damna* uocaturus erat, sed potius notum aliquem populo siue delatorem siue oratorem; neque de origine Manilii quidquam traditum est: *Poenus* autem quod in recentissimo codice Vossiano nomini adhaesit non plus habet auctoritatis quam Nauta quod Propertio, Coquus quod Martiali coniunctum inuenitur. Hyginus ut sit Ibis multa sunt quae in testimonium uocentur. De quo hoc tradit Suetonius Gramm. 20 *C. Iulius Hyginus Augusti libertus natione Hispanus—nonnulli Alexandrinum putant et a Caesare puerum Romam adductum Alexandria capta—studiose et audiit et imitatus est Cornelium Alexandrum grammaticum Graecum, quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi, quidam historiam uocabant. praefuit Palatinae bibliothecae, nec eo secius plurimos docuit; fuitque familiarissimus Ouidio poetae et Clodio Licino consulari historico, qui eum admodum pauperem decessisse tradit et liberalitate sua quoad uixerit sustentatum.* In his sunt quae in Ibin quadrare uideantur, (1) quod Alexandrinus habitus est a nonnullis. Nam Ibis in *Cinyphia humo* natus est (Ib. 222), quod pro Africa per synecdochen positum putat Saluagnius unde *popularis* ei *leaena* dicatur (501); (2) quod Hyginus, ut erat Alexandri Polyhistoris imitator, historias siue fabulas mythologicas conscripsit, quae

etiamnunc superesse creduntur; unde Ouidius qui in Ibide plurimas huiusmodi *historias* (57) conquisiuit inimicum 'fabulis suis, quasi propriis armis,' iugulaturus merito fuit. (3) quod *familiarissimus fuit Ouidio poetae:* Ibis autem tamquam *male fidus* (85) et *perfidus* (130) arguitur, diciturque *gratiam* cum Ouidio *commissis suis rupisse* (40), unde etiam nulla ad Hyginum *nominatim* scripta extet epistula nec in Tristibus nec in libris de Ponto. (4) quod *admodum pauper decessit* Hyginus, quod de inimico suo Ouidius innuit 419, 420 *Filius et Cereris frustra tibi semper ametur Destituatque tuas usque petitus opes*, et (quod addit Merkelius) 580 *Perdat ob exiguas te tuus hospes opes*. Quibus etiam illud adiciendum erat, quod in Hygini Fabulis unus certe locus est quem ex Ibide sumpserit cxxiii *cuius* (*Neoptolemi*) *ossa per fines Ambraciae sparsa sunt*, cf. Ib. 304 *Sparsa per Ambracias quae iacuere uias* (Schmidt. Hyg. p. xxxi); nisi cui forte et hoc et alia uelut historiam de Thaso (ccxlvii) Ouidius potius ab Hygino mutuatus uideri potest. Sed sanius de re difficili credo iudicatum iri si quae de Ibide significauit Ouidius omnia quasi uno conspectu oculis subiecero. Quae igitur dixit in carmine sunt haec.

1. In Africa natus est, matre ignobili, et ut uidetur Afra. 221, 2 *Qui simul inpurae matris prolapsus ab aluo Cinyphiam foedo corpore pressit humum.* Habuit propinquos, fortasse uxorem et liberos, 56 *Hoc ego deuoueo teque* tuosque *modo.*

2. Vsus erat amicitia Ouidii, eumque postquam exul factus est prodiderat ac iacentem (29) calcauerat; 85 *Carmina dum capiti male fido dira canuntur Et peragunt partes ira dolorque suas.* Cf. 40 *Gratia commissis, improbe, rupta tuis*, 130 *perfide.* Et hoc est quod tam saeue indignetur poëta: uix enim nisi in amicum perfidum scripturus erat inexorabilia ista 107–140 *Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas— Saeua sed in manis manibus arma dabo.* Idem innuunt 19, 20 *Et qui debuerat subitas extinguere flammas, Hic praedam medio raptor ab igne petit*, h. e. qui subitam ruinam debuerat propter familiaritatem auertere, lucri occasionem ex ea quaerit, tamquam inimicissimus.

3. Exulis Ouidii infamiam iam refrigescentem suscitarat ex integro habitis sermonibus in foro et apud populum, 11–14 *Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus Non sinit exilio delituisse meo. Vulneraque inmitis requiem quaerentia uexat, Iactat et in toto nomina nostra foro;* eidem relliquias fortunae adimere ne senex haberet quò sustentaretur, neu coniux exilium tantum uiri, sed sua etiam mala ploraret, conatus est, 15 *Perpetuoque mihi sociatam foedere lecti Non patitur miseri funera flere uiri*, 21 *Nititur ut profugae desint alimenta senectae.*

4. Haec omnia fecerat adeo crudeliter ac uiolente 29 *At tibi calcasti qui me, uiolente, iacentem*, ut ipsam uitam poetae petiisse uideretur, 131 *hanc animam nimium tibi saepe petitam.*

5. Linguae acerbae fuit et rabiosae, unde caninum dentem poeta imputat tamquam mordacissimo. 229–232 *Gutturaque inbuerant infantia lacte canino; Hic primus pueri uenit in ora cibus. Perbibit inde suae rabiem nutricis alumnus, Latrat et in toto uerba canina foro.*

6. Videtur notus fuisse Romae: uix enim credibile est ignotum hominem *publica damna* uocari (224) nec ignoti natalem diem *Alliensi*

aequiperari (223). Non enim ea in Ouidio sui iactatio fuit ut exilium suum cum excidio Vrbis compararet, nisi auctorem fugae siue factis siue moribus publice inuisum iudicasset; uelut ap. Val. Max. ix. 11. 4 Seianus Alliensem diem uicisse dicitur; et in Cenotaphio Pisano pro Alliensi memoriae proditur lugubris is dies quo die C. Caesar Augusti nepos obiit.

Et haec quidem in ipso carmine Ibidis leguntur. Sed et in Tristibus et in Epistulis ex Ponto sunt quae ad eundem inimicum scriptae uideantur. Ex his proxime ad Ibin accedit Trist. iii. 11. Conferantur 19, 20 *Et tamen est aliquis qui uulnera cruda retractet, Soluat et in mores ora diserta meos* cum Ib. 13, 14; tum 31 *Quid simulacra,* ferox, dictis incessis amaris? cum Ib. 29; 37, 8 *Carnifici mea flenda potest fortuna uideri Te tamen est uno iudice mersa parum* cum Ib. 7, 8 *Vnus (et hoc ipsum est iniuria magna) perennem Candoris titulum non sinit esse mei;* 56 *Ad te, quisquis is es, nostra querella redit* cum Ib. 9 *Quisquis is est, nam nomen adhuc utcumque tacebo;* 59, 60 *Tot mala sum fugiens tellure, tot aequore passus, Te quoque ut auditis posse dolere putem* cum Ib. 205, 6 *Tot tibi uae misero uenient talesque ruinae Vt cogi in lacrimas me quoque posse putem;* 63 *Ergo quicunque es, rescindere carmina noli, Deque graui duras uulnere tolle manus. Vtque meae famam tenuent obliuia culpae, Facta cicatricem ducere nostra sine* cum Ib. 13. In eundem scripta est, ut uidetur, Trist. iv. 9 *Si licet et pateris, nomen facinusque tacebo,* in qua eadem fere minitatur Ouidius quae in Ibide; cf. 8 *Induet infelix arma coacta dolor* cum Ib. 10 *Cogit inassuetas sumere tela manus;* 21–32 *Ibit ad occasum, quidquid dicemus, ab ortu. Testis et Hesperiae uocis Eous erit. Trans ego tellurem, trans altas audiar undas, Et gemitus uox est magna futura mei. Nec tua te sontem tantummodo saecula norint. Perpetuae crimen posteritatis eris. Iam feror in pugnas, et nondum cornua sumpsi; Nec mihi sumendi causa sit ulla uelim. Circus adhuc cessat, spargit tamen acer harenam Taurus et infesto iam pede pulsat humum. Hoc quoque quam uolui plus est. Cane, Musa, receptus, Dum licet huic nomen dissimulare suum,* cum Ib. 45–54. Denique Trist. v. 8 in Ibin composita est *Non adeo cecidi, quamuis abiectus, ut infra Te quoque sim, inferius quo nihil esse potest;* cf. 10 *Inposito* calcas *quod mea fata pede* cum Ib. 29; 37 *Vtque ego te uideam causa grauiore fugatum* cum Ib. 22, 113. Etiam inter Epistulas ex Ponto una est quae cum modo memoratis Tristium et cum Ibide mire consentiat iv. 3 *Conquerar an sileam? ponam sine crimine nomen, An notum qui sis omnibus esse uelim? Nomine non utar, ne commendere querella, Quaeraturque tibi carmine fama meo.* Cf. 27 *Vix equidem credo, sed et insultare iacenti Te mihi nec uerbis parcere fama refert* cum Ib. 29. Qua quidem in epistula nescio an non in uocabulo *ibis* luserit inimicum respiciens in quem Ibin scripsit. 51–4 '*Litus ad Euxinum*' *si quis mihi diceret* '*ibis Et metues arcu ne feriare Getae*' '*I bibe*' *dixissem* '*purgantes pectora sucos, Quidquid et in tota nascitur Anticyra**.'

* Has epistulas ex Tristibus et Epp. de Ponto ad Ibin scriptas fuisse uideo etiam Graeberum iudicare Quaest. Ouid. p. x, in qua de amicis poëtae quos in exilio nominat optime disseruit. (Elberfeld 1881.)

His omnibus perpensis nego Ibin Hyginum fuisse. Nam (1) Hispanus fuit, non Aegyptius; Alexandriae autem natus ideo dici potuit quod Alexandrum Polyhistorem audierat, tralato ad patriam nomine praeceptoris (Bunte Hyg. p. 2). (2) Ouidium aetate ita antecessit, ut quo tempore is exul factus est, Hyginus iam esset senior. Nam si Alexandrum Polyhistorem audiit, qui Romae floruit Sullae * temporibus et postea (καὶ ἐπὶ τάδε Suid.); si a nonnullis creditus est puer adhuc Romam aduectus anno 707|47 quo Alexandria capta est; uix post 697|57 nasci potuit. Atqui Ouidius natus est Hirtio et Pansa coss. 711|43; unde anno 761|2=8|9 post Ch. ipse annos 50|51, Hyginus 64|65 habuisse colligitur. Atqui Ouidius cum amico eo quem Ibin fuisse omnia indicant (Pont. iv. 3. 12) fuerat *uetusta Paene puer puero iunctus amicitia.* Praeterea Hyginus paedagogus Vergili in Georgicis scribendis dicitur a Columella i. 1. 13. Georgica Vergilius uidetur composuisse 717–724 A.V.C., quo tempore Ouidius annos aetatis sextum ad decimum tertium agebat. (3) Quis credat Hyginum, qui totus in litteris uersabatur, et ob multiplicem doctrinam bibliothecae Palatinae praeerat, foro discurrentem Ouidio oblatrasse? Non conuenit hoc uiro, quo nemo ea aetate nec πολυμαθέστερος fuit nec plura de omni genere rerum reliquit. Commemorantur eius praeter ea quae extant libri de re rustica, de apibus, de uita rebusque illustrium uirorum, Exempla, de proprietatibus deorum, de diis Penatibus, de urbibus Italicis et familiis Troianis, commentarius in Heluii Cinnae Propempticon Pollionis, Commentarii in Vergilium. Etiam ius pontificium eum attigisse testantur Gell. xvi. 6. 14, Macrob. vi. 9. 7. Itaque saepissime citatus est et ab aequalibus et a posteris, Auieno, Verrio Flacco, Asconio Pediano, Columella, tum a Plinio in Historia Naturali, Gellio, Seruio, Macrobio, Hieronymo, Nonio Marcello (Bunte pp. 9–16). Non hunc in foro latrantem, nec summi poetae ac familiarissimi facta canino dente mordentem, neque eius uxori insultantem, neque relliquias opum sibi conquirentem uidisses; sed aut in bibliotheca inter poëtarum statuas legentem exscribentemue, aut uacantem discipulis aut cum docto aliquo loquentem. Neque ego non possum Saluagnii opinionem mirari, Hyginum etiam ex uu. 19, 20 *Et qui debuerat subitas extinguere flammas Hic praedam medio raptor ab igne petit* elicientis; quippe libertum Augusti inter uigiles esse potuisse, quibus incendiorum cura commissa esset. Quasi uero praeposito bibliothecae Palatinae idem esset munus quod uigilum, aut incendia restinguere, libros curare uni eidemque demandari posset.

Mihi nec poëta nec praefectus bibliothecae in Ibide designari uidetur: orator potius uel delator fuit. Hoc indicant non solum illa Ibidis 14 *Iactat et in toto nomina nostra foro,* 29 *Calcasti qui me,* uiolente, *iacentem,* 233–6 *Gutturaque inbuerant infantia lacte canino, Hic primus pueri uenit in ora cibus. Perbibit inde suae rabiem nutricis alumnus, Latrat et in toto uerba canina foro,* sed Trist. iii. 11. 19, 20 *Et tamen est aliquis qui uulnera cruda retractet, Soluat et in mores* ora diserta *meos,* 31 *Quid simulacra, ferox, dictis incessis amaris?* v. 8. 3 *Quae tibi res animos in me facit, improbe? curue Casibus insultas, quos potes*

* Sulla mortuus est anno 676|78.

ipse pati? Nam quibus uerbis a Tacito Cassius Seuerus describitur Ann. iv. 21 *sordidae originis, maleficae uitae, sed orandi ualidus per immodicas inimicitias ut iudicio iurati senatus Cretam amoueretur effecerat*, eisdem fere Ibis adumbratur. Potuitque hic sane ipse Cassius esse. Nam et aequalis fere Ouidio fuit, cum nondum senex *Cretam amotus*, postea *bonis exutus interdicto igni atque aqua saxo Seripho consenuerit* usque ab anno 777|24, (Tac. Ann. iv. 21), et in foro multum uersabatur qui aliquem semper accusaret (Sen. Excerpt. Controu. 5), unde illud Augusti ap. Macrob. ii. 4. 9 *Cum multi Seuero Cassio accusante absoluerentur et architectus fori Augusti expectationem operis diu traheret ita iocatus est: Vellem Cassius et meum forum accuset;* et *uiros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamabat* (Tac. Ann. i. 72), et eloquentiae nomine omnes sui temporis disertos antecellebat (Dial. de Orator. 19, 26, Quintil. x. 1. 116) praecipue ob amaros sales quibus asperitatem indolis eloquebatur (Quintil. vi. 3. 27), et litterarum studiosus fuit, id quod demonstrat eius de Publilio Syro iudicium (Sen. Cont. vii. 18. 8) et admiratio qua Labieni libros edidicisse se testatur ap. Sen. Cont. x. Praef. 8, et de Aegypto scriptum edidit (Plin. Ind. xxxv, Prisc. ix. 53) et quo anno in exilium Ouidius iuit, ipse Romae, ut uidetur, fuit, necdum Cretam amotus est. Quae enim tradit Tacitus Ann. i. 72, primum Augustum cognitionem de famosis libellis specie legis eius (de maiestate) tractauisse commotum Cassii Seueri libidine qua uiros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamasset, bene perspexerunt Weichertus de Cassio Parmensi p. 15, Meyerus Orator. Roman. Fragm. p. 530 ad idem referenda tempus esse ac Dionis 56. 27 *καὶ μαθὼν* (Αὔγουστος) *ὅτι βιβλία ἄττα ἐφ' ὕβρει τινῶν συγγράφοιτο, ζήτησιν αὐτῶν ἐποιήσατο καὶ ἐκεῖνά τε, τὰ μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων, τὰ δὲ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων κατέφλεξε*, h.e. ad 765|12; Cassium autem Romae fuisse cum Labieni scripta comburerentur alius testis est Seneca Cont. x. Praef. 8. Sed et imperante Tiberio in senatu adfuisse dicit Plutarchus ap. Weichert. p. 16, cf. Drumann ii. p. 162.*

Per Ibin tamen non hunc designari idcirco crediderim quod nulla eiusmodi extet memoria. Cassius enim notissimus fuit, ut uix potuerit latere, si inter uiros quos diffamarat, Ouidium quoque insequi ausus esset. Quid quod iam multis ante annis Horatium dicitur insecutus? Nam si scholiastis credimus, in Cassium Seuerum Epodos sexta *Quid immerentis hospites uexas canis?* composita est. Quid quod Longulae, in oppido Latii a plerisque ortus creditur ex Indice Pliniano libri H. N. xxxv? Sic enim is locus distinctus legitur in editionibus Harduini et Silligii *Ex auctoribus ... Melisso, Vitruuio, Cassio Seuero Longulano, Fabio Vestale qui de pictura scripsit.* Sane poterat Longulanum eo consilio Plinius addere ut a Cassio Parmense (Ind. xxxi) et Cassio Hemina (Ind. xxxii) discerneret. Sed uere uidetur Bergkius ap. Ritschelii Parerg. Plautin. i. p. 40 obseruasse Plinium in his indicibus

* Hieronymum non multi facio, qui ad A. Abr. 2048, Ol. 202. 4 haec habet, *Cassius Seuerus orator egregius qui Quintianum illud prouerbium luserat* xxv *exilii sui anno in summa inopia moritur uix panno uerenda contectus.* Nam si hoc anno h. e. A. D. 32 mortuus est, factus est exul iam anno 7. (Cf. Clinton F. R. i. pp. 9 et 19).

tria nomina non coniungere, sed unum tantum aut certe duo non excedere; distinguendum igitur post *Seuerum*, ut Longulanus alius quis et quidem ignotus sit. Quod quamquam certum non est, nam ut nihil dicam de M. Accio Plauto, habet index libri iii *L. Ateio Capitone*, adeo tamen est uero simile ut Brunnio (de Auct. Ind. Plin. p. 43) et Detlefseno sic potius interpungentibus facile adstipuler.

Est qui a Seneca in Controuersiis saepius cum Cassio Seuero memoratur, uir non dissimilis ingenii, T. Labienus. In hoc multa sunt quae in Ibide requiruntur. Sen. Cont. x Praef. 4 *De T. Labieno interrogatis? declamauit non quidem populo, sed egregie. non admittebat populum et quia nondum haec consuetudo erat inducta et quia putabat turpe ac friuolae iactationis. adfectauit enim censorium supercilium, cum alius animo esset: magnus orator qui multa impedimenta eluctatus, ad famam ingeni confitentibus magis hominibus peruenerat quam uolentibus.* summa egestas erat, summa infamia, summum odium. *magna autem debet esse eloquentia quae inuitis placeat; et cum ingenia fauor hominum ostendat, fauor alat, quantam uim esse oportet quae inter obstantia erumpat? nemo erat qui non cum homini omnia obiceret, ingenio multum tribueret. color orationis antiquae, uigor nouae, cultus inter nostrum ac prius saeculum medius, ut illum posset utraque pars sibi uindicare. libertas tanta, ut libertatis nomen excederet et,* quia passim ordines hominesque laniabat, Rabies uocaretur; *animus inter uitia ingens et ad similitudinem ingeni sui uiolentus qui Pompeianos spiritus nondum in tanta pace posuisset. in hoc primum excogitata est noua poena: effectum est enim per inimicos eius ut omnes libri comburerentur: res noua et inuisitata supplicium de studiis sumi. bono hercules publico ista in poenas ingeniosa crudelitas post Ciceronem inuenta est: quid enim futurum fuit, si triumuiris libuisset et ingenium Ciceronis proscribere? sunt di immortales lenti quidem sed certi uindices generis humani et magna exempla in caput inuenientium regerunt ac iustissima patiendi uice quod quisque alieno excogitauit supplicio saepe expiat suo. quae uos, dementissimi homines, tanta uecordia agitat? parum uidelicet in poenas notae crudelitatis est: conquirite in uosmet ipsos noua quibus pereatis, et si quid ab omni patientia rerum natura subduxit, sicut ingenium memoriamque nominis, inuenite quemadmodum reducatis ad eandem rem corporis mala. facem studiis subdere et in monumenta disciplinarum animaduertere quanta et quam non contenta cetera materia saeuitia est!* Di melius, *quod eo saeculo ista ingeniorum supplicia coeperunt quo ingenia desierunt! eius qui hanc in scripta Labieni sententiam dixerat postea uiuentis adhuc scripta conbusta sunt; iam non malo exemplo quia suo. Non tulit hanc Labienus contumeliam nec superstes esse ingenio suo uoluit, sed in monumenta se maiorum suorum ferri iussit atque ita includi, ueritus scilicet ne ignis qui nomini suo subiectus erat corpori negaretur: non finiuit tantum se ipse, sed etiam sepeliuit.... Cassi Seueri, hominis Labieno inuisissimi, belle dicta res ferebatur illo tempore quo libri Labieni ex senatus consulto urebantur: nunc me, inquit, uiuum uri oportet qui illos edidici. monstrabo bellum uobis libellum quem a Gallione uestro petatis. recitauit rescriptum Labieno pro Bathyllo Maecenatis in quo suspicietis adulescentis animum* illos dentes ad mordendum *prouocantis. Puto iam nihil quod inter-*

rogetis restat. Erat igitur Labienus egens infamis odiosus, animo et ingenio pariter *uiolentus*, linguae adeo mordacis et efferatae ut *Rabies* uocaretur, et *canino dente* uti diceretur a populo. Haec omnia de Ibide eisdem paene urbis tradit Ouidius, u. 29 *Calcasti qui me*, uiolente, *iacentem*, 229 *Gutturaque inbuerant infantia lacte* canino, *Hic primus pueri uenit in ora cibus. Perbibit inde suae* rabiem *nutricis alumnus*, Latrat *et in toto uerba canina foro.* Quae autem Seneca addit de *ingeniosa in poenas crudelitate*, qua *per Labieni inimicos* effectum est ut historiae eius conburerentur, (cf. Suet. Cal. 16) quae res in annum 765|12 uidetur cadere (uide Dion. C. 56. 27) iis potuit ipsum carmen Ibidis oblique respexisse; nam et totum carmen in multiplici genere poenarum uersatur, et quae Seneca de redundante in Labieni inimicos supplicio dicit, multo uerius de ipso Labieno intelligerentur, si insectando Ouidium effecisset ut *supplicium de studiis sumeretur*, si pro uirili *ingenium* poëtae *proscripsisset*, si denique *in caput suum regestum iustissima patiendi uice quod Ouidiano excogitauerat supplicio* ipse *expiasset suo.* Hinc tractum existimo illud *Di melius!* quod et ap. Senecam et in Ib. u. 23 legitur Di melius, *quorum longe mihi maximus ille est* κ.τ.λ.; etiam fortasse Labieni mortem respexit Ib. u. 519 Inclususque *necem patiaris ut ille* Non profecturae conditor historiae. Nam et Callisthenes et Labienus historias scripserant, uterque inclusus periit, cauea ille, hic sepulchro.

T. Labienum in Africa natum esse quamquam nemo tradidit, non ex eo fit improbabile quod dicit Quintilianus i. 5. 7 *Barbarismum pluribus modis accipimus, unum gente, quale est, si quis Afrum uel Hispanum Latinae orationi nomen inserat: ut ferrum, quo rotae uinciuntur, dici solet 'cantus,' quamquam eo tamquam recepto utitur Persius, sicut Catullus 'ploxenum' circa Padum inuenit, et in oratione Labieni siue illa Corneli Galli est in Pollionem 'casamo' adsectator e Gallia adductum est.* Nam Quintiliani uerbis satis factum erit si de Gallia aut ut unius Corn. Galli Foroiuliensis patria dixisse putabitur, aut ut auita sede Labienorum, cum Labienus is qui legatus Caesari anno 696|58 et postea 700|54 ad 703|51 Galliae praefuit, ibi diu egerit ibique insignes res bello gesserit, unde famam militarem non mediocrem consecutus est. Hic Labienus postquam anno 705|49 a Caesare ad Pompeium transfugerat, anno demum 708|46 Cyrenas in Africam profectus, mox cum Afranio Petreïoque dux Pompeianorum contra Caesarem decertabat, uti narratum est in bello Africano 12 sqq. Ibi in regione iuxta Syrtim Minorem, qua in regione oppida sunt Utica Ruspina Leptis parua Hadrumetum Thapsus, non longe a Cinype fluuio qui inter duas Syrtes medius fluit, Labienum illum, Ouidii obtrectatorem, editum credo Maura matre, siue eum ipse Labienus progenuerat, siue ex alio natum pro suo adoptauerat. Quae opinio si uera est, *hybrida* fuit; quod uocabulum nescio quo casu primus usurpauit scriptor Belli Africani de ipso Labieno loquens 19 *Labienus quos ibi* (in Africa) *postea ex hybridis libertinis seruisque conscripserat, armauerat.* Sane confluxerat eo mira colluuies *libertinorum, Afrorum, seruorum denique et cuiusquemodi generis hominum* (B.Afr. 36), quales inimicum suum procreasse Ouidius optasset certe, credo etiam significauit.

Nam errasse Saluagnium dum Cinyphiam humum (Ib. 222) Libycam interpretatur, docet non solum Ouidii usus, sed omnium poëtarum. Ipse uocabulum posuit Pont. ii. 7. 25 *Cinyphiae segetis citius numerabis harenas Altaque quam multis floreat Hybla thymis*, ubi loquitur de *uberrimis aruis* per quae Cinyps decidit (Mel. i. 37 ed. Parthey, cf. Lyc. 885 Αὔσιγδα Κινύφειος ἣν τέγγων ῥόος Νασμοῖς λιπαίνει); M. v. 124 *Cinyphius Pelates* ubi cum aliis Africae populis iungitur ut Marmaridis ac Nasamonibus; M. xv. 754 *Numidasque rebelles Cinyphiumque Iubam* ubi Iubae uidetur regni finem ab occidente significare, cf. Luc. 9. 300; M. 272 *Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri*, nam abundabat serpentibus Cinypis regio unde Lucanus ix. 787 de sepe loquens *Cinyphias inter pestes tibi palma nocendi*. *Hircos Cinyphios* Vergilius G. iii. 312, Silius iii. 276, Martialis viii. 51. 11, xiv. 140. 2, scriptor Epigrammatis Anth. L. 186; *Cinyphias paludes* ut optimi lini feraces Gratius Cyn. 34 commemorat. Sed grauior testis nobis Silius erit, locorum diligentissimus enarrator Pun. ii. 59

Ammone hic genitus Phorcynidos antra Medusae
Cinyphiumque Macen, et iniquo e sole calentes
Battiadas late imperio sceptrisque regebat.

et iii. 275 *Cinyphii didicere Macae*

qui Cinypem Macis, populo regionis Syrticae (Herod. iv. 175, 6) adsignat, facitque Cyrenaeis conterminos.* Vide Cellarium ad Sil. ii. 59.

An aliter res odoranda est, ad aliud deducimur cubile? Nam quod habet scholiasta *P* ad 222 *uel quia natus est in ipsa Cinyphia ubi abundant hirci* ita potest uerum esse ut *Cinyphiam humum* non de ipsa regione Cinypis interpreteris, neque uero tamquam Libyca tantum sit, sed ut de regione dictum putes quae hircis abundabat. Talis erat Mendes, urbs Aegypti, ὅπου τὸν Πᾶνα τιμῶσι καὶ τῶν ζώων τράγον Strab. 802, ubi uersus Pindari fr. 215 citat, cf. Herod. ii. 42, 46. Sed et ipse hircus *mendes* Aegyptiorum lingua uocabatur (Herod. l. c.). Nec deest homo † Mendesius aequalis Ouidio, potentia praecipuus et qui eum euertere posset. Thrasyllum dico, astrologum summum, quem propter peritiam Chaldaeorum artis Tiberius, ex quo scientiam eius expertus erat Rhodi, quo 748|6 ex Vrbe secesserat, inter intimos amicorum tenebat (Tac. Ann. vi. 20). Narrat ibi Tacitus Tiberium praecipitare eum in pelagus destinasse, nisi Thrasyllus *interrogatus an suam quoque genitalem horam comperisset*, cum *positus siderum ac spatia dimensus* esset, exclamasset *ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare*.

* Non me fugit *Mauram* a Iuuen. vi. 308, x. 224 poni tamquam turpissimi scorti exemplum, uerbis utor Buecheleri Rhein. Mus. xxxv. 397, cuius contemptus primordia in Priapeis xlv. 3, xlvi. 1 idem Buechelerus notauit. Neque ideo tamen crediderim *Cinyphiam* hic matrem Ibidis tamquam *Mauram* h. e. sordidam lupam appellatam ab Ouidio.

† Plut. de Fluuiis xi. Non satis causae uideo cur alium hunc Clintonus statuerit F. H. iii. p. 555: neque uero Seuino assentior opinanti Phliasium illum Thrasyllum ap. Plut. de Mus. xxi astrologum hunc, Tiberii et Ouidii aequalem, fuisse. Scripsit de Musica Thrasyllus Phliasius: quid huic cum astrologia? Contra Mendesio aptum scribere Aegyptiaca: neque eius fidem uidetur eleuare Muellerus qui fragmenta collegit Hist. Graec. iii. pp. 501–504. Vide Recherches sur la vie et les ouvrages de Thrasylle par M. l'Abbé Sevin in vol. x des Mémoires de Littérature tirez des Régistres de l'Académie Royale des Inscriptions et Belles Lettres (1736).

Cf. Dion C. 55. 11. Hinc *contubernio* eum *admouerat* Tiberius, teste Suet. Tib. 14. Sed et Augusto gratus erat, unde cum Areo philosopho ter coniungitur a Themistio Orat. v, viii, xi. Huius uerba ex Orat. viii. p. 208 Harduin. libet exscribere, Διὰ τοῦτο καὶ ὁ πάνυ Σεβαστὸς μέγας ἦν ὅτι τὸν Ἄρειον καὶ τὸν Θράσυλον συμπεριήγετο· οὐχ ἵνα αὐτῷ συνθέσεις οἰκοδομημάτων ἐξηγῶνται καὶ ἀναλύσεις, ἀλλ' ἵνα πρὸς τὰ ἔργα τῆς ἀρετῆς παρορμῶσι. Interfuitque Thrasyllus conuiuio quod paucis diebus ante mortem Augustus habuit (Suet. Aug. 98). Qui cum unius ex dilectis, Masgabae nomine, quem quasi conditorem insulae Capreis adiacentis Κτίστην uocare consuerat, *tumulum e triclinio animaduertisset magna turba multisque luminibus frequentari, uersum compositum extempore clare pronuntiauit,* Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον. *Conuersusque ad Thrasyllum, Tiberii comitem, contra accubantem, et ignarum rei, interrogauit cuiusnam poetae putaret esse: quo haesitante subiecit alium,* Ὁρᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον, *ac de hoc quoque consuluit. Cum ille nihil aliud responderet nisi cuiuscumque essent, optimos esse, cachinnum sustulit atque in iocos effusus est.*

Hic Thrasyllus ut Ibis fuerit conspirant non pauca. Nam filium habuit (Tac. Ann. vi. 22) unde illa *teque tuosque* explices u. 56, et doctissimus fuit qui *multarum artium scientiam professus postremo se dedit Platonicae sectae* (Schol. Iuuen. vi. 575), unde commemorantur eius libri de Platone, de Democriti scriptis quomodo legenda sint, de temporibus, Aegyptiaca, de lapidibus, Thracica (Clinton F. H. iii. p. 555); ut dignum credas in quem tot tam doctas historias Ouidius congereret: et optime quadrat mathematico repetita totiens solis lunae siderum caeli mentio, tam studiose inquisita et enuntiata genesis. Quid quod Thrasylli nomen inter historias locum habet u. 331? quod Aegyptium acrius mordent tot ducta ex Aegypto? quod melius sic inter se comparantur u. 219 dies Alliensis, dies natalis Ibidis, cum et Alliensis et Aegyptiacus dies ater fuerit? (Noris. Cenotaph. Pisan. 373). Praeterea ex Mendete si fuit, quae urbs non longe aberat a Lycopoli, habes cur *lupos* bis induxerit poeta, 44 *Pax erit haec nobis... Cum pecore infirmo quae solet esse lupis,* 171, 2 *Deque tuo fiet, licet hac sis laude superbus, Insatiabilibus corpore rixa lupis.* Iam Platonis qui studiosus fuerit, idemque in periculum uenerit a muro praecipitandi (Dion C. 55. 11), mirifice in hunc conuenit historia illa de Cleombroto 494, ne quid de aliis dixerim qui in Ibide ex alto deiecti dicuntur, quo crudelissimo supplicio nihil magis Tiberius frequentauit.

Dixerit hic aliquis; Tu in Cassium Seuerum uel T. Labienum uel Thrasyllum astrologum uel certum aliquem delatorem carmen Ibidis scriptum existimas; uere tu quidem, nam non dubiis uerbis id poëta significauit, u. 7 Vnus, *et hoc ipsum est iniuria magna, perennem Candoris titulum non sinit esse mei,* 93 *Neue minus noceant fictum exercantia nomen Vota, minus magnos commoueantue deos, Illum ego deuoueo* quem mens intelligit, *Ibin:* nomenque ut non uerbo positum sit, animo certe concipiendum erat, ne ui sua careret execratio. Hoc enim indicant dirarum formulae qualis est ista C. I. L. i. 820 *Nomen delatum Naeuiae L. L. Secundae seiue ea alio nomini est,* indicat bis repetitum nomen ib. 819 *Danae,* et in Graeca Inscriptione ap. Kaibelium 1136

Σωσίκλεια, cf. quod ibi Kaibelius attulit ex Henzeno *Cn. Numidium Astragalum, illius uitam ualetudinem quaistum ipsumque uti tabescat morbus, hoc C. Sextius Tabsimado rogo.* Neque aliter in Diris Valerii Catonis siue cuicumque alii adsignantur, Lycurgi nomen additum est. Neque incredibile est nomen Ibidis, quamuis nunc lateat, *positis pro nomine signis* aliqua significatum fuisse (Trist. i. 5. 7). Et tamen est ubi Ouidius de inimico suo tamquam haesitans et incertus loquatur, e.g. 9 Quisquis *is est, nam nomen adhuc utcumque tacebo,* Trist. iii. 11. 56 *Ad te, quisquis is es, nostra querella redit.* Id ego duplici causa factum arbitror. Aut enim unum ipse intellexit, aliis alios uoluit intelligi, quo tutior esset neque omni spe regressus priuaretur; aut reuera de homine dubitauit, etsi plerumque certum aliquem animo imaginatus est. Prius ut credam, faciunt quae de causa exilii dicit in Tristibus et Epistulis ex Ponto.* Ea quaecumque fuit, (errorem ipse dicit Trist. ii. 207, iv. 4. 37, Pont. ii. 3. 92) uidetur eiusmodi fuisse quae *cunctis nimium quoque nota* (Trist. iv. 4. 43) esset. Vnde igitur factum est ut neque ipse Ouidius neque alius quisquam aequalium causam ruinae posteris tradiderit? Esto enim ut Augusti domus flagitia exul noluerit eloqui, quamuis ea tota Roma uulgarentur. At ceteros siluisse quod omnibus constaret, ausum neminem fuisse nobilissimi poëtae errorem declarare, unum Ouidium ex omnibus in ultima terrarum relegatum neque reuocatum fuisse; haec adeo mirabilia sunt ut arcani aliquid latuisse suspiceris. Hoc quid fuerit, pro explorato non est: sed non desunt uestigia. Vt breui quid rear enuntiem, Isidis sacra Ouidium uiolasse existimo, ita tamen ut cum infamia id Caesarum coniunctum fuerit. Id siquis quaerat quomodo fieri potuerit, docebit Iosephus Antiq. xviii. 3. Narrat enim imperante Tiberio, Mundum quendam amore captum Paulinae quae Saturnino nupserat, cum ea muneribus non cederet, libertae Ides dolo ad stuprum sic induxisse. Colebat Paulina Isin; huius sacerdotibus Ide persuasit datis uiginti quinque milibus drachmarum, alteris totidem promissis si rem perfecissent, ut mulierem per insidias Mundo conciliarent. Itaque qui natu maximus ex iis erat, secreto conloquio Paulinae confirmauit Anubidis se nuntium uenisse; hunc eam amare, iubere ut ad se ueniret. Tum Paulina sciente marito cui rem patefecerat, in Isidis fano cum Mundo, quem Anubin esse rebatur, concubuit. Quod Tiberius cum rescisset Mundum in exilium exegisse, Isidis fanum diruisse, deae simulacrum in Tiberim proici iussisse. Sed et ipse Ouidius testatur *linigeram fieri quid possit ad Isin* (Am. ii. 2. 25, cf. Trist. ii. 297, Iuuen. vi. 490 *Isiacae sacraria lenae,* Preller Röm. Myth. p. 728.)† Vt igitur cum plerisque statuamus Ouidium minoris Iuliae, Augusti neptis, flagitium aliquod uidisse idque prae timore dissimulasse (Trist. iv. 4. 37, Pont. ii. 2. 19), habemus cur timuerit, si aut corruptis Isidis ministris aut insciis ac sero cognoscentibus in fano deae id factum est. Quamquam

* Peculiares libellos scripserunt de exilio Ouidii Thomas Dyer *On the cause of Ovid's Exile* in Musei classici Tom. iv. pp. 224–247, et A. Deville Essai sur l'Exil d'Ovide, Paris 1859. Cf. Merivale Hist. of the Romans under the Empire iv. 331–333, ed. min.

† Appianus tradit in Bello Ciuili Volusium quendam Isiaci linea stola et canino capite indutum effugisse (B. C. iv. 47).

satis erit ad rem si Iulia in Isidis aede operata abducta est inde per adulterum inspectante Ouidio et agnoscente, nihil tamen auso eloqui. Vix enim crediderim Ouidium sumpto habitu Isiaci sacerdotis Augustum adiisse, fretum uenia qua ille Athenodorum accepisset mulieris indutum specie sellaque in palatium aduectum cum gladio, monentemque ut a talibus insidiis posthac caueret, quod tradit Dion C. 56. 43.* Constat certe Augustum in deorum sacris religiosissimum fuisse; suorum autem flagitia inpatientius tulisse: ut ultra solitum morem in eum saeuiturus esset, quem in utraque re noxium compererat.

Hanc Isidis offensam quam sic Augustus ultus sit, unde tandem colligere audeo? Primum ex ipso carmine Ibidis: deinde ex Tristibus et Epistulis ex Ponto. De Ibide loquar posterius: nunc haec considera. Tristia qui legerit, nihil, ut opinor, totiens mirabitur quam Ouidium fertilem suam uenam prope destituisse, pro ubere rerum copia ac uerborum quam in Amoribus Fastis Metamorphosibus adhibuerit successisse sterile quoddam et ieiunum, quo calamitates suas iterum atque iterum queratur. Sane uidetur unum superesse uestigium ingenii in noua se erigentis quod singula disticha sententias habent, non ut in Amoribus Arte Fastis simpliciter decurrentes, sed compluribus membris inter se inplicatas ac conexas. Absque hoc foret, uix digna Ouidio uideri poterant; tanta in omnibus inest (praeter secundum librum Tristium) figurarum ac sermonis iteratio; adeo nusquam rerum ullam materiam dicendi nisi in miseriis suis habet.† Estque hoc ipsum quod legentes aduertat, eminens et exstans earundem rerum comparationum uerborum denique similitudo. Cui enim non recurret illud decantatum *Litora quot conchas, quot amoena rosaria flores* Trist. v. 2. 23 sqq., quod in unoquoque libro nec Tristium modo sed etiam Epistularum aliquatenus mutatum repetiuit? Vel illud de Busiride et Phalaride, quod ut in Ibide sic in Trist. et Epist. non semel legitur (Tr. iii. 11. 39, Pont. iii. 6. 41). Haec omnia recensere non est nostri operis: tantum afferam quae ad Isidis ritum mihi referenda uideantur. Nam ne obsoleti cultus uerba et uoces nesciamus obstant Inscriptiones et emortuarum relligionum enarrator Apuleius.

Quotiens enim Ouidius infortunium suum plagae comparat qua paene ad mortem confossus sit! Tr. i. 1. 99 *qui mihi uulnera fecit.* iii. 11. 63 *rescindere crimina noli, Deque graui duras uulnere tolle manus.* 66 *Facta cicatricem ducere nostra sine.* Pont. i. 3. 15 *Tempore ducetur longo fortasse cicatrix, Horrent admotas uulnera cruda manus.* Trist. iii. 6. 29 *Mensque reformidat ueluti sua uulnera tempus Illud.* Cf. Trist. iv. 1. 36, Pont. i. 6. 22, iv. 11. 4, 19, ii. 3. 94. Et multo uiuidius Pont. ii. 7. 41

Sic ego continuo fortunae uulneror ictu
Vixque habet in nobis iam noua plaga locum.

iv. 16. 51 *Quid iuuat extinctos ferrum demittere in artus?*
Non habet in nobis iam noua plaga locum.

Apul. M. xi. 15 *Nam in eos quorum sibi uitas in seruitium deae nostrae*

* Culpa Ouidii, quaecumque fuit, non minimum furoris habuit (Pont. ii. 3. 46): quod de *audacia* (*an escapade*) qualis Athenodori haec fuit, non male explices.

† Sen. Cont. Excerpt. iii. Praef. 5.

(Isidis) *maiestas uindicauit* non habet locum *casus infestus.* Quae omnia ad Isidis caerimonias pertinere, quae discerptum corpus Osiridis inueniens ac sepeliens quotannis inducta sit, non est quod moneam. Optime ad rem facit Firmicus Maternus 2 *Hoc* (*idolum Osiridis*) *annuis luctibus plangunt, radunt capita, ut miserandum casum regis sui turpitudine dehonestati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos,* ueterum uulnerum resecant cicatrices, *ut annuis luctibus in animis eorum funestae ac miserandae necis exitium renascatur.**

Rursus nihil in his scriptis saepius reperias quam ut naufrago se poëta adsimilet. Trist. i. 6. 7 *Tu facis ut spolium non sim, nec nuder ab illis Naufragii tabulas qui petiere mei.* iv. 5. 6 *Qui ueritus non es portus aperire fideles Fulmine percussae confugiumque rati.* v. 11. 13 *Quassa tamen nostra est, non mersa nec obruta puppis, Vtque caret portu, sic tamen exstat aquis.* v. 9. 17 *Naufragiumque meum tumulo spectarit ab alto, Nec dederit nanti per freta saeua manum.* Pont. i. 2. 61 *credo Mollia naufragiis litora posse dari.* 6. 33, ii. 3. 28 *In mediis lacera naue relinquor aquis.* iv. 14. 21 *Ad ueteres scopulos iterum diuertor et illas In quibus offendit naufraga puppis aquas?* Et hoc in Iside frequens est, cuius in tutela naues erant; unde in pompa eius nauigium ferebatur, et naufragorum uotiuae tabulae in aede suspendebantur. Iuuen. xii. 28 *pictores quis nescit ab Iside pasci?* Sed et in hymno Isidis ap. Kaibelium 1028 πλωτὰ δὲ φιλεύδιος Ἀμφιτρίτα Νησσὶ μελαμπρώροισιν ὕπαὶ παχνώδεος αὐχμῶ, Ἁνίκα μειδάμων, ἱλαρὰν ἐρύθοισα παρειάν, Ἀμπετάσω Τηθὺν γλαυκώλενον. Nam serenare ex procellis caelum ac mare eiusdem deae erat. Apuleius M. xi. 7 de festo die Isidis loquens *Nec mora cum noctis atrae fugato nubilo Sol exurgit aureus ... ut pecora etiam cuiusquemodi et totas domus et ipsum diem serena facie gaudere sentirem ..... Magnoque procellarum sedato fragore ac turbido fluctuum tumore posito mare quietas alluuies temperabat, caelum autem nubilosa caligine disiecta, nudo sudoque luminis proprii splendore candebat.* Quod et ipsum plus semel in Tristibus et Epistulis Ponticis occurrit. Trist. i. 2. 107 *Fallor an incipiunt grauidae euanescere nubes? Victaque mutati frangitur ira maris?* Pont. ii. 1. 25–28. Eodem referas *arae* et *portus* metaphoram, qua saepius usus est. Pont. ii. 8. 68 *Vos eritis nostrae portus et ara fugae.* Trist. iv. 5. 1, 2 *Vnica fortunis ara reperta meis.* Trist. v. 6. 14 *Quae patuit dextrae firma sit ara meae.* v. 2. 43 *sacram quamuis inuisus ad aram Confugiam, nullas submouet ara manus.* v. 6. 2 *Qui mihi confugium, qui mihi portus eras.* iv. 5. 5 *Qui ueritus non es portus aperire fideles Fulmine percussae confugiumque rati.* Cum his comparentur Apul. M. xi. 10 *Manibus ambabus gerebat altaria, id est, auxilia, quibus nomen dedit proprium deae summatis auxiliaris prouidentia.* 12 *Quod tot ac tantis exantlatis laboribus, tot emensis periculis deae maximae prouidentia adluctantem mihi saeuissime fortunam superarem.* 15 *Multis et uariis exantlatis laboribus magnisque fortunae tempestatibus et maximis actus procellis ad portum quietis et aram Misericordiae uenisti,* quae de

* An uiolatas has relligiones loco exilii Augustus declarauit? Nam *Tomi* propter discerpta membra Absyrti (Trist. iii. 9) nomen habuerunt: ut ipso ex nomine discerpti Osiridis fabula, atque adeo suum facinus qui haec uiolasset, Ouidio repraesentaretur. Cf. Ib. 452.

homine per Isin ad salutem perducto dicuntur. Etiam illud quod est in Ibide 208 *Ora licet tribuas multiplicata mihi* et Trist. i. 5. 53 *Si uox infragilis, pectus mihi firmius esset, Pluraque cum linguis pluribus ora forent, Non tamen idcirco complecterer omnia uerbis, Materia uires exsuperante meas*, idem in referendis laudibus Isidis inducit Apuleius xi. 25 *Nec mihi uocis ubertas ad dicenda quae de sua maiestate sentio sufficit nec ora mille linguaeque totidem uel indefessi sermonis aeterna series.* Propius a uerbo accedunt quamuis paulo aliter deflexa sit oratio, illa Apuleii xi. 6 quo Isis cultorem suum alloquitur *Nec iniurium, cuius beneficio redieris ad homines, ei totum debere quod uiues* h. e. omne futurum tempus uitae tuae, et Trist. v. 4. 22 *Denique quod uiuat, munus habere dei* h. e. quod uiuat, nec mori coactus sit.

Sed multo magis res elucet ex ipso carmine Ibidis. Nam non ista solum quae in Trist. et Epistulis ex Ponto attuli etiam in Ibide recurrunt, e. g. 13 *Vulneraque inmitis requiem quaerentia uexat*, cf. Ib. 247, 17, 18 *Cumque ego quassa meae conplectar membra carinae Naufragii tabulas pugnat habere mei* sed totum Carmen ad Aegyptum redit et inter Aegyptiaca uersatur. Sed repetenda res altius, et ad origines uocanda est.

II.

Scripserat carmen Ibin Callimachus, poeta Alexandrinus, contra inimicum quem Suidas discipulum eius Apollonium, scriptorem Argonauticorum, fuisse tradit s. u. Καλλίμαχος. *Τῶν δὲ αὐτοῦ βιβλίων ἐστὶ καὶ ταῦτα . . . . Ἶβις· ἔστι δὲ ποίημα ἐπιτετηδευμένον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν, εἴς τινα Ἶβιν, γενόμενον ἐχθρὸν Καλλιμάχου· ἦν δὲ οὗτος Ἀπολλώνιος ὁ γράψας τὰ Ἀργοναυτικά.* Huius inimicitiae causa quae fuerit nescitur; a plerisque creditur orta ex inuidia quae inter riuales ex carminibus prouenerit. Constat Apollonium eductum in domo Callimachi cum Argonautica adhuc adulescens recitasset, adeo non placuisse audientibus ut cum rubore (*ἐρυθριάσας*) discederet (Vit. Apollonii pp. 532, 4 in Scholiorum ed. Keiliana), cumque ignominiam apud ciues et reliquorum poetarum calumniam ferre non posset, relicta patria in Rhodum iret. Creditur haec origo fuisse litium quas inter poetas extitisse nouimus, siue recitarat Apollonius nolente magistro, siue praeceptis eius minus obsecutus, ad uetera et uetita redierat et propterea Callimacheis atque adeo ipsi Callimacho displicuerat.* Quidquid fuit, supersunt quae rixam testentur. Haec collegit Merkelius et post eum Schneiderus et Couatius.† Nam Callimachus in Hymno Apollinis Apollonium creditur tetigisse his ultimis uersibus ‡

Ὁ Φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατι λάθριος εἶπεν,
Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.

* Hanc sententiam, cuius auctor fuit Gerhardus Lection. Apollonianarum p. 4, etiam Ritschelius probauit Chronologie der Ersten Alexandrinischen Bibliotheken p. 69.

† La querelle de Callimaque et d'Apollonius, extrait de l'Annuaire de l'Association pour l'encouragement des études Grecques en France. Année 1877.

‡ Hos uersus Couatius p. 29 censet quasi epilogum additos a Callimacho, cum is hymnorum totam seriem editurus ultimam manum certamini uellet imponere, et Apollinem in fine carminis testem faceret uictoriae, sicut ab eodem deo Apollonius in principio Argonauticon primordia operis duxisset.

Τὸν Φθόνον ὡπόλλων ποδί τ' ἤλασεν ὧδέ τ' ἔειπεν·
Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει.
Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ πάντος ὕδωρ φορέουσι μέλισσαι,
Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς, ἄκρον ἄωτον.
Χαῖρε, ἄναξ· ὁ δὲ Μῶμος, ἵν' ὁ φθόρος, ἔνθα νέοιτο.

Quibus Apollonium manifesta parodia respondisse Arg. iii. 932
Ἀκλειὴς ὅδε μάντις, ὃς οὐδ' ὅσα παῖδες ἴσασιν
Οἶδε νόῳ φράσσασθαι,
Merkelius censet (Proleg. Apollonii p. xviii): illud certe potest ex Schol. Οὐκ ἄγαμαι] Ἐγκαλεῖ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην conici, quo tempore ea scriberentur a Callimacho, Apollonium fama epici carminis tantum innotuisse, ut pro riuali haberetur, neque se indignum putaret Callimachus ad prolixiora accingi.

Aliud superest rixae monumentum, si modo fuit, epigramma Anthologiae Palatinae xi. 275 quod Ἀπολλωνίου γραμματικοῦ inscriptum est.

Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξύλινος νοῦς,
Αἴτιος ὁ γράψας Αἴτια Καλλιμάχου.

Sic enim legendum uidetur ex codice Heidelbergensi, non quod uolebat Bentleius Καλλίμαχος, cum Καλλιμάχου etiam Eustathius exhibeat ad Hom. Od. 1422. Verba sic uerterim:—'Callimachus, that heap of rubbish, that fribble, that mind of wood, is to blame,* the same that wrote the Αἴτια of Callimachus;' h. e. Callimachus qui scripsit Αἴτια, carmen de causis deorum et heroum, plenum quisquiliis rerum, leue, nullius ingenii, ipse causam dedit huic de se iudicio; sic enim fere singula interpretatus est Merkelius Prolus. ad Ib. p. 342.†

Epigramma Apollonium Rhodi iam exulantem scripsisse, Callimachum eo lacessitum *Ibin* edidisse Merkelius et O. Schneiderus (Callim. ii. p. 276) crediderunt. Quod etsi ualde incertum est, tamen cum adulescens adhuc Apollonius in Rhodum secesserit, id autem Ritschelius ex comparatione temporum circa Ol. 131 (B.C. 256–253) cadere euicerit (Opusc. i. pp. 69 et 73), Ibis ante id tempus uix potuit scribi. Neque uero diu post eos annos scriptam crediderim, cum senex iam Callimachus deuotionibus riualem uix insectaturus fuerit. Nam si Ritschelium secuti Callimachi natales circa Ol. $\frac{114}{115}$ B.C. 324–317, Apollonii Ol. $\frac{126}{127}$ B.C. 276–269 ponimus, hic in Ol. 131 annos uiginti plus minusue, Callimachus sexaginta minimum habuit.

Ex Ibide Callimachea cum ne unum quidem fragmentum Graeci tradiderint nec nisi ex Ouidii Ibide et eius scholiis quicquam innotu-

* 'Poena dignus est' uertit Gerhardus p. 5.

† Apollonii Rhodii num epigramma sit, dubites, cum γραμματικοῦ inscriptum sit, neque Apollonius solus inpatienter tulerit Callimachi poesin, cuius rei testis est Suidas s. u. Σεβηριανός. Τὰ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ποιητῶν ἀπεδέχετο μετρίως, τὸν δὲ Καλλίμαχον εἰς χεῖρας λαβὼν οὐκ ἔστιν ὅτε οὐ κατέσκωπτε τὸν Λίβυν ποιητήν· ἀνιώμενος δὲ ἔτι μᾶλλον ἤδη πολλαχοῦ καὶ τῷ βιβλίῳ προσέπτυε. Anth. P. xi. 347, 8 Γιγνώσκοιμ' ὅσα λευκὸν ἔχει στίχον, ἡ δὲ μέλαινα Ἱστορίη τήκοι τοὺς Περικαλλιμάχους.

erit, coniectura tantummodo qualis fuerit licet assequi. Qua tamen in re quod a plerisque neglectum est, in eo summam uerti quaestionis acute Merkelius perspexit. Nam Apollonius quamquam plerumque et in utraque uita ap. Keilium pp. 532–534 Alexandrinus uocatur, Athenaeo teste 283 ab aliis Naucratites habitus est.* At in Naucrati, quod erat oppidum Aegypti non longe distans Alexandria ab oriente, fuisse olim deum quendam antiquum, Theuth nomine, cui sacra auis Ibis dicata fuerit, confirmat Plato in Phaedro 274 C: unde Naucratica† potissimum auis et Apollonii ciuis (uerbis utor Merkelii, p. 338) Ibis fuit. Hinc praecipue riuali nomen Ibidis inposuisse Callimachum reor; nec dubito ut uolucrem, sic Mercurium siue Theuth, cui ea sacra fuit, partes in diris eius habuisse. Nam et Ouidius hunc inducit Ib. 214. Qui etiam illud credo addidit ex Callimachea Ibide 449 *Et quibus exiguo uolucris deuota libello est* Corpora proiecta quae sua purgat aqua.

Hic non possum Schneidero suffragari existimanti Callimachi Ibin tam *exiguum libellum* fuisse ut unum tantum conplexa genus dirarum non ultra fines epigrammatis progressa sit. Esto enim ut quae in ipsam auem inprecatus est non adeo multa fuerint; at adicienda sunt quae in Apollonium direxit. Quis enim diras in inimicum scribens satis irae consultum putet si auiculae mala multa inprecetur, ipsi nihil? Quod si in eodem carmine et Ibin et Apollonium Callimachus deuouit, aut longissimum epigramma fuerit necesse est, aut Ouidius *exiguum* libellum Callimachi prae suo existimauit. Hoc ut uerum credam, multa faciunt. Nam si Ibin suam *libellum* u. 51 dixit, quaeque in ea prolusit *pauca* u. 639 prae postmodo scribendis ratus est—habet autem carmen uersus 644—eadem ratione Cyrenaei Ibin *exiguam* dicturus fuit, si non ultra centum uel ducentos uersus producta esset. Vt exemplo rem illustrem, nulla est epistula Tristium praeter librum secundum qui uersus 578 habet, nulla scriptarum ex Ponto, quam non exiguum libellum dicturus fuerat: neque epistula ea qua *Triumphum* suum Rufino mittit (Pont. iii. 4) breuiorem credo ipsum *Triumphum* fuisse, quamuis *opus exiguum* id uocarit (5). Sed et ipse sese interpretatus est uersibus de quibus perperam, si quid Latine sapio, Schneiderus iudicauit. Dicit enim uu. 57–64

Nunc quo Battiades inimicum deuouet Ibin,
  Hoc ego deuoueo teque tuosque modo.
Vtque ille historiis inuoluam carmina caecis,
  Non soleam quamuis hoc genus ipse sequi.
Illius ambages imitatus in Ibide dicar,
  Oblitus moris iudiciique mei.
Et quoniam qui sis nondum quaerentibus edo,
  Ibidis interea tu quoque nomen habe.

* Ἀπολλώνιος δ' ὁ Ῥόδιος ἢ Ναυκρατίτης ἐν Ναυκράτεως κτίσει. Aelian. H. A. xv. 23 Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἢ Ναυκρατίτης.

† Sic Calchedonii ἐρωδιὸν siue ardeam tamquam προδότην notabant, quia urbem hostes ceperant dum auem ex aduerso litore obseruant aquis exstare cibos colligentem, eamque imitati ipsi per pontum tamquam in terra ad muros adgrediuntur, Anth. P. ix. 551.

Hic uersus 59–62 Schneiderus cum reliquis ita credit conexos non ut in Ibide Callimachea fuerint *caecae historiae* sed ut ambages et obscuritatem quas ille in carminibus alibi adfectauerit, Ouidius in sua Ibide imitatus sit. Quasi uero boni poetae esset postquam dixisset eodem se modo deuoturum inimicum quo Ibin Callimachus, id genus rerum adnectere quod in *aliis* carminibus Callimachi, non in Ibide esset. Talem nexum non Ouidianus solum stylus atque ordo dicendi, sed ipsa loci sententia respuit. Quo enim modo Battiades Ibin deuouit? Nempe *historiis caecis*, per ambages et aenigmata fabularum. Quae ut non magni ambitus in exiguo libello fuisse colligantur, omnino certe abesse non poterant. Neque aliter locum interpretatus est Bentleius ac ceteri praeter Couatium: estque res simplicissima, nec quae ullis machinis ad id detorqueatur quod Schneiderus uoluit. Quid quod singulis distichis 57–8, 59–60, 61–2, 63–4, Ibin nusquam mittit, ab Ibide Callimachea ad suam (69) progreditur, obscuritatem, nomen Callimacheae Ibidis in suum inimicum conuertit. Idem patet et ex uerbis Suidae. Nam si hoc teste Ibis poema fuit ἐπιτετηδευμένον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν, uero simile est non epigrammatis in ambitum, sed nec in formam compositum fuisse. Sane ex Suida et Eudocia scimus Archibium commentarium siue ἐξήγησιν scripsisse Callimachi Epigrammatum; sed neque inter Epigrammata Ibin quisquam ueterum retulit, nec si epigramma fuisset, latuisset credo sed in Anthologiam peruenisset. Nunc cum non extet, eam speciem habuit, opinor, quam ceterae eiusmodi Ἀραί. Scripserat κατευχὰς Simonides, si recte nomen traditum est in Schol. Od. ζ. 164, Ἀρὰς Moero Byzantia (Parthen. Erot. 27) et Euphorion Chalcidensis, hic in furem qui poculum surripuerat, ut ex altero nomine carminis ποτηριοκλέπτῃ concludit Meinekius Anal. Alex. p. 20, illa de Alcinoe quam Nicandra deuouerat, quod se cum toto anno apud eam laborasset soluta tantum parte mercedis a domo exegisset. Hae perierunt: Romanorum contra supersunt duo deuotionum carmina, Dirae Valerii Catonis et Ouidii Ibis. Euphorionis ex Diris quem unicum uersum seruarunt Steph. B. s. u. Ἀλύβη et Schol. Theoc. ii. 2 hexameter est, ut nihil inde colligi possit de Callimachi Ibide quam Euphorion presse secutus uideatur Meinekio. Nam *Diras* hexametris scripsit Cato seu quis alius fuit: nec nisi ex Ouidiana Ibide et eius Scholiis afferas cur non hexametris totae compositae sint et Callimachi et Euphorionis deuotiones.

Illud omittendum non erat in hac re quod ad u. Ib. 315 *Vtque necatorum Darei fraude secundi Sic tua subsidens deuoret ora cinis* Scholiasta Galeanus haec tradidit *Dareus fi. primi Darei quia hominibus suis iurauit quod non occideret eos ueneno sicut pater suus consueuit cinere calido eos interfecit. Vnde Callimacus contra suum Ibin Sic tu depereas sicut periere secundi Quos Dareus multo proruerat cinere* (*secundus Quos multo Dareus obruerat cinere* C cum Askeuiano). Etsi enim nihil habent fidei suppositicii uersus quales non pauci in his scholiis reperiuntur, potuit tamen historia tradi ex Callimachi Ibide prouenisse. Certe in hoc uno loco Scholiasta, cum in multis Callimachum allegarit, illud *in suum Ibin* adnexuit. Sed alternis hexametris et pentametris

Ibin scripsisse Callimachum non magis hinc collegerim quam uersus ipsos ex Graeco poeta ductos uel expressos esse: nam ipsae historiae quae in scholiis leguntur non raro ficticiae sunt.

Non igitur iacebit, me iudice, inueterata iam de Callimachea Ibide opinio. Fuerit exiguus libellus, et multo minor Ouidiana; at historias habuit et inprecationes auiculae,—modo recte interpretes de uu. 449, 450 iudicarint,—et, quod ex Suida colligitur, ipsius Apollonii. Epigramma non fuit, fortasse ne elegiaco quidem metro scriptum est, sed ad exemplum Dirarum quae Catoni adsignantur.

III.

In Ibin uolucrem (duo genera tradiderunt antiqui, nigrum alterum, alterum candidum nisi quod nigrat aliqua parte, ut capite collo extremitatibus pinnarum ac tergi, Herod. ii. 76, Arist. H. A. ix. 103, Plin. x. 87) quid Callimachus inprecatus sit coniectura tantum est. Vnum poterit ex Ouidio colligi. Ib. 449

Et quibus exiguo uolucris deuota libello est,
Corpora proiecta quae sua purgat aqua,

ad quae Schol. Galeanus *Callimacus fecit in quemdam inimicum inuectiones, cuius nomen fuit ibis i. hermenia quae se rostro inferius purgat:* Askeuianus *Callimacus in inuidum scribens pro eius immunditia eum ibidem in libro suo appellauit, quia ibis s. ciconia rostro purgat posteriora et in hoc exercetur.* Haec si uere tradunt scholiastae, notarat Cyrenaeus inmunditiam quandam qua auis in purgando corpore utatur.* Sic sane Plinius H. N. viii. 97 *Simile quiddam et uolucris in eadem Aegypto monstrauit, quae uocatur ibis, rostri aduncitate per eam partem se perluens qua reddi ciborum onera maxume salubre est.* Aelianus H. A. ii. 35 *Αἰγύπτιοι κλύσματα καὶ κάθαρσιν γαστρὸς οὐκ ἔκ τινος ἐπινοίας ἀνθρωπίνης λέγουσι μαθεῖν, διδάσκαλον δὲ σφίσι τοῦ ἰάματος τοῦδε τὴν ἶβιν ᾄδουσιν.* Cic. de N. D. ii. 126 *Vomitione canes, purgatu autem aluos ibes Aegyptiae curant.* Plut. de Is. et Osir. c. 75 *Ἡ δὲ ἶβις ἐδίδαξε πρώτη κενώματος ἰατρικοῦ χρείαν κατιδόντας οὕτω κλυζομένην καὶ καθαιρομένην ὑφ' ἑαυτῆς*, et multo uberius Georgius Pisida quem ad uersum 450 Saluagnius citauit. His ab omnibus Ibis aluum iniecta per rostrum aqua purgare creditur, falso id quidem, ut docet Sauignius † in libello quem de hac aue scripsit, sed tanto consensu ut merito idem error Callimacho inputetur. Quamquam nihil tam singulare ex uerbis Ouidii eliciendum est: tantum dicit auem aquam proicere qua corpus purget. At hoc mundae auis est; audio, sed ut sordes abluat quas ex limosa humo uel aqua semper colligit. Testis Aelianus x. 29 *Πανταχοῦ δὲ καθιεῖσα ἶβις τὸ ῥάμφος, τῶν ῥυπαρῶν καταφρονοῦσα καὶ ἐμβαίνουσα αὐτοῖς ὑπὲρ τοῦ καὶ ἐκεῖθέν τι*

* Simili modo creditur Hipponax Bupalum notasse *χαραδριὸν* uocando, quae auis *ἅμα τῷ ἐσθίειν ἐκκρίνει*, unde *μεσσηγυδορποχέστης ἤγουν ὃς μεσοῦντος δείπνου πολλάκις ἀποπατεῖ ὡς πάλιν ἐμπίπλασθαι* Eust. ad Odys. 1837 idem uocari poterat (Ten Brink in Philol. vi. p. 350).

† Histoire naturelle et mythologique de l'Ibis par Jules-César Sauigny, Paris 1805.

ἀνιχνεῦσαι, ὅμως δ' οὖν ἐς κοῖτον τρεπομένη λούει τε πρότερον ἑαυτὴν καὶ ἐκκαθαίρει. Nam ut est uoracissima, non aquis tantum et paludibus incedens pisces ranasque et quae limum incolunt absumit, sed et uiarum quisquilias et macellorum purgamenta: ut semper aliquid uorare uel quod uoret rimari uideatur. Aelian. H. A. x. 29 Πολυβορώτατον ὂν καὶ κακοβορώτατον. Strab. 823 de Alexandria loquens Ἡμερώτατον δ' ἡ ἶβις, πελαργώδης μὲν κατὰ σχῆμα καὶ μέγεθος, διττὴ δὲ τὴν χρόαν, ἡ μὲν πελαργώδης, ἡ δὲ ὅλη μέλαινα. μεστὴ δ' αὐτῶν ἅπασα τρίοδος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, πῇ μὲν χρησίμως, πῇ δ' οὐ χρησίμως· χρησίμως μὲν ὅτι πᾶν θηρίον ἐκλέγει καὶ τὰ ἐν τοῖς κρεοπωλίοις καὶ τοῖς ὀψοπωλίοις ἀποκαθάρματα· δυσχρήστως δέ, ὅτι παμφάγον καὶ ἀκάθαρτον καὶ δυσκόλως ἀπειργόμενον ἀπὸ τῶν καθαρίων καὶ τῶν ἀλλοτρίων μολυσμοῦ παντός. Nec ulla res constantius tradita est ab antiquis quam ibin uorare serpentes. Quod etsi nullo modo potest esse uerum, ut ex curatissima inquisitione Sauignius euicit, adeo peruulgatum est ut a plerisque etiamnunc pro uero habeatur. Nulli non innotuit fabula illa Herodoti ii. 75, 76, esse in confinio Arabiae et Aegypti locum iuxta urbem Buto ubi ineunte uere ex Arabia uolantes serpentes cum ibibus confligant; a quibus quia uincantur ibin inter Aegyptios magno in honore esse. Eam fabulam repetiuerunt Cicero de N. D. i. 101, Plinius H. N. x. 75, Aelianus H. A. ii. 38 fin., Amm. Marc. xxii. 15. 26, Solinus p. 162. 14 ed. Mommsen. Serpentium uoracem ibin dixerunt Diod. i. 87. 6, Ioseph. Antiq. ii. 10, Mel. iii. 81, Iuuen. xv. 3, Aelian. H. A. x. 29 qui et scorpios ab ea comedi tradit, Amm. Marc. xxii. 15. 26, Solinus 162. 11 M. *Circa easdem ripas ales est ibis. ea serpentium populatur oua gratissimamque ex his escam nidis suis defert: sic rarescunt prouentus fetuum noxiorum:* quos locos congessit Sauignius pp. 101, 2 et post eum Mayor ad Iuuen. xv. 3.

Neque uoracitas solum et quae cum hac coniungitur creberrima sui purgatio in Ibide notari poterat. Nam et incessu fuit lento et paene uirginali (Ael. H. A. ii. 38) ut crura singulis passibus cubitum inter se dimetirentur (Ael. x. 29), et pullos gignere coitu per os facto credebatur (Ael. x. 29 μίγνυνται δὲ τοῖς στόμασι καὶ παιδοποιοῦνται τὸν τρόπον τοῦτον, Amm. Marc. xxii. 15. 26 *per rostra fetus edere accepimus*), et diutissime uitam producere (Ael. x. 29) et intestino esse praeter modum prolixo (nonaginta sex cubitorum prodit Aelianus x. 29), et cum Luna quendam habere naturalem consensum, quod obscurata ea conjueret donec in plenum orbem reuerteretur (Ael. x. 29), et ex auctu eius uel diminutione cibum augeret uel diminueret (ii. 35), et tot diebus pullos ouis excluderet quot ea cresceret senesceretque (x. 29). Haec Callimachus ut erat in auium natura indaganda curiosus, scripsit enim librum περὶ ὀρνέων,* aut omnia aut partem adhibiturus erat, quo plenius in aue inimicum insectaretur. Qui quamuis foeditatem potissimum auis incesserit, in Apollonio id arguens cuius ipse ab Apollonio arguebatur (Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα)—idque in ibide insectatus quod in omnibus triuiis Alexandriae uidisse se Strabo testatus est, πᾶν θηρίον ἐκλέγουσαν καὶ τὰ ἐν τοῖς κρεοπωλίοις καὶ τοῖς ὀψοπωλίοις ἀποκαθάρματα—

* Fragmenta collegit O. Schneiderus Callim. ii. pp. 290–296.

non tamen hoc tantum ex aue deuouisse sed et alia crediderim propter uerba Ouidii *Et quibus* (*uotis*) *uolucris deuota est.* Haec enim uota non in unum aliquid, sed in multa inprecaturus erat. Nam ad iram taediumque mouendum, ipsa crebritas accessit, quod ibin necare capitale fuit (Herod. ii. 65, Cic. de N. D. i. 29. 82).

Venio ad Naucratin: nam et Apollonius Naucratites a nonnullis habitus est,* et ex Naucrati profectus est Theuth ille siue Hermes cui ibin dicatam idem Plato tradidit (Phaedr. 274). *Ἤκουσα τοίνυν περὶ Ναύκρατιν τῆς Αἰγύπτου γενέσθαι τῶν ἐκεῖ παλαιῶν τινα θεῶν, οὗ καὶ τὸ ὄρνεον τὸ ἱερὸν ὃ δὴ καλοῦσιν Ἶβιν· αὐτῷ δὲ ὄνομα τῷ δαίμονι εἶναι Θεῦθ. τοῦτον δὲ πρῶτον ἀριθμόν τε καὶ λογισμὸν εὑρεῖν καὶ γεωμετρίαν καὶ ἀστρονομίαν, ἔτι δὲ πεττειάς τε καὶ κυβείας, καὶ δὴ καὶ γράμματα.*

Quanta fuerit inter hunc Hermen et ibin coniunctio declarat Aelianus H. A. x. 29 *Καὶ τῷ Ἑρμῇ δέ φασι τῷ πατρὶ τῶν λόγων φιλεῖται, ἐπεὶ ἔοικε τὸ εἶδος τῇ φύσει τοῦ λόγου· τὰ μὲν γὰρ μελανα ὠκυπτέρα τῷ τε σιγωμένῳ καὶ ἔνδον ἐπιστρεφομένῳ λόγῳ παραβάλλοιτο ἄν, τὰ δὲ λευκὰ τῷ προφερομένῳ τε καὶ ἀκουομένῳ ἤδη καὶ ὑπηρέτῃ τοῦ ἔνδον καὶ ἀγγέλῳ, ὡς ἂν εἴποις.* Fuitque ibis † huius dei Theuth insigne, neque ita solum ut ille cum capite ibidis pingeretur et dei nomen ibis in ligno stans cum semicirculo et duabus lineis exprimeret, sed ut anni primus mensis Thoth uocaretur, litterarum Aegyptiarum prima ibis esset (Cic. de N. D. iii. 22. 56, Plut. Symp. ix. 2. 2).‡ Itaque Hermopoli, qua in urbe praecipue Theuth colebatur, porticus templi quod ibi maximum *ἰβικέφαλον* deum cum famulis ibide et simio insculptos gerebat: et illuc deportata esse cadauera ibium, sicut ad Buto accipitrum, narrat Herodotus ii. 67. *Ἴβεως Ἑρμαϊκῆς* pinnas in magicum usum adhibet scriptor arcanus ap. Parthey Zwei Zauberpapyri p. 127: nec minore cura ibin qui medicinae studebant quam Hermen, artis eius auctorem ac patronum, obseruabant. Sed et Lunae commune fuit Hermae cum ibide consortium, cum Plutarcho teste de Is. et Osir. 41 Hermes lunae insidens cum ea circuitum § faceret, Hermae simulacrum, tamquam Luni, lunula comitaretur; ibis autem cum lunae nomine Hah siue Ioh coniuncta reperiatur (Wilkinson iii. p. 165), et lunam diuersitate plumarum

* Athen. 283. Scripsit Apollonius libellum *Κτίσεις* in quo urbium origines celebrauit. Commemorantur Alexandria, Caunus, Cnidus, Naucratis (Clinton F. H. iii. p. 516); unde errore Naucratiten dictum putauit Weichertus. Sed non uideo cur eadem dubitatio non etiam in hos admittatur qui eum Alexandrinum uocarunt, cum etiam *Ἀλεξανδρείας κτίσιν* scripserit. Vero similius est natum Naucrati, eductum Alexandriae fuisse. Ab hoc libello Apollonii suspicor Ouidium nonnulla sumpsisse, cf. 539 Conditor *ut tardae Blaesus cognomine Cyrae.*

† Haec sumpsi de libro Wilkinsoni Manners and Customs of the Ancient Egyptians iii. pp. 165 sqq. Cf. Kreuzeri Symbolik ii. pp. 101 sqq. Sauignii Histoire de l'Ibis pp. 148 sqq.

‡ Plut. Symp. ix. 2. 2 *Ἑρμῆς λέγεται θεῶν ἐν Αἰγύπτῳ γράμματα πρῶτος εὑρεῖν. διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰγύπτιοι πρῶτον Ἶβιν γράφουσιν, ὡς Ἑρμεῖ προσήκουσαν, οὐκ ὀρθῶς κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν ἀναύδῳ καὶ ἀφθόγγῳ προεδρίαν ἐν γράμμασιν ἀποδόντες.* Constat Plutarchum litterarum Aegyptiarum numerum 25 fecisse, Is. et Osir. 56, sed harum prima utrum A fuerit, non liquet, praesertim cum ex pulcerrima dissertatione Emmanuelis de Rougé (Mémoire sur l'origine Égyptienne de l'Alphabet Phénicien, Paris 1874) B potius per Ibin significata uideatur. Eius libelli notitiam acceptam refero uiro illustrissimo Max. Muellero.

§ Plut. de Is. et Osir. 41 *ἐνιδρυμένον συμπεριπολεῖν.*

significarit (Plut. de Is. et Osir. 75, Clem. Strom. 242 *), et in conuiuiis Aegyptiorum cum accipitre pro luna ut is pro sole figurata fuerit et ab Aeliano sacrata lunae dicatur † (H. A. ii. 38).

Eandem Mercurii cum Aegyptia aue consociationem declarat fabula, quae apud Antoninum Liberalem 28, Ouidium M. v. 331, Hyginum P. A. ii. 28 extat. Qui sic narrat. *Aegyptii sacerdotes et nonnulli poetae dicunt, cum conplures dii in Aegyptum conuenissent, repente peruenisse eodem Typhona, acerrimum giganta et maximum deorum hostem. quo timore permotos in alias figuras se conuertisse; Mercurium factum esse ibin, Apollinem autem quae Threicia auis uocatur, Dianam aeluro similatam. quibus de causis Aegyptios ea genera uiolari non sinere demonstrant, quod deorum imagines dicantur.*

Callimachum igitur credo per ibin potissimum significasse Apollonium, quod, ut Apollonius, circa Naucratin uersaretur, et haberet quae in Apollonii gestibus habituque morderentur, et eundem tamquam falsum quendam Hermen siue Hermae famulum repraesentaret. Nam siue scriba ipse uel pater fuerat, Hermes ille ἱερογραμματεὺς deorum habebatur; siue in carminibus nouum aliquid et intentatum affectarat, ad Hermen redierunt γράμματα (Phaedr. 274) et quidquid ad homines excolendos per litteras fit. Certe non desunt in Argonauticis, ut hodie leguntur, Apollonii quae peculiare artificium sapiant; praecipue in ordine quo litterae conectuntur, uocabula se excipiunt, unde distinctior uersuum rhythmus fit et quasi per articulos expressior. Id singulare munus Hermae siue Theuth Aegyptio Plato tribuit in Philebo 18, ut litterarum tria genera, uocales (φωνήεντα), mutas (ἄφωνα), medias (φωνῆς μὲν οὔ, φθόγγου δὲ μετέχοντά τινος) discerneret; neque a uero abhorret hoc in Apollonii carminibus Callimacho displicuisse, quod uocalibus modo inter se copulatis, modo artificiosius dispositis, consonantibus ita distributis ut nihil in uersu nisi ex proposito asperius sonaret, nouam quandam artem inducere uideretur.† Quod siquis obiciat hoc prae omnibus Callimacheum esse, non ideo cadit coniectura, nam idem in perpolito carmine exquisitum poterat, in adulescentis incohato opere putidum uideri.

Unum praetermittendum non erat: Callimachum in insectanda

* Plut. de Is. et Osir. 75 Τῇ δὲ τῶν ποδῶν διαβάσει πρὸς ἀλλήλους καὶ τὸ ῥύγχος ἰσόπλευρον ποιεῖ τρίγωνον· ἔτι δὲ ἡ τῶν μελάνων πτερῶν περὶ τὰ λευκὰ ποικιλία καὶ μίξις ἐμφαίνει τὴν σελήνην ἀμφίκυρτον. Vide Partheyum in loc. Clem. Strom. 242 S. Ἡ δὲ Ἶβις (σύμβολον) σελήνης, τὰ μὲν σκιερὰ τῷ μέλανι, τὰ δὲ φωτεινὰ τῷ λευκῷ τῶν πτίλων εἰκαζόντων.

† Aelian. H. A. ii. 38 Ἱερὰ τῆς σελήνης ἡ ὄρνις ἐστί. τοσούτων γοῦν ἡμερῶν τὰ ᾠὰ ἐκγλύφει, ὅσων ἡ θεὸς αὔξει τε καὶ λήγει. τῆς δὲ Αἰγύπτου οὔποτε ἀποδημεῖ. τὸ δὲ αἴτιον, νοτιωτάτη χωρῶν ἁπασῶν Αἴγυπτός ἐστι, καὶ ἡ σελήνη δὲ νοτιωτάτη τῶν πλανωμένων ἄστρων πεπίστευται. 'Tehuti represents the Moon, which he wears upon his head, either as crescent or as full disk; and as our word *moon* is derived from the root *má*, 'to measure,' . . . . we shall not be surprised if we find a very similar account of the etymology and attributes of Tehuti. There is no such known Egyptian word as *tehu*, but there is *teχu*, which is a dialectic variety, and is actually used as a name of the god. This form supplies us with the reason why the god is represented as an ibis. As Seb is the name both of a goose and of the earth-god, so is Techu the name of an ibis and of the moon-god. Tehuti probably signifies, as M. Naville has suggested, the "ibis-headed."' Renouf, Religion of Ancient Egypt, p. 116.

ibide ab Aegyptiorum ritu ac more discessisse. Hi enim tamquam sacram uenerabantur; atque adeo non inmundam ducebant ut qua ex aqua ibis bibisset, eam solam in sacris adhiberent (Ael. H. A. vii. 45). Quod igitur ibin induxit tamquam dignam deuotionibus, Graecos secutus uidetur; nam sic Aristophanes dixerat Ἶβις Λυκούργῳ, ut alienum et Aegyptium notaret. Ergo aut Graecus origine Apollonius non fuit, quod fortasse declarat rarius inter Graecos nomen patris Hillei siue Sillei (Vit. ap. Keil. p. 534), aut eum Callimachus tamquam βαρβαρίζοντα nec satis Graece sapientem notare uoluerat. Nam quo magis ipse locutionem affectabat cuius et exquisita et uere Graeca et tamen propria forma esset, hoc acrius in discipulo insectaturus fuit quodcumque uel sordere uel nimis magna spirare, uel denique ita ad suas artes accedere iudicarat, ut eas tamen per imitationem traduceret. Neque hoc ideo inprobes, quod Apollonius postquam Rhodum secesserit, uere Graecus poeta euaserit. Nam quo diutius inter Graecos commoratus est, hoc plus se excolebat. Qui si in Ibide tamquam *Aegyptius* diffamatus est a Graeco et βαρβαρίζων, potuit Callimachus ut inerudito doctrinam, sic Aegypto Alexandriam opponere. An et Serapin, qui deus ab Alexandrinis potissimum colebatur, ceteris Aegyptiorum numinibus opposuit? Certe in anulis qui Serapidis caput insculptum gerunt inscriptus titulus dicitur a Kingio (Antique Gems p. 340) his uerbis ΝΙΚΑΟ CΑΡΑΠΙC ΤΟΝ ΦΘΟΝΟΝ. Hoc si tamquam proprium munus Serapis habuit, id autem non semel in Callimachi scriptis inuenitur ut Liuorem uel Inuidiam a se amoliatur, in huius quoque Ibide, sic ut in Ouidiana, latuit fortasse relligio.

IV.

Contra inimicum suum, quisquis fuit, tanto magis Ouidius saeuiturus erat, quanto maiorem iniuriam ulciscebatur. Nam Callimachus riualem ludebat potius quam oderat, eumque exulem fecit, non ipse exul ab eo factus est. Ouidio quae grauior poterat accidere iniuria? Vidit se ex summa fortuna ac felicitate deiectum repente; Roma abire iussus est sed et hieme et in locos desertos; publicus poeta ex omnium conspectu secessit. Nam Cyrenaeum quidem populares sui norant, norat Alexandria; potuit etiam Athenas et in Asiam insulasque fama peruenire. At Ouidium totus terrarum orbis, omnis urbs Romanis subdita celebrabat: tantumque inter aequales eminebat, ut post Vergilium Horatiumque tamquam unicus poeta spectaretur. Iam recordare qualis uir fuerit, quanto cultu, quam exquisita arte, studio, doctrina; rursus quam simplex candidusque, plane, quod dicit Plato (Rep. 495), ὑπὸ φυγῆς καταληφθὲν γενναῖον καὶ εὖ τεθραμμένον ἦθος. Nam ut ipse testatur Trist. ii. 563 sqq.

Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam,
 Nec meus ullius crimina uersus habet.
Candidus a salibus suffusis felle refugi.
 Nulla uenenato littera mixta ioco est.
Inter tot populi, tot scripti millia nostri,
 Quem mea Calliope laeserit, unus ego.

Tam grauiter laesum quis miretur ultra modum indoluisse? Illud potius admiror, tam neglectum iacere carmen quo inmortale odium consecrauerit. Quod quamquam prope dimidia parte adeo obscurum est ut per nebulas tantum pleraque imaginet, in uersibus quibus inimicum deuouit nec uigorem Ouidii nec elegantiam desideres. Praeterea unus hic liber Dirarum, praeter Valerii Catonis, in manibus est: nam Graecorum Ἀραὶ perierunt.

Ex Callimachi Ibide quantum sumpserit Ouidius, incertum est, cum ne unum quidem fragmentum ex ea supersit. Saluagnius, adulescens pereruditus et cui multum tribuo ob iudicium, si annos spectes, singulare (si modo absoluit in Ibin commentationes annum agens uicesimum) totam Ouidii Ibin ex Callimachea expressam credidit. Verum id quidem non potest esse, si recte u. 449 interpretantur *Et quibus exiguo uolucris deuota libello est*, nam uolucrem nusquam Ouidius deuouit. *Historias* tamen, si quae in Callimachi libello *caecae* inerant, credibile est eum transtulisse. Sed ex tanta fabularum serie quae uu. 251–636 leguntur, paucae tantum inde uenire poterant, siue epigrammatis modum, siue longioris nec tamen magni libri conplexa est. Sed et Ibin et Αἴτια et alia fortasse scripta Callimachi secum in exilium Ouidius tulerat; nam Leutschio assentior memoriter non tenuisse, praesertim obscurissima et quae facillime memoriam fugerent. Certe ex Callimacho * traxit historiam de Eteocle et Polynice quae bis Ib. 35, Trist. v. 5. 33 narrata est.

Consilio commune sacrum cum fiat in ara
  Fratribus alterna qui periere manu,
Ipsa sibi discors, tamquam mandetur ab illis,
  Scinditur in partes atra fauilla duas.
Hoc, memini, quondam fieri non posse loquebar,
  Et me Battiades iudice falsus erat.

Ex Callimacho etiam fluxisse uidetur historia de Simone Thessalo Eurydamantem *circa busta Thrasylli* (Ib. 331) raptante, ut testatur Schol. Il. xxii. 397, siue ex Ibide ut Bentleio uisum est, siue ex Aetiis ut post Bergkium Schneidero (p. 627); de seruato Simonide, cum Scopas, ex Aleuadarum ortus sanguine, ruina domus extingueretur (Ib. 511, Callim. fr. 71 Schn.); de Limone (fr. 457); de Erysichthonis fame, qua nihil nobilius Callimachus scripsit (H. Cer. 33 sqq.), de Cleombroto (Ep. 25).

Ex Aetiis sumpta sunt uel poterant sumi haec: Minos a Cocali filiabus interfectus (fr. 5), Hippolyti exitus (fr. 7), Trasus in templo a canibus Deliis laceratus (fr. 9), Aiax Oileus propter uiolatam Cassandram ictus fulmine iuxta Euboeam (fr. 13^{d}), Coroebus (fr. 13^{e}), Phalaris et Perillus, si fides est Plutarcho seu quis alius Parallela scripsit (fr. 25). Haec enim in Aetiis fuisse ueteres tradiderunt, ut Bentleius demonstrauit. Sed et conplures alias historias quas Ibidi suae intexuit, Ouidium hinc sumpsisse uero simile fit ex eis quae Schneiderus disputauit Callim. ii. pp. 35–116. Velut in primo libro,

* Hanc Heckerus ad Ibin, ad Αἴτια post Ruhnkenium Schneiderus Callim. ii. p. 626 retulit.

ubi ludorum origines Callimachus narrasse creditur a Bernhardyo et Schneidero, potuit de Nemeis loquens mentionem inicere Archemori (Ib. 483); de Isthmiis, Inus et Melicertae (Ib. 497); de Argiuis, Glauci Potniensis (Ib. 555), Danaidum (355), Psamathes Lini Coroebi (Ib. 573, 480, 575), de Troicis, Patrocli (Ib. 375). Nolo nimium insistere ambiguis; nec cum Schneidero *ἀεροβατεῖν*. Satis tamen etiam ex Anth. P. vii. 42 edocemur quot mythos mythorumque causas Aetiis suis Callimachus intexuerit.

Τοῖα γὰρ ἄμμιν ἔφηνας, ἅ τ' οὐ πάρος ἀνέρες ἴδμεν,
Ἀμφί τε ἀθανάτους, ἀμφί τε ἡμιθέους,
Εὖτέ μιν ἐκ Λιβύης ἀναείρας εἰς Ἑλικῶνα
Ἤγαγες ἐν μέσσαις Πιερίδεσσι φέρων,
Αἱ δὲ οἱ εἰρομένῳ ἀμφ' ὠγυγίων ἡρώων
Αἴτια καὶ μακάρων εἶρον ἀμειβόμεναι.

Iam si cum Ibide conferas Tristia et Epistulas ex Ponto, communes cum hac certas quasdam inuenies fabulas, ut de Telephi hasta quae Achillem eadem uulnerauit et sanauit (Ib. 255, Trist. i. 1. 99, ii. 19, 20, Pont. ii. 2. 26), de Busiride, Antiphate, Cassandreo, Alex. Pheraeo, Phalaride, Theromedonte, Atreo, Diomede (Pont. iii. 6. 41–44, ii. 9. 41–44, i. 2. 53) de Encelado sub Aetna sepulto * (Ib. 597, Pont. ii. 10. 24), de flammis in ara Eteoclis et Polynicis numquam coeuntibus (Ib. 35, Trist. v. 5. 33), de Scirone Sinide Polypemone quos Theseus exstinxit (Pont. iv. 10. 79, 80, Ib. 407–412).

Harum si una certe, de flammis in ara fratrum numquam coeuntibus, ex Callimacho sumpta est, non aliunde etiam ceterae duci potuerunt. Suntque pariter Ibidi Tristibus Epistulis communia cum Callimacho quae de *candore* suo (Trist. v. 3. 53, Pont. iv. 14. 43, Ib. 8), *liuore* inimicorum iterat Ouidius (Pont. iii. 3. 101, iv. 16, 47). Nam Apollonium Callimachus non semel tamquam sui inuidum tetigit, ut H. Ap. 107, Ep. 23. 4 *Ὁ δ' ἤεισεν κρέσσονα βασκανίης*, fr. 292 *Ἔλλετε, βασκανίης ὀλοὸν γένος.* Eodemne reuocanda sint tot supplicia *repertorum* quae in Ouidiana Ibide commemorantur,† non affirmarim. Duo certe horum genera illic proueniunt. (1) *Artium* repertores. Prometheus qui ignem inuenit Ib. 291, Perdix qui serram 498, Thamyras qui modos Dorios 272, Amphion qui Lydios 583, Marsyas qui Phrygios et geminas tibias 552, Amphiaraus qui ignispicia 354, Tiresias qui auspicia auium 263, Lycaon qui inducias et ludos gymnicos 327, Icarus qui uinum facere 611, Palamedes qui litteras, uigilias, alea ludere 619, Archilochus qui iambum 525, Glaucus qui herbam *ἀθανασίας* 556, Orpheus qui inlicito amore uti 600. (2) *Suppliciorum.* Thrasius *sacri mostrator iniqui* 397, Perillus et Phalaris 437–

* Callim. fr. 382 *Τριγλώχιν ὀλοῷ νῆσος ἐπ' Ἐγκελάδῳ.*

† Quae secuntur sumpsi ex Plin. H. N. vii. 191 sqq. Sed scripserunt *περὶ εὑρημάτων* conplures, quos recenset post Bentleium (Dissertation upon Phalaris ii. p. 126 ed. Dyce) in libello *De Rerum Inuentarum Scriptoribus Graecis* Christophorus Brusskern, Simonides Ceus, Ephorus Cumanus, Aristoteles, Heraclides Ponticus, Theophrastus, Philochorus Atheniensis, Strato Lampsacenus, Scamo Mitylenaeus, Antiphanes, Cydippus Mantinensis, Aristodemi duo, Clemens Alexandrinus; quibus adde Hyginum Fab. 274 et 277, qui ex iis quos Ouidius memorauit unum Perdicem nominat.

440, Diomedes 401, Sciron Sinis Polypemon Procrustes Cercyon 407–412. Sed Ouidius quamquam in simili causa similes fabulas tractaturus erat, latius Callimacho uagatus, multa in suos usus conuertisse uidetur quae aliunde proueniebant. Nam et in Lycophronis Alexandra, quam ex Ib. 531 Ouidium perlegisse crediderim, extant multae ex Ibidis fabulis notioribus, uelut Myrtilus ab Oenomao praecipitatus in mare 164, Hector ab Achille tractus 260 sqq., mors Priami 335, naufragium Graecorum et Aiacis Oilei propter uiolatam Cassandram 357–395, excaecati Phoenix 423 Polyphemus 765, fulminatus Capaneus 436, occisus ab apro Calydonio Ancaeus 486, Vlyssis sociorum mortes ad Scyllam et Charybdin, apud Polyphemum et Laestrygonas 648 sqq., ipsius naufragium 740 sqq. et mors ex aculeo trygonis 796, Glaucus ex Anthedone 754, de Myrrha et Adonide 829 sqq., homines in saxa conuersi a Gorgone 845, castratus Vranus 762, 869, Philoctetes ab hydra morsus 912, Herculem in Oeta comburens 916, exitium Comaethus 934, 5, Melanippi cerebrum exsuctum a Tydeo 1066, Nauplii dolus circa Caphareum 1093 sqq., quo Palamedis mortem ultus est 1097, Agamemnon a Clytaemnestra interfectus 1099–1105 cum Cassandra 1110–1117, Hecubae fatum 1174–1188, Absyrti interfectrix et natorum suorum Medea 1319. Sed et nonnullae insunt ex obscurioribus: e. g. Achilles Iphigeniam quaerens ad Leuken Akten 185 sqq., Tennes cum Hemithea in arcam inclusi 235, Aiacis Telamonii unicum uulnus 457, Phoenodamantis filiae expositae leonibus in Sicilia 470 sqq., Tiresiae iocosa lis 682, Aegialeae adulteria 612–614, mors Heraclis, Alexandri M. filii, 801–804, quam ego historiam in Ib. 308 subodoratus sum, Setaeae uirginis ad scopulum fixae cruciatus 1075–1080, imago Palladis oculos cludens ne Siritanos a Crotoniensibus interfectos uideret 985, Erysichthonis inexpleta fames 1389. Quid quod Lycophronis consuetudine nomina, ubicumque posset, supprimendi (Bachmannus ad Lyc. p. 209) et Ouidius usus est? Nam in Alexandra quidem nonnisi per tenebras cernuntur omnia; nec nomina tantum, sed res etiam adeo latent nube uerborum, ut prae hac Callimachi quoque ambages et Ouidii aenigmata in clara posita luce uideantur. Cuius rei facilis ratio est, cum hi quos significant, non raro ex propinquis ac genere descripserint, ille ne propinquorum quidem nomina nisi per ambages induxerit. Quid quod παρωνομασίᾳ interdum et hic et illi luserunt? Nam quod in Ouidiana Ibide Prometheus tamquam *parum Metis*, uti enotauit Sanctius, Telegonus per *teli genus* significatur, similia inuenies ap. Lyc. 960 μονοικήτους ἕδρας ubi subauditur κῆτος et Callim. Ep. 28. 5, 6.

Neque illud omittendum quod iis uerbis nonnumquam concipiuntur historiae quae non uni conueniant. Hoc et ex Scholiis patebit et Commentario. Extabantque non pauca huiusmodi, si modo fides est opusculo Plutarcheo quod παράλληλα inscriptum est. Quod quamuis Plutarcho indignum ut est sic iudicetur a Cobeto Coniect. Graec. p. 502, non inutile duco Romanorum proferre nomina qui Graecis, Graecorum qui Romanis similes casus subiisse in eo dicuntur. Itaque Parall. 5 similis historia de Anchuro quae de Curtio tradita est, 6 de Valerio Conato quae de Amphiarao, 7 de Pyraechma quae de Metto

Fuffetio, 9 de Icariis Romano altero, altero Graeco, 10 de Cassio Bruto quae de Pausania, 22 de Valeria Tusculanaria quae de Myrrha, 24 de L. Thymbri, Rustio, Gestio quae de Hecuba, Polydoro, Polymestore, 26 de Mamerco et Siluia quae de Meleagro et Althaea, 28 de Papirio et Canulia quae de Macareo et Canace, 34 de Cominio quae de Hippolyto, 37 de Fab. Fabriciano quae de Agamemnone, 38 de Fauno interfecto ab Hercule quae de Busiride, 39 de Aemilio Censorino et Aruntio Paterculo aenei equi repertore quae de Phalaride et Perillo aenei tauri fabricatore, 40 de Annio sese in Anienem praecipitante quae de Eueno in Lycorman. Et haec et quaecumque similia tunc legebantur, qualia dicit Artemidorus Oneirocrit. iv. 63 citatus a Meinekio Anal. Alex. p. 258 Εἰσὶ γὰρ καὶ παρὰ Λυκόφρονι ἐν τῇ Ἀλεξάνδρᾳ καὶ παρὰ Ἡρακλείδῃ τῷ Ποντικῷ ἐν ταῖς Λέσχαις, καὶ παρὰ Παρθενίῳ ἐν Ἐλεγείαις, καὶ παρὰ ἄλλοις πολλοῖς ἱστορίαι ξέναι καὶ ἄτριπτοι, cuius generis inter Romanos Cinna Smyrnam ediderat librum *obscurum adeo ut et nonnulli eius aetatis grammatici in eum scripserint magnamque ex eius enarratione sint gloriam consecuti* (Philargyr. ad Ecl. ix. 35), iam innotuisse Ouidio reor cum* Metamorphoses scribebat. Id opus Roma exiens inperfectum reliquerat, atque *ipse* sua posuerat *maestus in igne manu* (Trist. i. 7. 16), postea tamen conperto non esse penitus sublatum sed extare pluribus scriptum exemplis (ib. 23, 24), ipse seruatum uoluit praeposuitque sex illos uersus (Trist. i. 7. 35–40) *Orba parente suo quicumque uolumina tangis, His saltem uestra detur in urbe locus. Quoque magis faueas, non haec sunt edita ab illo, Sed quasi de domini funere rapta sui. Quidquid in his igitur uitii rude carmen habebit, Emendaturus, si licuisset, eram.* His intexuerat prope omnes fabulas quae in Ibide reperiuntur, unde non raro eisdem uerbis eaedem in ambabus recurrunt. Has in Ibin transferens quam normam adhibuerit, quid respiciens modo hoc adsumpserit, modo illud reiecerit, difficilis est quaestio. Sed in uniuersum eas uidetur elegisse quae miserrimum genus siue mortis siue tormenti haberent, unde multas quibus hoc non inest praetermisit. Huiusmodi suppliciis abundabant Graecorum tragoediae. Ael. V. H. iii. 29 Διογένης ὁ Σινωπεὺς συνεχῶς ἐπέλεγεν ὑπὲρ ἑαυτοῦ, ὅτι τὰς ἐκ τῆς τραγῳδίας ἀρὰς αὐτὸς ἐκπληροῖ καὶ ὑπομένει· εἶναι γὰρ Πλάνης ἄοικος πατρίδος ἐστερημένος Πτωχὸς δυσείμων βίον ἔχων ἐφήμερον. Quarum etsi maxima pars periit, argumenta extant apud Hyginum, cuius fabulae permultis locis Ibidi lucem offundunt. Legeratque Hyginus Ouidianam Ibin, ut ex Fab. 123 collegit Schmidtius:

* Certe quae res Ibin eadem Metamorphoses obscurat, crebrior usus patronymicorum. Sed et papponymicis atque etiam mammonymicis taedium uitauit: de qua re uide Meinek. Anal. Alex. pp. 70, 71 'Omnino satis frequens est papponymicorum usus. Ita Perseus apud Ouidium Metam. iv. 771 a proauo uocatur Agenorides. De Protesilao Phylacide idem adnotauit Hemsterhusius ad Lucian. p. 426. Atque ipsum illud Αἰακίδης de Aiace usurpatum attulit grammaticus Crameri Anecd. iv. p. 326, 25. Cf. Suidas s. v. Ἀλκείδης. Nec desunt mammonymicorum exempla, ex quo genere est Λητοΐδης de Aesculapio dictum ab Hesiodo Fragm. ed. Marckscheff. CI. p. 317

πατὴρ δ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Χώσατ' ἀπ' Οὐλύμπου δὲ βαλὼν ψολόεντι κεραυνῷ
Ἔκτανε Λητοΐδην, φίλον σὺν θυμὸν ὀρίνων.

In quibus praeter φίλον nil corruptum.'

ibi enim de Neoptolemo dicens adicit *cuius ossa per fines Ambraciae sparsa sunt, quae est in Epiri regionibus*, cf. Ib. 303, 4.

V.

Ventum est ad distributionem fabularum. Hic non unam semper rationem secutus est Ouidius, sed cum ea quam prae caeteris amauit, etiam alias coniunxit. Potissimum tamen id elaborauit, (i.) *ut simul commemoraret eodem supplicio affectos*. Et hic multo maximus numerus est. Recenseantur.

(1) Caecati.
Phoenix, Oedipus, Tiresias, Phineus, Polymestor, Polyphemus, Phinidae, Thamyras, Demodocus (259–274).

(2) Aquis mersi.
Ceyx, Ulixes (275–278). His post addidit Leandrum, Comicum, Palinurum (589–594). Nam Graios ab Ilio reuertentes et Aiacem Oilei, quamquam naufragio perierunt, aliter induxit, tamquam scopulis laceratos uel igni pariter atque aqua exstinctos.

(3) Cinere uel harena hausti.
Sardanapalus, Ammonis templi uiolatores, occisi a Dareo II. (311–316).

(4) Proditione caesi.
Hermias, Alexander Pheraeus, Aleuas Larisaeus (319–324).

(5) Equis raptati.
Eurydamas, Hector, Limones adulter (331–336).

(6) Qui scopulis fixi uel icti fulmine in mari perierunt.
Grai ab Ilio, Aiax Oilei f. (339–342).

(7) Insani.
Aiax Telamonis f., Lycurgus, Hercules, Athamas, Orestes, Alcmaeon (343–348).

(8) Qui propter mulieres supplicia passi sunt (349–372).
a. A coniugibus adulteris. Diomedes, uir Locridos, Amphiaraus, Agamemnon, Aegypti filii (349–356).
b. Propter incestum.
(*α*) Sororum. Caunus, Macareus (357, 8).
(*β*) Filiarum. Thyestes, Cinyras, Epopeus (359, 360).
c. A filiabus proditi amantibus inimicos.
Pterelas, Nisus, Tarquinius (361–364).
d. Caesi propter sponsam quam cursu contendentes petebant.
Proci Hippodamiae, Atalantes, cumque his Oenomaus et Myrtilus (365–372).

(9) Qui homines tamquam uictimae perierunt.
Caesi a Minotauro, in Patrocli funere, a Sphinge, in templo Bistoniae Mineruae, a Diomedis equis, a Therodomantis leonibus, in sacrificio Dianae Tauricae (373–384).

(10) Circa Ulixen qui perierunt.
Ad Scyllam et Carybdin, a Polyphemo, a Laestrygonibus, proci Penelopes (385–388, 391, 2).

(11) Caesi ab Hercule.
Antaeus, Busiris, Diomedes, Nessus, Eurytion (393–4, 399–404).
His praemisit qui earundem fabularum in orbe partes habent, interfectos ab Antaeo, Lemnios a coniugibus necatos, Thrasium (395–398).

(12) Caesi a Theseo.
Corynetes, Sinis, Sciron, Polypemon, Minotaurus, Pityocamptes, Cercyon (405–412).

(13) Propter inopiam uel famem pessum dati.
(*a*) Achaemenides, Irus (415–418).
(*b*) Quorum fames modum et fas excessit.
Erysichthon, Tydeus, Thyestes, Lycaon (425–432).
(*c*) Qui famem aliorum comesi expleuerunt.
Pelops, Telei puer (433, 4).
His adiunxit propter membra discerpta Absyrtum (435, 6).

(14) Aere cocti.
Perillus, Phalaris, Pelias (437–442).

(15) Terra hausti.
Curtius, Sparti (443–446).

(16) Diris deuoti.
Menelaus ab Euphorbo, Ibis uolucris a Callimacho (447–450).

(17) Cultris caesi.
Osiris, Galli, Attis (451–6). His subnexuit uiolatores Magnae Matris, Hippomenem et Atalantam (457, 8).

(18) Arca inclusi et in mare proiecti.
Perseus, Tennes (463, 4).

(19) Fulminati.
Capaneus, Aesculapius, Semele, Iasion, Phaethon, Salmoneus, Lycaonis filius, Macedon (469–476).

(20) Laniati canibus.
Trasus, Actaeon, Linus (477–480). Post adiunxit Euripidem (595, 6).

(21) Anguium morsu perculsi.
Eurydice, Archemorus, Laocoon (481–484). Prius dixerat de Philocteta (253, 4) et Eurylocho (287, 8).

(22) Praecipitati.
Elpenor (485, 6), Lichas, Cleombrotus, Aegeus, Astyanax, Ino, Perdix, Lindiae (491–500). Prius dixerat de Echecratide (285, 6). Lichae subnexuit Thiodamanta et Cacum pariter ab Hercule caesos propter inhumanitatem (487–490).

(23) Caesi a feris.
(*a*) Leonibus.
Phalaecus (Apesantus?) (501, 2).
(*b*) Apris.
Ancaeus, Adonis, Idmon, Thoas (?), Attis (503–508).

(24) Qui in fluuios se praecipitarunt.
Euenus, Tiberinus (513, 514).
(25) Qui scriptis exitium sibi pepererunt.
Callisthenes, Archilochus, scriptor carminis in Athenienses, Timocreon (?) (519–526).
(26) Quibus membra mutilata sunt.
Pentheus, Dirce, Philomela (533–538). His post adiunxit Mamertam (547), Orphea (600).
(27) In saxa uersi.
Niobe, Battus (585, 6), et ante hos a Medusa interfecti (553).
(28) Qui igne membris inplicito combusti sunt.
Meleager, Creusa, Hercules (601–606).
(29) Qui noctu perierunt.
Dolon, Rhesus (627–630), Ramnes cum suis (631, 2).

(ii.) Alterum genus est eorum *qui eiusdem nominis fuerunt.*
Pyrrhi (301–8), Aiaces (341–344), Hippomenes uir Atalantae, Hippomenes Limones adulter (457–460), Glauci tres (555–558).

(iii.) Tertium, eorum *qui eiusdem familiae fuerunt.*
Thessalus, Eurylochus (285–288); Philippus, Alexander (295–298); Hippodamia, Oenomaus (365–368); Antaeus, Busiris (395, 399); Amphion, Niŏbe, cum filiis filiabusque 14 (581–584); Icarus, Erigone (611–614).
Sed ex his Hippodamia cum Oenomao, Antaeus cum Busiride, denique Icarus cum Erigona etiam primae classi adsignantur, tamquam eodem mortis genere adfecti.

Restant historiae quarum inter se conexum uix certo explices. Nam interdum nullo uinculo cohaerent nisi quod unius fabulae pars sunt: sic coniunguntur Philoctetes, Telephus (253–256), qui ambo in Cypriis legebantur (Kinkel Ep. Graec. Fragm. pp. 18, 19); Vlysses et Anticlus (567–570), quos uidetur simul commemorasse ex Odyssia (Od. xi. 134, iv. 285–289), quamquam ibi nec Vlysses a Telegono occisus, nec Anticlus periisse traditur; Crotopus et Argiui quos Poena occidit (573–576), quorum mentionem fecerat Callimachus (fr. 315, fortasse in Ibide), et fecisse uidetur Antimachus in Thebaide, si quidem inde in suum epos transtulit fabulam Statius Theb. I. 570 sqq.; Thiodamas et Cacus (486–490) quos ob inhumanitatem interfecit Hercules; 617–624 ad Vlyssem omnes referuntur, nisi quod interiecta est ignota fabula Aethali. Ex reliquis sunt quarum nexum in Commentario expedire conatus sum; multo tamen plures eiusmodi sunt ut obscuriore filo copulatae ordinem aut nullum aut certe latentem sequantur.

Sed in uniuersum mortes generatim non ordinauit ante u. 331, nec post 508. Contra intra hos terminos secuntur ordine distributo ac paene certo, nisi quod quattuor fabulis de Vlysse addita est post tertiam poena quam de Acerranis Hannibal exegit (389–390); post mutilatos Osirin, Gallos, Attin, Hippomenes Atalantae uir et eiusdem nominis adulter Limones, tum et Cassandreus commemorantur (459–462); post Perseum et Tennen arca inclusos, nescio quam ob causam Theudotus ad aram Phoebi mactatus, et Abderitarum κάθαρμα

adiuncti sunt; denique post Elpenorem nimio uino delapsum Dryopes et Cacus cum Licha pariter ab Hercule caesi, quamuis alia morte, inlati sunt.

Notabilis est in Ouidiana Ibide bis terue repetita de eisdem fabula, neque ea Scholiastas fefellit. Nec quicquam totiens elaborarunt quam ut repetitorum nominum rationes inuenirent. Nam bis induxit Prometheum (291, 543): bis Lycaonem (327, 431): bis Limonen, (337) ubi adulteri poenam narrat, (459) ubi ipsius Limones: bis Herculem et Oresten, ob insaniam (347, 8), mortes (605, 527); bis Attin (455, 507), Astyanacta (496, 564), Adonin (503, 565); ter Vlyssen, propter naufragium (277), mortem ex Telegono (567), periculum ex Euryclia (623); bis Danaides (177, 356), bis Canacen (357, 562), Myrrham (360, 566), Polyphemum (269, 387), hic Vlyssis socios comedentem, illic ab Vlysse excaecatum. Rursus post commemoratum Tydei facinus (428), Menalippum, in quem hic saeuiit, induxit (515); post Polymestorem ab Hecuba lumine orbatum (267), Polydorum quem hic interfecit (579); post Atalantae procos (371), ipsam Atalanten in leonem conuersam (457); post Eurydicen angue absumptam (482), Orphea a Strymoniis matribus dilaniatum (600).

Hic subicienda est mortium series quibus *singuli* perierunt.

(30) Lapsus ex equo per aerem. Bellerophon (257, 8).
(31) Castratio. Vranus (273).
(32) Distractio per equos in diuersum. Mettius Suffetius (279, 280).
(33) Tormentum ex resectis palpebris et insomnia. Regulus (281).
(34) Ad aras interfectio. Priamus (284). Ad aras etiam hi perierunt, Theodotus (466) et Aethalos (622): sed ille sacrificatus, hic, ut uidetur, telis obrutus.
(35) Mors ex calida aqua. Minos (289).
(36) Exitium ex παιδικοῖς. Philippus uel Archelaus (297).
(37) In puteum coniectio. Acerrani (389). Eadem aut certe similis mors Milonis (325, 6).
(38) Post uulnera ingesta humo sepultura. Cassandreus (461).
(39) Lapidatio. Deuoti Abderitanis (468).
(40) Ruina domus. Scopas (512).
(41) Cerebrum exsuctum. Menalippus (515).
(42) In cauea inclusio. Callisthenes (519).
(43) Mors ex prima nocte coniugii. Eupolis cum uxore (529).
(44) Oculi apibus confixi. Vates Achaeus (541).
(45) Pellis detractio. Marsyas (551).
(46) In melle submersio. Glaucus (558).
(47) Piscis aculeus. Vlysses (568).
(48) In mortario contusio. Anaxarchus (572).
(49) Ictus disci. Hyacinthus (588).
(50) In arborem compressio. Milo Crotoniata (609).
(51) In aede occlusio. Pausanias (616).
(52) Corpus semicrematum. Alcibiades (633).

Praeterea multos induxit separatim, qui in aliquo genere cum

aliis commemorandi erant: e.g. Philocteten, Telephum (253–256); Bellerophontem (257) Thessalum (285) Echecratiden (293) Glaucum (556) praecipitatos; Eurylochum (287) Oresten (527) anguibus morsos; Alexandrum (299) Pyrrhum (307) Socratem (559) uenenatos; Achaeum (299), Syracosium poetam (549) suspensos; Pyrrhum, Deidamian (303–307), Lycophrona (531), Amphiona cum filiis et filiabus (581–584), Remum (635) missilibus interfectos; Leuconem (309), qui iis adnumerandus erat qui per adulteram coniugem ceciderunt; Sicyonium (317), scriptorem carminis quo Athenae laesae (523), fame absumptos; Lycaona (327) fulminatum, Mithridaten (329) destitutum; Limonen (459) Glaucum (555) ab equo morsos; Corcyraeos ab externis caesos (510); Brotean (517) Empedoclem (597) in ignem sese conicientes; Battum (540) exulem in longinquas terras actum; Anticlum (570) fauce constrictum; in lapidem conuersos, Cephenas (553), Nioben (585), Battum (586); Haemona et Macareum (561, 2) interfectores sui; Argiuos (575) et Thebanos (378) hos a Sphinge, illos a Poena absumptos; Hippolytum uisa belua deiectum curru ac laceratum (577).

Huiusmodi supplicia quotiens perlego, subit animum recordatio poenarum, quas Mithrae sacris initiati patiebantur; de quibus Suidas s. u. *Μίθρας*. *Οὐκ ἂν οὖν εἰς αὐτὸν δυνήσαιτό τις τελεσθῆναι, εἰ μὴ διά τινων βαθμῶν παρελθὼν τῶν κολάσεων δείξει ἑαυτὸν ὅσιον καὶ ἀπαθῆ.* Ad quem locum Bernhardyus ex Nonni Comm. in Greg. Nazianz. p. 130 haec attulit *βαθμοὶ δέ εἰσι κολάσεων τὸν μὲν ἀριθμὸν ὀγδοήκοντα, ἔχοντες δὲ ὑπόβασιν καὶ ἀνάβασιν· κολάζονται γὰρ πρῶτον τὰς ἐλαφροτέρας, εἶτα τὰς δραστικωτέρας· καὶ εἶθ' οὕτω μετὰ τὸ παρελθεῖν διὰ πασῶν τῶν κολάσεων, τότε τελεῖται ὁ τελούμενος. αἱ δὲ κολάσεις εἰσὶ τὸ διὰ πυρὸς παρελθεῖν, τὸ διὰ κρύους, διὰ πείνης καὶ δίψης, διὰ ὁδοιπορίας πολλῆς, καὶ ἁπλῶς διὰ πασῶν τῶν τοιούτων.* Cf. eiusdem Nonni ad Greg. Naz. Orat. i. § 47 Migne et ad Orat. in Sanct. Lumina § 9, p. 1072 Migne. Ipse Gregorius haec habet Orat. iv. 109 Migne *τὰς ἐν Μίθρου βασάνους καὶ καύσεις ἐνδίκους τὰς μυστικάς*, ib. 123 *εἵλκετο διὰ πλατειῶν, ὠθεῖτο καθ' ὑπονόμων· τῶν τριχῶν εἵλκετο, οὐκ ἔστιν ὅτου μὴ μέρους τοῦ σώματος, μιγνυμένης τῇ αἰκίᾳ τῆς ὕβρεως, παρὰ τῶν ἀξίως ἐν Μίθρου ταῦτα κολαζομένων* (fortasse *παρὰ τὸν—κολαζόμενον*). Quae mirum quantum congruunt eis quae Ouidius commemorauit; nam et ignem et frigus et famem et sitim et longa exilia et tractus per terram corporum, et deiectus in puteos uel cloacas, et tormenta omnis generis frequentauit.

VI.

Sed redeo ad Aegyptum, unde in fine cap. iii digressus eram. Nam in hoc quoque Callimachum Ouidius secutus uidetur, quod in Ibide aut Aegyptium traduxit aut quaedam saltem intulit quae ad Aegyptiorum morem ac ritus pertinerent.

i. Et ne non fultum nuda tellure iaceret
  Molle super silices inposuere caput.

Moris erat sacerdotum humi dormire, capite in axem ligneum uel durioris aliquid materiae innixo (Wilk. i. p. 186). Hoc ad inimicum suum Ouidius sic transtulit ut Eumenides faceret infantis caput in saxo fulcientes.

ii. Obseruabant Aegyptii diligentissime genituras, quo quisque die, qua hora in lucem editus fuisset. Herod. ii. 82. At in Ibide nihil insignius istis 209 sqq.

Natus es infelix—ita di uoluere—nec ulla
  Commoda nascenti stella leuisue fuit.
Non Venus illuxit, non illa Iupiter hora,
  Lunaque non apto solque fuere loco.
Nec satis utiliter positos tibi praebuit ignes
  Quem peperit magno lucida Maia Ioui.
Te fera, nec quicquam placidum spondentia Martis
  Sidera presserunt, falciferique senis.
Lux quoque natalis, ne quid nisi triste uideres,
  Turpis et inductis nubibus atra fuit.

Dies etiam tamquam prosperos aut improsperos notabant (Renouf Religion of Ancient Egypt p. 157): cf. Ib. 219, 220. Aderantque nascenti cuiuis deae quaedam fata praefinientes (Renouf p. 161), sicut nascentem Ibin suscipiunt Eumenides, infelicemque praesignant, confirmante Clotho quae in fatis posuerunt et rata faciente.

iii. At tibi calcasti qui me, uiolente, iacentem.

Saepius in sculpturis Aegyptiorum hoc recurrit, ut uictor in hostium prostratorum collo pedem inponat, quibus tamquam ὑποποδίῳ τῶν ποδῶν utatur. (Wilkinson iii. p. 403 ubi tabula picta huius rei imaginem fert.)*

iv. In loca ab Elysiis diuersa fugabere campis.
  Quasque tenet sedes noxia turba, coles.

Elysiorum camporum rarior mentio apud antiquos, neque hic, ut uidetur, prouentura, nisi singulare quid subesset. Respexit credo Aegyptiorum sacra; nam et his *Aaru* siue *Aalu* imaginem quandam Elysiorum camporum referebat. In hoc agro segetem colere defuncti uita credebantur; circumdatumque habuit sibi murum ex ferro, in quo multae portae; perfluebat autem amnis diductus multifariam. Sed et Apuleius ubi sacris suis initiato Isin conloquentem inducit, Elysios campos commemorauit xi. 6 *Viues autem beatus, uiues in mea tutela gloriosus, et cum spatium saeculi tui permensus ad inferos demearis, ibi quoque in ipso subterraneo semirotundo me, quam uides Acherontis tenebris interlucentem Stygiisque penetralibus regnantem, campos Elysios incolens ipse tibi propitiam frequens adorabis.*

v. In Ibide *umbrae* inducuntur tamquam uiuae et uiuorum affectus retinentes. Nam et Ibidis *noxia mille modis* lacerabitur *umbra*, et poetae *umbra non* mores *solum* oderit inimici, sed et uultus insequetur, et *tendet* in ora gelidas manus. Apud Aegyptios singulis umbris sua persona et materies (Renouf p. 153); mortuorum laruae

* Records of the Past iv. p. 80 'I give thee all the lands, all the foreign countries, the barbarians collected under thy two sandals, for ever.'

uiuos insectantur, uelut in papyro Leidensi queritur maritus quod defuncta coniunx malis modis adhuc se uexet (Ren. p. 154).

vi. Eodem refero quod in historiis Ibidis totiens narrantur incesti amores. Nam ut frater sororem duceret, parens cum liberis concumberet, et quae alia huiusmodi sunt, usitatum Aegyptiis, inter alios rarius fuit. Consecrauerant incestum Aegyptiorum flagitiosae fabulae, praecipue de Iside sorore ac coniuge Osiridis. Sed et aliae historiae quas in Ibide ac Tristibus repetiuit Ouidius huc referri poterant. Velut illa de Telephi hasta eadem uulnerante Achillem ac sanante similem sui inter Aegyptios habuit; nam in libro Mortuorum c. cxii Anubis Hori uulneratum oculum fouet quem prius ipse confoderat (Renouf p. 114); quam fabulam aliter tradit Plutarchus de Is. et Osir. 55 λέγουσιν ὅτι τοῦ Ὥρου νῦν μὲν ἐπάταξε, νῦν δ' ἐξελὼν κατέπιεν ὁ Τυφῶν τὸν ὀφθαλμόν, ut huc spectare potuerit narratio de Tydeo Melanippi cerebrum sugente, quam bis in Ibide induxit.

vii. Denique supplicia Inferorum, qualia Ibidi Ouidius inprecatur, nusquam maiore apparatu nec longiore serie explicabantur quam in Aegyptiorum sculpturis. Talia Thebarum exhibent subterraneae cauernae (Syringas uocabant), praecipue uero sepulcrum Sethi I.* Et confluentibus in Romam in dies tot populis, quis miretur haec, ut cetera Orientis, in notitiam peruenisse Romanorum? Caligula certe imperante *parabatur et in noctem spectaculum, quo argumenta Inferorum per Aegyptios et Aethiopas explicarentur* (Suet. Calig. 57); unde non sine causa Renanus colligit huiusmodi spectacula moris ac saeculi fuisse.

VII.

Ouidianae Ibidis apud ueteres rarissima mentio. Duos tantum locos ex ea citat Eutyches, uu. 11, 12 in Arte ii. 7 ubi de uerbo *relegare* loquens allatis Vergilio et Lucano haec addit p. 475 Keil *Ouidius in Ibide participium ponit. Ille relegatum gelidas Aquilonis ad oras* (*gelidos —ortus* codd. Ouidii) *Non sinit exilio delituisse suo* (*meo* codd. Ouidii) et u. 503 in Art. ii. 15 *leto letas. Ouidius in Ibide Quique Lycurgiden letauit et arbore natum.* Itaque legebatur Ibis saeculo post Chr. sexto, si quidem Eutyches Prisciani discipulus fuit, id quod ipse testatur Art. i. 8. p. 456 Keil, et Ouidii opus habebatur. Sed non desunt quae innotuisse eam significent eis qui a poetae saeculo non longe aberant. Velut Hyginus ex Ibidis u. 304 uidetur sumpsisse ista Fab. 123 *Cuius ossa per fines Ambraciae sparsa sunt, quae est in Epiri regionibus*, unde uerba Ouidii ad Neoptolemum referenda esse constat. Rursus Fab. 247 quae de Thasio canibus interfecto tradit Hyginus ex Ib. 478 mutuari poterat. Sed in uniuersum tanta inter Hyginum et Ibin ac Metamorphoses intercedit cognatio, quanta inter amicos futura erat; nam *familiarissimus hic fuit Ouidio poetae* (Suet. Gramm. 20), et easdem res tractauit. Vnde in Commentario, quotiens licuit, Ouidii uerba ex Hyginianis

* Renan L'Antéchrist p. 170.

potissimum fabulis inlustraui, quamquam in Hyginum Ibin scriptam fuisse non credo.*

Apud Velleium duo inueni cum Ibide communia, ii. 60 *inuidiosae fortunae Caesaris* quod cum Ib. 122 *Fortunae facies inuidiosa tuae* compares, ii. 64 *At tribunus Cannutius canina rabie lacerabat Antonium*, cf. Ib. 229 *Gutturaque inbuerant infantia lacte canino . . . Perbibit inde suae rabiem nutricis alumnus Latrat et in toto uerba canina foro.* Nec longe ab Ouidianis *nec femina nec uir ut Attis* (455) recedunt uerba Val. Maximi vii. 7. 6 *Genucium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neque uirorum neque mulierum numero haberi debere.* In Martialis epigrammatis tres locos † Zingerlius notauit qui ad Ibin propius accederent, xi. 84. 4 *Cum furit ad Phrygios enthea turba modos*, cf. Ib. 454 *Incitat ad Phrygios uilia membra modos;* xi. 82. 3, 4 *Paene imitatus obit saeuis Elpenora fatis Praeceps per longos dum ruit usque gradus*, cf. Ib. 485 *Neue gradus adeas Elpenore cautius altos;* viii. 50. 3 *Qua bonus accubuit genitor cum plebe deorum Et licuit Faunis poscere uina Iouem*, cf. Ib. 81 *Vos quoque plebs superum fauni satirique laresque.* Quibus notabilius unum ipse deprendi x. 5, quod epigramma in maledicum poetam scriptum et ex Ouidiana Ibide paene omne conflatum est. Cf. 3 *Erret per urbes pontis exul et cliui*, Ib. 113 *Exul, inops erres alienaque limina lustres;* 4 *Interque raucos ultimus rogatores Oret caninas panis inprobi buccas*, Ib. 114 *Exiguumque petas ore tremente cibum*, 417 *Qualis erat nec non fortuna binominis Iri, Quique tenent pontem, qui tibi maior erit;* 8 *Vocet beatos clamitetque felices Orciniana qui feruntur in sponda*, Ib. 123 *Causaque non desit, desit tibi copia mortis, Optatam fugiat uita coacta necem;* 10 *At cum supremae fila uenerint horae Diesque tardus, sentiat canum litem Abigatque moto noxias aues panno*, Ib. 161 *His uiuus furiis agitabere, mortuus isdem Et breuior poena uita futura tua est. Nec tibi continget funus lacrimaeque tuorum . . . Vnguibus et rostro tardus trahet ilia uultur Et scindent auidi perfida corda canes.* Denique uu. 13–17 *Nec finiantur morte simplices poenae, Sed modo seueri sectus Aeaci loris, Nunc inquieti monte Sisyphi pressus, Nunc inter undas garruli senis siccus, Delasset omnes fabulas poetarum* contraxit ex Ib. 195 *Nec mortis poenas mors altera finiet huius* et 175–194 *Sisyphus est illic* κ.τ.λ.

Saluagnius etiam ex Pacati Panegyrico Theodosii locum citauit quem ex Ibide ductum opinatus sit c. 42 *Nisi uero tu tuum, uenerabilis Gratiane, carnificem furiis comitatus ultricibus obsidebas et irata ac* (add. Behrensius) *minax umbra ob os eius oculosque fumantes infernis ignibus taedas et crepitantia torto angue flagra quatiebas:* cf. Ib. 157–160 *Denique quidquid ages, ante os oculosque uolabo, Et querar, et nulla sede quietus eris. Verbera saeua dabunt sonitum, nexaeque colubris Conscia fumabunt semper ad ora faces*, et 183–186 *Hic tibi de Furiis scindet latus una flagello, Vt sceleris numeros confiteare tui. Altera Tartareis sectos dabit anguibus artus. Tertia fumantes incoquet igne*

* Locutiones in Ibide sunt non paucae quae *Propertium* sapiant, quod notauit Postgatus in Excerptis Propertianis: *uelocem puellam* Prop. i. 1. 15, *de tribus una soror* iii. 5. 28, *longinquis piscibus* iii. 7. 8, *pondus habere* ib. 44, *carmen inerme* iv. 6. 32.

† Martial's Ouid-Studien pp. 11, 31, 32.

genas. Ex Ibide etiam credo sumpsisse Boetium ea quae leguntur de Cons. Philosoph. ii. 6 *Cum liberum quendam uirum suppliciis se tyrannus adacturum putaret ut aduersus se factae coniurationis conscios proderet, linguam ille momordit atque abscidit, et in os tyranni saeuientis abiecit .... Busiridem accepimus, necare hospites solitum, ab Hercule hospite fuisse mactatum. Regulus plures Poenorum bello captos in uincula coniecerat, sed mox ipse uictorum catenis manus praebuit.* Nam non solum Anaxarchus Busiris Regulus quos hic commemorat in Ibide locum habent (571, 399, 281) sed in una Ibide, quantum scio, cum Busiride Regulus in exemplum adsumitur. Quod non cadit in Claudianum; qui si in Ruf. i. 252 sqq. Sinin Scirona Phalarin Diomedem Busirin coniunxit, in Eutrop. i. 160 sqq. Thrasium Busirin Perillum Phalarin, potuit hos quidem in Ibide omnes legere, potuit etiam in Tristibus uel Arte Amatoria.

Alucinari fortasse uidebor, sed tamen non omittam locum Procopii quo Ouidianae Ibidis recordari potuit. Nam de Theodato, rege Gothorum, quem deposito regno fugientem inimicus occidit, haec narrat de bell. Goth. i. 11 Καὶ *αὐτὸν ἐν ὁδῷ ἔτι πορευόμενον καταλαμβάνει· ἐς ἔδαφός τε ὕπτιον κατακλίνας ὥσπερ ἱερεῖόν τι ἔθυσεν. αὕτη τε Θεοδάτῳ καταστροφὴ τοῦ τε βίου καὶ τῆς ἡγεμονίας τρίτον ἐχούσης ἔτος ἐγένετο.* Quae sane cum Ouidianis illis

Victima uel Phoebo sacras macteris ad aras,
Quam tulit a saeuo Theudotus hoste necem.

nescio quid habent congruentiae, ita tamen ut Ibidis uersus de Theodato illo scribi non potuerint. Nec quemquam fugiet qui Ibin norit quoties Gothorum annalibus hae historiae repraesententur. Vide me ad Ib. 634. Quo potius tempore, non Vlpiani, quod uidetur innuere Desselius ad uersum istum *Quodque ferunt Brotean fecisse cupidine mortis* tamquam ex Alciato,* Ibin scriptam fuisse ut suspicetur auctor sum ei qui Hyginum eam citasse, Martialem legisse atque imitatum esse persuasum non habuerit, neque intellexerit ut Eutychen, sic Politianum Leopardum Sanctium, sic Heinsium Bentleiumque, sic Niebuhrium ac Merkelium pro uera atque Ouidiana habuisse.

Post Eutychen, quem cum Seruio Donato Prisciano inter grammaticos commemorat scriptor hexametrorum editus cum Alcuino ap. Migne T. ii. p. 844, unum repperi qui Ibin uideatur legisse eum qui hexametros scripsit ap. Hagenum (Carm. Ined. Medii Aeui p. 133), siue Alcuinus, siue alius quis fuit. Hic enim dicit *Quis tam Cinyphiae mentis fuit atque malignae?* quod nisi ex Ib. 222 uix explices. Legebatur tamen et interpretes habebat: inter quos erat *glossator in ibin* cuius mentionem fecit Conradus de Mure s. u. *Lacoon.* Idem Conradus in indice operum Ouidii quem duplicem exhibet s. u. *Ouidius* Ibin bis nouissimam facit. Eo magis admireris quod in lyrico carmine ap. Hagenum Carm. Ined. p. 208 ubi recensentur scripta Ouidii, Ibidis

* Verba Alciati haec sunt Parerg. Iur. iv. 4 Arbitror aliquem eius temporis studiosum Luciani exemplo hominis memoriae illudentem, Ouidiano carmini in Ibin inseruisse illud distichon: *Quodque ferunt Proteum fecisse cupidine mortis Des tua succensae membra cremanda pyrae.* Seu si quis synaeresin in Proteo reformidat, Protea quodque ferunt fecisse etc.

nulla est mentio. Conicias idem quod in Nuce factum esse, ut omissum carmen tamquam leuius fuerit, mox separatim scriptum: certe in antiquissimo codice Galeano saec. xii sic seorsim legitur. Cf. quae de Nuce scripsit Behrensius Poet. Lat. Min. i. p. 88.

VIII.

De Codicibus Ibidis.

Codices Ibidis qui quidem mihi innotuerint ad unum omnes redeunt archetypon. Omnes enim exhibent corrupta haec 256 *inerme potens* pro *inermis opem*, 84 *chori* pro *chao*, 109 *clarus* pro *calidus*, 178 *egisti* pro *egipti*, 321 *alebas* pro *aleuas*, 335 *passa est*, 359 *Thiesti*, 527 *Oresti*, 502 *paphagee* uel *pesagee*, 513 *ebenus* pro *euenus*, 549 *Siracusio* pro *Siracosio*, 600 *Orpheon* uel *Orpheā* pro *Orpheos*. Praeterea post 130 duo uersus in omnibus interpolati sunt *Finiet illa dies quae te mihi subtrahet olim Finiet illa dies quae mihi tarda uenit.* Insederant carmini haec uitia ante finem saec. xii, quo tempore Galeanus (G) et Turonensis (T) descripti sunt. Sed non ab hoc archetypo deriuata sunt excerpta Ibidis quae in Deflorationibus Gallicis et Britannicis inueni. Nam hae habent 109 *calidus* non *clarus*, 43 *semper dum uita* non *donec mihi uita*, *iaziges* non *iapides* Atrebatensis, unde apparet extitisse aliud idque minus uitiatum exemplar. Etenim *clarus* in 109 non potest uerum esse, sequente *clara* in 110: neque uero ex correctore profectum est, cum non modo in Deflorationes omnes peruenerit, sed etiam in Vincentii Bellouacensis Speculo legatur. Sed infelici casu factum est ut in Defloratione Parisina 15,155, saec. xii uel xiii, excerpta quae olim inerant Ibidis (ut ex scriptorum indice praemisso colligitur) non iam supersint; quamquam non dubito eadem fere quae in ceteris fuisse.

Sed et alius fons restat qui a nostris codicibus aliqua ex parte discrepare uideatur. Extat in bibliotheca Bodleiana liber rarior, *Repertorium Vocabulorum Exquisitorum*, 'editum a doctissimo literarum amatore Magistro Conrado turicensis ecclesie cantore et conpletus anno domini Mº CCLXXIIIº. In uigilia assumptionis beate marie uirginis Indictione prima.' In hoc libro continetur plurima pars historiarum Ibidis, adiectis explicationibus ueris modo, modo falsis, ut ex scholiorum nostra editione elucebit. Hunc Conradum de Mure perbonis codicibus usum esse sic intelligo. Solus habet *redemi* pro *redimi* 281 idque bis, quo modo ab antiquis uocabulum scriptum fuisse docet Munro ad Lucret. i. 216, *terga* pro *pelle* 319, *eschimea* 330, *calliricesque* 348, *cigneus* 463, *Venator frigia* 508, *euenus* 513, *astacideque* 515, *stuto* pro *trunco* ib., *Sollicitusque* pro *Sollicitoque* 559, *telegonius* et *teleogonus* pro *teli genus* 567, *Quemque memor sacris* pro *Quem memor a sacris* 622, *certaque* h. e. *cretaque* 572; solus praeter T *uictus* pro *quintus* 293. Solus tamquam aliter lectum memorat in 488 *dymas*. Sed et in Scholiis non desunt quae altius uideantur repetita apud Conradum; uide quae disputaui in Diario Philol. Cantabrig. vii. 244–255, ex quibus

unum hic citandum uidetur 311 *interemit puluere lentus ager*, ubi et *interemit* et *ager* antiquitus tradita sunt, in nonnullis codd. *interimit aer* uitiose leguntur. Quae cum satis integrum fontem declarent, omnia in apparatu Critico edenda duxi quae Conradus tradiderit; pro quo gratos lectores me habiturum confido, praesertim qui ea primus exhibuerim. Sed dicendum est breuiter de aetate et aestimatione codicum nostrorum.

G. Olim *Galeanus* 213, nunc O. 7. 7 in bibliotheca Collegii Sanctae Trinitatis ap. Cantabrigienses. Post Bernardi Siluestris Megacosmum et Microcosmum, et Probae Falconiae Centonem, habet Ibin cum commentario usque a u. 253. Secuntur Senecae quaedam opuscula. Scriptus est circa 1180 iudice H. O. Coxio, cui adstipulatus est Westwoodius, estque aut optimus aut cui solus T aequiperetur. Habet peculiaria sibi haec 7 *Huius*, 16 *uiui*, 24 *non sinit*, 30 *Qua*, 48 *arma*, 65 *festo panique calendis*, 74 *ore* [*l'orbe*], 97 *mea uota*, 103 *mortales*, 120 *Et* pro *Qui*, 123 *desit quoque*, 126 *deserat* pro *torqueat*, 129 *moueo*, 131, 2 *om.* 137 *mitia pabula*, 139 *Tecum bella geram*, 159 *colubre*, 173 *uocabere*, 174 *impia*, 191 *credas*, 198 *liquido* marg. *libico*, 204 *multiplicanda*, 205 *Tot ue tibi uenient misero*, 210 *leuisue*, 211 *illuxit*, 229 *lactentia* [*l'infantia*], 264 *Clarus Apollinea sumptus*, 267 *postquam*, 270 *Telenus*, 279 *hic*, 285 *a summa*, 287 *euriloco*, 293 *ethreclides*, 296 *uerberet* marg. *uulneret*, 308 *matre parante*, 311 *gratissima*, 316 *ossa*, 325 *roma*, 329 *amalfriacis*, 345 *drianti* [*a*] *de*, 365 *fastigia* [*ue*], 409 *in humum*, 410 *aspicias*, 418 *qui tibi*, 437 *Aere Perille tuo*, 470 *dexionesque*, 476 *prior*, 486 *ipse*, 488 *Iuuit*, 492 *nomine fecit* [*sanguine tinxit*], 538 *ante oculos*, 552 *frigii*, 593 *superabis*, 606 *Sic tua pestiferum corpora*, 625 *uiscera*, 629 *recumbas* marg. *quiescas*, 621 *sisiphon* marg. *isidius*, 644 *sub pede*.

Haec cum G aut solus aut cum uno alio, quod rarum, habeat uidetur singularem locum uel potius speciem obtinere. Est sane etiam in erratis suis prope unicus, nam ex suprascriptis sunt quae per errorem inlata sunt. Vnde cum cura adhibendus est, et ubi manifesto uitia admisit ex aliis corrigendus. Quanti uero sit non ex Ibidis tantum textu apparet, sed etiam ex Scholiis, quae minutissimis litteris aequalis manus adscripsit. Codicem mihi transmittendum curarunt uir eximius H. A. I. Munro et Robertus Sinker, custos bibliothecae.

T. *Turonensis* 879, in Dorangii Catalogo p. 393. Continet inter Ouidii scripta post Epist. ex Ponto Ibin, quam secuntur Metamorphoses. Scriptus uidetur circa 1200; nec credo uspiam extare uenustiorem, nec si totum spectes, meliorem. Sed ut G, sic T hactenus latuit: neque ego citatum eum a doctis memini. Scriptus est in Gallia duabus columnis in paginam, tam exquisite ut inter pulcerrima monimenta sit eius saeculi: et quod admireris, ne minimas quidem sordes contraxerit. Quam ob rem grates quas debeo maximas agere me profiteor Turonensibus, qui codicem pretiosissimum in Bodleianam mihi transmittendum curarunt.

Habet T solus ex nostris 76 *netis*, 125 *deserat artus Spiritus*, 142 *Exanguis*, 201 *inhorreat*, 211 *effulsit*, 275 *tumidis tibi sit melior*, 287

yrioni, 293 *uictus*, 334 *indiuturna*, post 338 caret disticho *Denique Sarmaticas—His precor*, 366 *Membraque*, 385 *rapax*, 430 *consternati*, 443 *uoramine*, 472 *Vt*, 501 *proprio*. Saepius tamen cum P aut X, nonnumquam cum Vat. conspirat contra G. His in locis plerumque praetuli consensum plurium.

P. *Phillippicus* 1796, saec. xiii uel xiv. Inter optimos est ut ex 512 apparet ubi *leotrepido* propius ad uerum accedit quam *leotepide* X, *licoride* T et plerorumque, 380 *deest* pro *dee est*, 101 *hominibusque* quod antiquitus traditum habeo pro usitatiore forma *Ominibus*, 181 *qui distat summus ab imo*, 193 *Hic erit et* ubi cum GX consentit contra T *Hic et erit*, 259 *trepidumque* ubi cum T consentit contra *trepidusque* reliquorum, 391 *Sex ut*, X *Sexus ut*, *Et uelut* GT, *Sex bis ut* Ouidius, 559 *aniti* solus recte, *animo* TX, *ueluti* G. Primus Cheltoniae contuli.

X. *Parisinus* 7994. Saec. xiii. Contuli Parisiis.

His quattuor codicibus et Conradi excerptis Ibidis textus maxime nititur, sed ita ut primus locus detur Galeano, secundus Turonensi. Praeterea subsidio fuerunt

V. *Vindobonensis* 885, saec. xiii. Hunc Merkelius, ex collatione Mauritii Hauptii exhibuit in ed. 1837. Ipsum non uidi, usus tamen sum apographo quod rogatu meo exscribendum curauit Iosephus Hauptius, custos Bibliothecae Palatinae Vindobonensis. Hunc Merkelius solum non interpolatum optimumque ex suis habuit: nostris quattuor GTPX inferiorem habeo.

Vat. *Vaticanus* 1602 circa finem scriptus saec. xiv, ut rogatus a me Studemundus iudicauit. Habet propria sui quaedam, quae ex bono codice per casum aliquem in non bonum peruenerunt 310 *piant* ex *piast*, 390 *Bis acto* si modo *bis* ex 391 superfuit, 418 *Quique tenet*, 512 *leo trepido*, 559 *auicti* quod ad *auiti* proxime accedit. Contuli Romae.

M. *Mutinensis*. Membran. saec. xv. Bibliothecae Publicae, ubi contuli. Cui simillimus est, quamuis aetate antecellat,

H. *Holkhamicus*. Bibliothecae Comitis de Leyçestria in agro Norfolciensi. Saec. xiii. Eum ad me humanissime transmisit Alexander Napier, custos bibliothecae.

Hi duo HM adeo inter se consentiunt ut ex communi fonte deriuati uideantur.

Parm. *Parmensis* HH. x. 27, saec. xv chartaceus. Continet Ib. 1–372.

F. *Francofurtanus* in Bibliotheca publica. Heinsio iudice ap. Merkel. Trist. Praef. p. xxxi scriptus est circa finem saec. xii, recentioribus et Riesio uisus est saec. xiv uel xv. 'Interpolationis haud immunem' dicit Merkelius p. xxxii, qui eo usus est et in Trist. et Ibide. Contuli Francofurti; de nonnullis de quibus ambigebam postea rescripsit ad me Riesius, qui et ipse eum adhibuerat in ed. Ouidii Tauchnitiana.

Praeter hos in usu mihi fuerunt Canonicianus 20, Phillippici duo 3360, 23620, Musei Britannici tres Harl. 2538, 11972, Sloan. 777, Laurentiani xxxiii. 31, xxxvi. 34 quos contulit meo rogatu Nicolas d'Anziani, Vaticani Reg. 1801, Pal. 1709 qui solus annum testatur quo scriptus est 1494, sub Pontificatu Alexandri VI.

Postremo commemorandae sunt Deflorationes quae inter flores ex poetis Latinis excerptos Ouidii etiam nonnulla, in his Ibidis habent, Duacensis 690, Atrebatensis 65, Parisina 17903 saec. xiii, Brit. Musei 18459, Bodleiana Canon. Patr. Lat. 43, Phillippicae 1813, 1827.

IX.

De Scholiis Ibidis.

Scholiorum Ibidis ad hoc usque tempus incerta tantum notitia fuit. Nam editio Parisina a. 1573, in qua post carmen *Pub. Ouidii Nasonis in quendam quem uocat Ibin* postremo *nunc tandem adiectus est uetus Interpres nunquam antea in lucem missus,** pusillus liber doctos latuit, quamquam iam anno 1564 Turnebus Aduers. ix. 25 ubi locos quosdam Ibidis explicauit, *Atarnites* reponens in u. 319, haec addidit, *quod et annotatum a uetere interprete fuerat, cuius scrinia alii interpretes compilarunt, et scripta etsi mendosa, unde tamen multa odorari poteramus, suppresserunt;* idemque ad u. 591 *Comicus ut liquidis* '*hunc uersum de Menandro intelligit uetus interpres, ut aliorum relatione cognoscimus* (*nam illum interpretem desideramus*).' Sed nec altera editio quae Parisiis prodiit anno 1581, teste Saluagnio ad Vet. Interpr. p. 1 'fragmenta lacera et mendosa' continens multis uidetur cognita fuisse, languentibus in Ouidio eruditorum studiis et ad alia, praecipue Graeca, conuersis. Anno demum 1661 Dionysius Saluagnius Boessius editioni Ibidis quam† secundam Lugduni protulit adiecit tamquam 'diu desideratum' ueterem illum Interpretem, sed 'locupletiorem et emendatiorem ope duorum codicum MSS.' Hanc editionem Scholiorum citat Bentleius Phal. p. 240 ed. Dyce, et in Callimachi fragmentis; neque alia Burmanni est. Sed Merkelius, cum anno 1837 Tristia et Ibin ederet, ex codice Askeuiano (MSS. Diez. 21) Scholia quae in eo a u. 259 ad finem carminis extant, examussim descripsit, appositis ex Saluagnio nonnisi 'quae paulo maioris rei illic diuersa uel copiosiora' inuenerat.

His ex fontibus hausit Ehualdus ‡ notitiam Scholiorum, neque alia uiderat nisi breuia quaedam et mutila quae in margine cod. Paris. 7994 scripsit manus, ut uidetur, saec. xiii uel xiv. Ne Parisinas quidem editiones inspexit; quamquam inter priorem illam a. 1573 et Saluagnii Scholia artissima est cognatio. Nam in uniuersum Parisinorum cum Saluagnianis unum genus est; Merkelianorum alterum idque prorsus dissimile.

Sed ego, qui Ibin de nouo edere constituerim, ne hanc quidem partem operis mei sic uolui relinquere quemadmodum a prioribus acceperam. Qua in re iuuit me fortuna; nam qui codex carminis antiquissimus est G, idem perpetua scholia habet inde a u. 253. Haec

* Parisiis ex typographia Dionysii a Prato uia Amygdalina ad Veritatis Insigne.
† Prior editio Saluagniana Ibidis prodiit Lugduni 1633.
‡ De Scholiasta qui est ad Ouidii Ibin Commentatio. Gotha 1876.

omnia quam relligiosissime descripsi, quamuis adeo minutis litteris exarata essent ut nisi adiuuante uitro legi non possent. Tum ex codice Phillippico 1796, qui saec. xiii uel xiv scriptus est, scholiorum maximam partem desumpsi; nonnulla, sed parcius, ex Holkhamico. Quae Merkelius edidit ex Askeuiano, eadem in codice 66 Collegii Corporis Christi apud nos extant; unde collatis utrisque speciem conatus sum redintegrare qualem antiquitus fuisse credibile est. Aliud subsidium adfuit mihi Repertorium Vocabulorum Conradi de Mure; quo nihil habui utilius siue in carmine recognoscendo siue in scholiis. Neque his contentus ex Italorum commentariis, quales saec. xv non pauci in bibliothecis reperiuntur, aliqua in itinere excerpsi quae obscuris lucem adlatura uiderentur; praecipue ex Patauino codice et quattuor Vaticanis.

Horum qui prior est aetate G, scholia plerumque breuius ueriusque exhibet ceteris, nisi quod interdum ad ueritatem propius P et Mure accedunt. Nam Mure, quamquam Repertorium suum anno 1273 perfecit, codicibus uidetur usus perbonis, fortasse etiam antiquioribus quam nunc utimur. Constat certe nusquam sinceriores codices extitisse quam apud Heluetios, qualis hic Conradus de Mure fuit; nam in prima pagina Repertorii *doctissimus literarum amator magister Conradus Turicensis ecclesiae Cantor* dicitur. Aliis in locis P uera aut solus ex nostris seruauit, ut 259, 379, aut optime, ut de Leucone 310, de Atarnite Hermia 319, de Seruio et Tullia 364, de legatis ab Hannibale coniectis in puteum 389, de Procruste filio Polypemonis 407, de Menedemo 451, 459 ubi nomen *Hippukekores* in hoc uno extat, 463 de Abantiade. Et, quod mireris, nusquam in P reperias fictos uersus Galli Tibulli Propertii etc. qui in ceteris omnibus codicibus, ubi integra scholia seruata sunt, extant non pauci, olim autem ne a Bernensi quidem aberant.

Nam ante annos quadraginta extabat adhuc in bibliotheca Bernensi codex membranaceus saec. xi integra Scholia continens usque a u. 175 *Sisyphus est illic.* Huius apographon fecerat H. Keilius ante annum 1854, unde nonnulla descripsit Merkelius in ed. Apollonii Rhodii quae eo anno prodiit. Haec et breuia quaedam quae idem Merkelius a se enotata ad me misit, satis demonstrant codicem a ceteris non longe discrepasse: ipse codex, teste Hageno in Catal. Codd. Bern. p. 512, hodie deperditus latet; nec superest Keilii apographon. Vnum tamen testatus est ex memoria Merkelius, Callimachum saepius ibi citatum fuisse quam in Askeuiano.

Ad u. 319 *Aut ut Atarnites*, ubi totum scholion ex Bern. extat descriptum, isdem fere uerbis conceptum est quibus Saluagnianum et ed. Paris. 1573, sed additis ut in ed. Par. suppositiciis uersibus qui absunt a Saluagn. Rursus ad 329 *Aut ut Amastriacis* conuenit schol. Bern. Saluagniano et ed. Paris., uersus *Fanoxsino* tribuit. Rursus in 331 cum Saluagniano et ed. Paris. Callimachum facit auctorem fabulae de Eurydamante Thessalo. Denique ad 379 uidentur olim eadem scripta fuisse in Bern. quae nunc leguntur non solum in Salu. et ed. Paris. sed etiam in P. Sed et ad 281, 284, 285, 321 ad Salu. proxime accessisse colligitur ex fragmentis quae enotauit Merkelius. Contra ad

287, 310, 313, 315 cum C et Ask. uidetur consentire; certe ex communi fonte profluxerunt *partacon* (Bern.) *Spartacon* (C Ask.), quem Graecorum accusatiuum pro usitato *Spartacum* indicio habeo antiquitatis. Ad 293 consentit fere cum G, quicum etiam ad 301 uersus *Argos hostilem Meneforoni* cuidam adsignat. Quae satis sunt ad demonstrandum Bernensia scholia non adeo nostris dissimilia fuisse, ut multum inde nouae lucis Ibidi adcresceret. Ex uniuersis autem comparatis scholiis apparet antiquitus breuia quaedam tradita esse quae postea uariis modis inmutata et corrupta fuerint.

Nescio quo fato acciderit ut cetera Ouidii carmina bonos scholiastas nacta uideantur, in una Ibide falsariorum sollertia se exercuerit. Certe nec in Amoribus nec in Arte Amatoria nec in Tristibus nec in libro Metamorphoseon ficta equidem interpretamenta neque his conexos fictos uersus tamquam notorum poetarum Galli Tibulli Propertii etc. offendi: quamquam materia non deerat, siue propter obscuritatem, siue quod turpes historiae essent. An suppositicium opus Ibin credidit falsarius? eiusque opinionis documentum ipse falsos uersus scholiis intulit? An cum in incerto esset quorundam uersuum Ibidis explicatio, coniectura aliquis et interpretamenta sua et horum testes uersus finxit? utut se res habet, tricies ter leguntur in scholiis huiusmodi ficti elegiaci hexametrique.

Elegiaci sunt hi,

Propertii octo 257, duo 297, (ubi *Plautus* dicitur in G) duo 461, duo 463.
Batti duo 299.
Galli quattuor 285, duo 287, duo 325, duo 327, duo 352, duo 364, duo 465.
Tibulli octo 307 (Gallo alii adsignant).
Lucretii octo 419.
Varronis (*Maronis*) duo 317, duo 319, duo 321.
Callimachi duo 315.
Callistonis (alii *Promptium* siue *Calmethen* dicunt) octo 273.
Democriti (*Democridis*) duo 293.
Homeri (*Menefronis*) duo 301.
Arionis duo 310.
Luperci duo 312, duo 314 (Neodē atestante *Bern.* 711, h. e. eodem Luperco cui priora illa *Vt cum defuncto* adsignantur).
Fauorani (Fauorini?) duo 329.
Darii (*Clari* Mure, an *Callimachi*?) duo 331, duo 335.

Hexametri sunt,

Callimachi quattuor 279, quattuor 295 ubi dicitur Crinius h. e. Cyrenaeus.
Eupolidis duo 255.
Homeri (*Menefronis*) 305 duo.
Galli duo 323.
Incerti duo 269.

Hi uersus non semper falsis historiis adstruuntur, sed plerumque ueris. Nam cum tricies ter inlati sint, sedecies tantum falsarum fabularum complementum sunt 255, 285, 287, 293, 295, 297, 307, 323, 325, 327,

352, 364, 419, 461, 463, 465. Ceteris in locis historia aut uera aut leuiter modo corrupta est. Poetarum nomina ex arbitrio plerumque conficta sunt; nisi quod potuit antiquitus tradi Callimachus narrasse historias quae in uu. 279, 315, tum fortasse etiam 331, 335 continentur. Etiam *Arion* potuit esse Euphorion, sic enim hic uocatus est in uno codicum Tzetzae Schol. Lyc. 911, p. 872 Mueller. Fauorini autem nomen, cui duo uersus in Schol. ad 329 adsignantur, non prorsus inepte fictor mutuaturus erat siue ex Gellio, siue aliunde id cognouerat. Nam Fauorinus scripsit παντοδαπὴν Ἱστορίαν, quae siue eiusmodi erat qualis perstringitur a Gellio xiv. 6 (sic enim Nietzcheo duce credidit E. Maass in Kiesslingii et Wilamowitzii Philologisch. Vntersuchungen iii. p. 49), siue ueras historias et maioris res momenti, debuit in testimonium uocari rerum quales in Ibide narrantur. Reliqua nomina partim sumpsit ex Trist. iv. 10. 45–54 ubi Propertius Battus Tibullus Gallus in codicibus leguntur, partim ex Fulgentio Planciade, uel ex commentariis quales extant hodie Arateorum Germanici, Thebaidis Statii. Habet enim Fulgentius communia cum Ibidis scholiis non solum Propertii Callimachi Democriti nomina, sed etiam Tibulli (quem Flaccum uocat), Lucretii quem Comicum. Quamquam non est operae fontes aperire tam futtilium; nec sane 'ei qui haec consarcinauit, scriptorum nomina congerere aut fingere difficile fuit,' ut in re non dissimili, Orthographiae L. Caecilii Minutiani Apuleii fragmentis, uerissime docet Maduigius (Opusc. i. p. 13 ed. 1834).

Versus quo tempore scripti fuerint diuinare uix ausim. Carent plerumque uitiis prosodiae, nisi quod producuntur *a us er* nominatiuorum *Turbaque non minima superatis uirginem et unam* 305, *causa mortis* bis 310, 335, *Hermias captus indutus tergora tauri* 319. *Hanc iuuit facinus huic nocuit pietas, mater et amans* 307. Ad 273 quod scriptum est in G *Peccat uterque male, sed cum male peccat uterque* aliter in aliis traditum inueni: ad 287 *fuīt* productum est ante *anguibus* in priore clausula pentametri, *at nihil huic* claudit pentametrum 307. Talia possis apud conplures reperire qui post A. D. 300 uersus fecerunt. Contra Leonini, qui dicuntur, uersus nulli sunt praeter 4 hexametros qui in uno G leguntur ad 279, quos serius ceteris confictos crediderim, etsi ad 285 prior pars uersuum ter habet in posteriore responsionem *modo—puto, potus—Ionus, nimis—necis.* Sed quod saepissime fit in carminibus post 300 A. D. laborat prosodia in nominibus hominum *Dărĕūs Phēreus Mīlo Hȳpermestra Īŏnides* (pro *Ĭōnides*), de qua re dixit Duhnius in Appendice Dracontii p. 104. Semel tantum indicium inueni temporis, *Tam male qui peccat nec deus est nec homo* (273), qui uersus respicere uidetur Christianorum controuersias de natura Christi, ut ante Arium (320–330 A. D.) scribi uix potuerit.

Sunt tamen praeter uersus etiam fabulae ficticiae, Milesii Daretis 255, Eurylochi 287, Echecratidis 293, Statilii et Celini 295, Broteae 297, Magnatis 307, de Sardone palude 311, Alebae 323, Milonis 325, Adimanti 327, Astrophanei ac Penthidae 348, Hypermestrae 352, Therodomantis 383, Asterionis 419, de Penthide et Hipponacte 447, Theodori siue Theodoti 465, Procustae (?) 469, Socratis 494, *Ibici Lydi filiae 499, *Amephini 503 quae in C et Ask. et cod. Saluagnii

extat, abest a reliquis, de Alebae filia 511, Brotheae 517, poetae qui laesit Athenas 523, poetae seueri 525, poetae Achaei 541, poetae Syracosii 549, Agenoris 569, Aethali 621, Melanthei 623. Has commentus est aliquis qui uersus eos Ibidis interpretatione carere uiderat. Pleraeque ex ipso uersu pendent, nonnumquam male intellecto ut in 511, ubi ex corrupta scriptura codicum *Stella leotrepido* scholiasta Aleban in stella leone natum finxit, et 311 ubi cum *Sardana pallus* separatim scriptum esset Scholiasta paludem in Sardone intellexit. Hinc post uitiatos demum codices Ibidis et hae et ceterae fictae historiae scholiis inlatae uidentur. Has omnes, ne legentem fallerent, asterisco, uersus fictos et inclinatis litteris et asterisco, notaui.

Supersunt tamen non pauca quae declarent non uno tempore sed adcrescentibus per multos annos atque etiam saecula uitiis eam speciem scholia sumpsisse qua nunc utimur. Insunt enim etiam sincerioribus errores, praecipue nominum, nonnumquam etiam rerum. Exemplo sit Schol. 259 quod in uno P incorrupte traditum est. *Amintor filium suum Phoenicem caecauit quia coniux eius est conquesta sibi Phoenicem uoluisse ei uim inferre, quod tamen falsum erat.* Filios Phoenicis *G* Tesallam et Dorilam, *Mure* Thirilam et Doricam, *C* et *Ask* Thetillam (Totilam) et Dorillam (Dorissam) tradunt, et a nouerca Licostrata siue Affa, filia regis Gothorum, accusatos. Cuius erroris orgio talis uidetur fuisse. Scriptum fuerat in margine u. 259 *Phoenix.* Hoc scholiasta ad alterum Phoenicem, patrem Phinei Thracis, transtulit. Huic Phoenici filii fuerunt Doryclus et Oreithyius. Thracia autem cum anno 376 A. D. Gothis trans Danubium in eam traiectis occupata esset (Gibbon Decline and Fall ii. c. 26, cf. Claudian. B. Get. 166), Gothorum regnum uocari potuit: sicut Totila notum nomen in Gothis fuit. Similiter corruptum est Scholion u. 285. *Ionus* enim uere fortasse traditum est; cetera conficta sunt. Sic ad 293 Mure uestigia ueri seruasse iudico, si quidem Echecratiden Ouidius Erycem nominauit ab Hercule ter uictum. Rursus 305 recte possunt Scholia de Pyrrhi filia interpretari; sed hanc *Perpilicam* uocatam fuisse, seu quid aliud latet, nemo demonstrauit. Ad 315 Scholiasta Val. Max. secutus est, sed in eo errauit quod Darium II filium primi fecit, cum fuerit Artaxerxis. Idem factum est in Scholiis ad 321, 364, 379, 404, 417, 475, 485, 501, 529, 539, 573 (cod. Salu.), 633. E quibus maxime notandum duco Schol. ad 417 de Iro, in quo mirificam historiam conflarunt Scholiastae, cuius ne minima quidem pars apud Homerum est. Sed neque Elpenora amasium Agamemnonis (485), nec Eupolidis uxorem Medelam (529), nec Leium regem Murrae ciuitatis conditorem (539), nec Leucotheae patrem Sameum (573) nec Cliniaden Persicum alius quisquam commemorauit.

Hae corruptelae ut obscuris in uniuersum causis, ita non raro a tralatis per errorem nominibus exortae sunt. Sic ex u. 404 ubi adnotatum fuerat *Atrax*, uitiose ad 399 tralato nomine factum est in G *Trax et Anteus fratres fuerunt.* Ex u. 411 *Cercyon* ad 409 retro reuocatum est, sed iam corrupta scriptura in *Geryon;* quod non nisi post inductam codicibus barbariem effectum est. In fine Scholii ad 353 post uerba *cepit mechari* G habet *et eum rossum expuit,* quae mani-

festo ad Tydei facinus quo Menalippi cerebrum exsorbuit referuntur. Itaque ex alio uersu siue 427 siue 515, huc tralatum est. Ad 408 *homo parte sui, parte iuuencus erat* adscripserat aliquis *Minotaurus siue Asterion.* Hinc aliquis memor Claudianei uersus 54. 9 *Ipse et dispariles monstro commissus in artus* 11 *Cres puer* h. e. Minotaurus, transtulit haec ad 419 *Cres puer Asterion*, cumque uersus primo confinxisset adiecit historiam. Denique Hermione in 307, ex 303 fluxit, aut tralatum tantum, aut iteratum pro Harmonia, quae Themisto* nupserat, eratque neptis Pyrrhi.

Restat maxima atque optima pars Scholiorum, quae ueras explicationes conplectitur. Haec quanti sit, non ex notis uulgatisque fabulis aestimabis, sed multo magis ex obscurioribus. Insunt enim Ibide multa quae ex solo libro Metamorphoseon facile explicari poterant; qui liber nullo non tempore latine scientibus tritus est, nullo scholiis caruit. Alia ex Arte Amatoria Tristibus Epistulis ex Ponto cognoscere licuit: alia ex Vergilio Statioque et scholiastis eorum, praecipue Seruio Lactantioque. Sed non sic expedias quomodo factum sit ut in nostra scholia obscurissimarum historiarum explicatio, et quidem uera peruenerit; quales sunt Hermiae 319, Eurydamantis 331, Limones 335, Aegiales 350, Siritanorum 379, Hannibalis 389, Trasi 477, Lindii sacrificii, Lydiarum uirginum 499, Ambraciotae uenatoris 501, uenatoris Carici siue potius Lucanici 505, Eueni 513, Callisthenis 519, Telegoni 567. Scholiasta Venetus Il. xxii. 397 narrat Eurydamantem Thessalum, Thrasyllo fratre Simonis occiso, ab hoc circa tumulum mortui raptatum fuisse: id narrasse Callimachum. Ipsos uersus Callimachi Proclus ad Plat. Rep. p. 391 citat. Conparentque haec eadem in Ibidis scholiis, unde ea ducta nisi ex sincero aliquo fonte, qui in hoc loco incorruptus mansit, alias foedatus ad nos descendit? Iam Limones supplicium nemo Romanus, quod sciam, memorauit: seruant id tamen scholia Ibidis, atque adeo cum Graeco nomine quo locus is insignitus est. Siritanorum tragoediam 379 unus Romanorum Iustinus xx. 2 seruauit, Graecorum Lycophron cum Scholiis in eum ac Tzetza. Vnde igitur Ibidis scholiasta conpertum habuit eo referendum esse distichon 379, 380? Non ex Iustino, apud quem de Thracia Minerua ne uerbum quidem. Confirmo antiquitus id traditum fuisse, quamquam turbate: nec dubito eandem rem a Callimacho narratam, eodem teste Scholiasta. De ceteris unum dico quod Merkelium Schneiderumque latuit; aliquas apud Nonnum extare in Συναγωγῇ Ἱστοριῶν pp. 986 sqq. tom. ii. operum Gregorii Nazianzeni ed. Migne, sed Graece: Anaxarchi xv, Herculis cum Thiodamante ac Dryopibus xli, Lindiorum lvi. Non quod hinc in Scholia Ibidis uenerint, nam quae in his nusquam conparet, historia Cleombroti Ambraciotae (493, 4) non solum apud Nonnum, ceterosque Gregorii interpretes extat, sed etiam apud Ciceronem Tusc. Disp. i. 34, Pro Scauro § 4, Lact. iii. 18, et eodem teste Cicerone Callimachi epigrammate celebrata est. Quod sane mirum: fabulam quae multos optimosque habuit auctores, in his Callimachum, Scholiastam adeo fefellisse

* An hinc in Schol. 297 uenit *Themisto*?

ut nec Callimachi quem alias non raro usurpauit, nec Cleombroti uestigium seruauerit; falsa omnia eaque perinepta de Alcibiade confinxerit. Rursus considerentur scholia 475 de Telchinibus, 561 de Haemo et Rhodope. Esto ut uera in his non sit explicatio uersuum; uerae tamen historiae, neque eae uulgares, ut a bono fonte deriuandae fuerint. Certe Leuconis et Spartaci, regum Ponti, nomina quae scholiastae habent ad 310 uera ex uero fonte, siue Diodoro siue alius quis fuit, profluxerunt: quamquam dubito num ad hos historia pertineat. Ex Diodoro ea sumpta ut credas, potest adlegari schol. 505 quod cum in Saluagnii codice sic scriptum sit *In Andragathia regione uenator* κ.τ.λ. recte Ehualdus intellexit ex Diodori uerbis iv. 22 κυνηγὸν ἐν τοῖς κατὰ τὴν θήραν ἀνδραγαθήμασι διωνομασμένον pendere, sed male intellectis. Verum Saluagnii codices ualde uereor ne saeculi xv fuerint: eius certe saec. codex est Vaticanus in quo idem nomen inueni, ut testatus sum ad loc. Qui codex quo plenius locum Diodori citauit, hoc certius doctrinam sapit renascentis Graeciae, dico eruditos saec. xv.

Hanc uetustatis opinionem, ex rebus ductam, etiam alia confirmant. Velut in C et Bern. quod legitur *Spartacon* 310, *edos* (*Aeolos*) 388 quod in C, *ancilla siquidem latris uocabatur* 352 quod latet in P, *Tauros* 384 in C et Ask, *Aten* (*Attin*) 507 in Ask, ex eo tempore supersunt quo Graeca nomina Graeco more scribebantur. Contra quod G habet in 547 *Mammertus uel ta* diligentiam demonstrat scribae qui de uera inflexione uocabuli haesitabat.

Notiores fabulas Scholiastae ita narrant ut ubi apud Ouidium uel Statium extant ex his ipsis duxisse uideantur. Rarius Seruii uel Lactantii commentarios, neque umquam ipsis uerbis, secuti sunt. Velut 339 de Palamede quae habent GC Ask extant ea quidem ap. Seru. Aen. ii. 82 et Mythographos Vaticanos i. 35, ii. 200, sed eis uerbis, quae latine scientem prodant; Ibidis scholiastae sermone utuntur incompto plerumque, nonnumquam barbaro uel in barbariem uergente. Etiam Mure qui Lactantii uerba ad Stat. Achil. i. 93 presse secutus est, multa tamen inmutauit. Iam 366, 473, 555 historiae Oenomai Salmonei, Glauci equarum, Ibidis scholiis cum Seruio et Mythographis Vaticanis communes sunt. Sed Seruium Mythographi exscripserunt, Ibidis scholiastae bis semelue referunt, 366 *cereis axibus*, 555 *dilacerauerunt*. Qua in re errauit Ehualdus dum uerborum deprehendit concentum qui aut nullus aut tenuissimus est, quemadmodum perperam ad Valerium reuocauit scholia de Euripide et Milone 595, 609, ad Hyginum de Pelopia et Nyctimene 359, de Idmone et Ancaeo 503, de Hippolyto nepote Aethrae 577.

Idem Ehualdus ex loquendi genere colligit scholia haec in Gallia a clerico conscripta fuisse septimo uel octavo saeculo; dein huius adnotationes bis auctas et inmutatas esse, primum decimo uel undecimo saeculo, iterum postea ab eis ad quos codices Saluagniani sunt referendi. Ego, qui praeter C Ask et Saluagniana nouos duos PG excussi, intelligo praeter uersus ficticios ac nomina quae eis subnectuntur perpauca ad nos ita descendisse ut commune aliquod genus dicendi in iis inuestigaremus: neque ex locutionibus quas Ehualdus congessit aetatem uniuersorum colligo. Habent sane C et Ask cum

Mure *binomium* de Iro; sed non hinc sequitur scholion septimo demum uel octauo saeculo scriptum fuisse, cum *binomius* apud Paulum legatur, p. 36 Müller, etsi ad rem decidendam Festi uerba non supersint. Suntque cetera similia quae attulit; ante saeculum quintum scribi uix poterant; sed fluctuante post 300 A.D. usu latine scribentium multa iam tum usurpabant quae plerumque seriori saeculo adsignantur. Sed tamen duo sunt quae si in scholiis erant quo tempore primum concepta sunt, recentissimum auctorem prodere non infitior: (1) *quod* pro *ut*, (2) *sibi se* pro *ei eum eis eos*. At haec in C Ask tantummodo perpetua sunt: in GP rarius occurrunt; poterant igitur abesse antiquitus, post inuectam sermoni barbariem ingredi. Neque uero clericum mihi Ehualdus, neque in Gallia haec enotasse persuasit.

Mihi totum corpus scholiorum exigenti nihil significantius uidetur quam quod ad 259 regulus Gothorum dicitur is qui reuera rex in Thracia fuit, Phineus; neque id solum, sed et uxor eius et filii Doryclus et Othryllus siue Oreithyius, Gothorum ut uidetur acceptis nominibus, Affa Dorilas Totilas appellantur.* Id neque ante admissos in Thraciam Gothos nec post oblitteratum ibi Gothorum nomen fieri potuit. Hinc suspicor neque ante annum 376 A.D. nec diu post Iustiniani aetatem 482–541 ea nomina scholiis inuecta fuisse. Quod si uere conicio iam ante id tempus 376–541 supererat in codice aliquo Ibidis breuis quaedam adnotatio rerum nominumque, in quam animi causa uel notarius uel scholiasta sexto uel septimo saeculo, fortasse ipse Gothus sicut Iordanis (de Getar. Orig. 50), ficta nomina simul et ficticios uersus interpolauit. Clericum hunc fuisse nihil indicat; nec sane uero est simile historias ab huiusmodi homine confingi, obscena pleraque et pagani moris amplectentes. Versus maximam partem crediderim ab eodem confictos; nonnulla alii addidisse uidentur, sicut ne historias quidem omnes ab uno profectas arbitror: nam uitiatis demum nominibus *leotrepido Sardana pallus* scholia uersuum 512, 311 inlata sunt.

* Non desunt et alia nomina quae aut Gothorum sunt aut in Gothorum annalibus proueniunt. Conferantur *Andugenes* (schol. 329) et Iordanis *Andagis*, *Neodes* (schol. 313, 317) et Iordanis *Neoda* siue *Netad*. Sic *Asterius Darius Andragathius* (schol. Ibid.) inueniuntur ap. Gibbon iii. p. 209, 213, ii. p. 513 ed. Milman.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Ib. 118. Accendas *coni. Iortinus in Miscellan. Obseruat. I. p.* 227.

Ib. 280. *Pro* aquis *inprimendum erat* equis.

Ib. 549. Syracosio *correxit Const. Fanensis.*

Ib. 573. Psamathes *in nonnullis codicibus legi testatur Const. Fanensis.*

Schol. 103. *Nescio an huc pertineat Hesychianum* φῆρος· ἡ τῶν ἀρχαίων θεῶν τροφή. *Cf. Lob. Aglaoph. p.* 866.

Schol. 305. *Cf. Hesych.* Περφίλα· Σωσίβιος. κύριον ὄνομα. *An est* Pyrpile? *cf. Solin. p.* 83 *M.*

Schol. 385. *Cf. Pacat. Paneg. Theodos.* 26.

Schol. 451. *Clementi Alex. Protrept.* 12 *S. Menedemus* δαίμων *est Cythniorum.*

Comment. ad. u. 28. Constant. *non* Constantin. *scribendum erat.*

IBIS.

TEMPUS ad hoc, lustris bis iam mihi quinque peractis,
  Omne fuit musae carmen inerme meae:
Nullaque quae possit scriptis tot milibus extat
  Littera Nasonis sanguinolenta legi:
Nec quemquam nostri nisi me laesere libelli,
  Artificis periit cum caput Arte sua.
Vnus—et hoc ipsum est iniuria magna—perennem
  Candoris titulum non sinit esse mei.
Quisquis is est—nam nomen adhuc utcumque tacebo—
  Cogit inassuetas sumere tela manus.
Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus
  Non sinit exilio delituisse meo:
Vulneraque inmitis requiem quaerentia uexat
  Iactat et in toto nomina nostra foro.

11. Eutyches Art. II. 7 Ouidius in Ibide participium ponit, Ille relegatum gelidas Aquilonis ad oras Non sinit exilio (Non ausus sit exliso *codex Bobiensis Keilii*) delituisse suo.

Incipit liber ouidii in ibin *G*   Incipit Ouidius denibin *X*
Ouidii Nasonis liber in (l'ī) ibim incipit *F*   Incipit liber .o. de ibin *H.*

1. in hoc *FP*   ad *H*   iam nunc mihi *G*   v. *pro* quinque *H.*
4. Littera *GHTX*   Litera *P.*
7. Huius *G solus*   perhennem *FGHTX.*
8. Candoris *T.*
9. adhud (c) *H*   latebit *TX*   tacebo (l' latebit) *H.*
10. inassuetas *GTX*   in assuetas *P*   mansuetas *uel* inasuetas *Scholiasta C.C.C.*
11, 12 *extant apud Eutychen Art. II. 7 p.* 475 *ed. Keil.*
11. religatum *H.*
12. suo *P et Eutyches.*
13. inmitis *GHX*   inmittis *F*   immitis *T.*
14. uerba canina *FTX.*

Perpetuoque mihi sociatam foedere lecti
Non patitur miseri funera flere uiri.
Cumque ego quassa meae conplectar membra carinae,
Naufragii tabulas pugnat habere mei.
Et qui debuerat subitas extinguere flammas,
Hic praedam medio raptor ab igne petit.
Nititur ut profugae desint alimenta senectae.
Heu quanto est nostris dignior ipse malis!
Di melius, quorum longe mihi maximus ille est,
Qui nostras inopes noluit esse uias.
Huic igitur meritas grates, ubicumque licebit,
Pro tam mansueto pectore semper agam.
Audiet hoc Pontus. Faciet quoque forsitan idem
Terra sit ut propior testificanda mihi.
At tibi calcasti qui me, uiolente, iacentem,
Qua licet ei misero debitus hostis ero.
Desinet esse prius contrarius ignibus umor,
Iunctaque cum luna lumina solis erunt,
Parsque eadem caeli zephyros emittet et euros,

15, 16 *post* 18 *scripti sunt in P.*
16. uiui *pro* miseri *G* mei [l' uiri] *P.*
17. Dumque *V* complectar *T* ꝯplectar *G* cōplectar *FX* ꝯplector *P.*
22. quantum [to] *F* to *fortasse recentiore* ille *GHX.*
23. Dii *codd.* est *om. T fortasse uere.*
24. nostras melius inopes *V* non sinit *G* uoluit *P et T nisi me fallunt oculi.*
25. Hinc *FH* h [c] *G quod uidetur esse* huc magnas grates *H* quascūque [al. ut] *Parm.*
27. Audiat *G* queque *P.*
28. sitū *G pro* sit ut ut *om. X* potior *P et Parmensis.*
30. Qua *G, idque Merkelium secutus reposui* Quā *P* Quam *Vat.* Quod *FHTX* libet *Vat.* hei *FTH* heu *GX* et *P* e *Parm.* ei *Merkelius Fortasse* deditus, *cf. Birtii Halieutica p.* 31.
31–44 *extant in Deflorationibus Atrebatensi* 65, *Parisina* 17903, *Brit. Mus.* 18459, *sed ita ut omissi fuerint in Atrebat. et Paris.* 35, 36, 41, 42, *in Brit.* 32, 33, 39–42.
31. *Signum paragraphi* ſ Desinet *in Vat.* humor *codd. et Deflorationes* umor *Riesius.*
32. Cunctaque *Deflor. Paris* tempora *pro* lumina *H.*
33. Pars *F Paris.*

Et tepidus gelido flabit ab axe notus,
Et noua fraterno ueniet concordia fumo,
Quem uetus accensa separat ira pyra;
Et uer autumno, brumae miscebitur aestas,
Atque eadem regio uesper et ortus erit;
Quam mihi sit tecum positis, quae sumpsimus, armis,
Gratia commissis, improbe, rupta tuis;
Quam dolor hic umquam spatio euanescere possit,
Leniat aut odium tempus et hora meum.
Pax erit haec nobis, donec mihi uita manebit,
Cum pecore infirmo quae solet esse lupis.
Prima quidem coepto committam proelia uersu,
Non soleant quamuis hoc pede bella geri.
Vtque petit primo plenum flauentis harenae
Nondum calfacti militis hasta solum;
Sic ego te nondum ferro iaculabor acuto,
Protinus inuisum nec petet hasta caput;
Et neque nomen in hoc nec dicam facta libello,
Teque breui qui sis dissimulare sinam.
Postmodo, si perges, in te mihi liber iambus

34. gelido tepidus *G* fl$\overset{a}{e}$bit *G* auxe *Deflor. Brit. Mus.* nothus *GTVX Deflorationes.*
36. Quam *FGHMPTVX Parm.* quem *Phillippicus* 23620 *Saec.* XV pira *FGPTV* pyra *X.*
37. autumpno *GPTVX Deflorat.* autūno *H.*
39. sumsimus *T.*
40. Irā *Deflor. Paris.* conmissis *sic F* improbe *GP* inprobe *Deflor. Paris.*
41, 42 *om. GP Vat. qui tamen scriptos habent post* 132 Auferet illa dies quae mihi sera uenit. *Idem uersus* 41, 42 *in F ante* 39 *scripti sunt. Et hic quidem possunt abesse, post* 132 *aegre desiderantur.*
42. aura *T.*
43, 44 *extant in Flosculis Ouidii in Ibim* (libim *cod.*) *Bodl. Canon. Patr. Lat.* 43 *fol.* 89[b] *saec.* XV semper dum uita *Fl. Bodl., Deflorationes Atrebatensis Parisina Mus. Britannici* peccore *Paris.* pectore *Atrebat.*
45. tamen *HM* cepto *codd.*
47. harene *FGHTX* arene *P.*
48. calfati *HP* uelitis *P Parm.* arma *pro* hasta *G quod fortasse ex* asta *ortum* *Post* hasta *spatium in F.*
49. ferro nondum *FP Parm.*
50. Protinus *codd.* ne *HMX* petat *MX* asta *P.*
51. neque in hoc nomen *V* neque—neque *GH* neque—nec *T.*
52. quis *HM* sim *V* disimulare *G* sciam sinam *V.*
53, 54. In te—dabit *citat Conradus s. u.* Archemorus.
53. pergis *F.*

Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.
Nunc quo Battiades inimicum deuouet Ibin,
Hoc ego deuoueo teque tuosque modo.
Vtque ille, historiis inuoluam carmina caecis,
Non soleam quamuis hoc genus ipse sequi.
Illius ambages imitatus in Ibide dicar,
Oblitus moris iudiciique mei.
Et quoniam qui sis nondum quaerentibus edo,
Ibidis interea tu quoque nomen habe.
Vtque mei uersus aliquantum noctis habebunt,
Sic uitae series tota sit atra tuae.
Haec tibi natali facito Ianique Kalendis,
Non mentituro quilibet ore legat.

Di maris et terrae, quique his meliora tenetis
Inter diuersos cum Ioue regna polos,
Huc precor huc uestras omnes aduertite mentes,
Et sinite optatis pondus inesse meis.
Ipsaque tu tellus, ipsum cum fluctibus aequor,
Ipse meas aether accipe summe preces.
Sideraque et radiis circumdata solis imago,
Lunaque quae numquam quo prius orbe micas;

54. Dicta *P an* Ducta? licambeo *codd.* licanbeo *F.*
55 *citat Conradus s. u.* Bathus. $\overset{c}{\text{N}}$ *G* quoque *HX* batiades *T* balciades *FG* baciades *PV* bachiades *HX* bathyades *Conradus* ibin *G* ibim *HFVX* ibī *PT.*
56. quoque *pro* ego *T* modos *X.*
57. vt *H* istoriis *G* crimina *P.*
58. Quamuis non soleam *G* loqui *etiam G, sed habet in margine* ł loq sequi.
60. indiciique *H.*
61. qui *PX Vat.* quis *GHMT* nondum quis sis *G.*
62. habes *P.*
64. series uite *F.*
65. festo panique *G* iamque *H.*
67. *Signum paragraphi* ſ *in G Vat. In T uocabulum* Dii *caeruleo ac rubro colore distinctum et solito maius est.* Dii *codd.* hiis *GX* his *T.*
69. Nunc precor *GT* omnes uestras *V Riesius* nostras *P Vat.* auertite *P* diuertite *Parm.*
72. p̄ees *F ut uidetur.*
73. circundata *F* ymago *HV.*
74. $\overset{\text{l' orbe}}{\text{ore}}$ *G.*

Noxque tenebrarum specie reuerenda tuarum,
  Quaeque ratum triplici pollice netis opus;
Quique per infernas horrendo murmure ualles
  Inperiuratae laberis amnis aquae;
Quasque ferunt torto uittatis angue capillis
  Carceris obscuras ante sedere fores;
Vos quoque plebs superum fauni satirique laresque,
  Fluminaque et nymphae semideumque genus,
Denique ab antiquo diui ueteresque nouique
  In nostrum cuncti tempus adeste ch*ao*;
Carmina dum capiti male fido dira canuntur,
  Et peragunt partes ira dolorque suas.
Annuite optatis omnes ex ordine nostris,
  Et sit pars uoti nulla caduca mei.
Quaeque precor, fiant, ut non mea dicta, sed illa
  Pasiph*ae*s generi uerba fuisse putet.
Quasque ego transiero poenas, patiatur et illas.

76, 77 *transuerso ordine scripti sunt in V.*
76. netis *T* nectis *FGHPX* nectit *V.*
77. herendo *H* orrendo *P.*
78. Inperiurate *HTX* Ĩpiurate *G* Imperiurate *FP* annis *F.*
80. obstrusas *HM.*
81. pleps *G.*
82. Flumina *H* nimfe *T.*
83. diuum *F.*
84. cori *G* thori *H Vat.* chori *FMPVX Parm. idque in codicibus saec.* XV *constanter inueni, etsi Constantinus Fanensis in Sarritionibus Annotationum in Ibin, quem librum Nicolao Abstemio dedicauit Fani MDVIII testatur in bonis exemplaribus non* chori *legi sed* chao, *ut sit ab antiquo chao .i. a mundi primordio. Ego* chao *impressum inueni in edit. Rubei Veneta anni* 1474. *Nescio quid tribuendum sit libro de orthographia qui L. Caecilii Minutiani Apuleii Grammatici habitus est* §§ 44 'Quamquam Orpheus Linus et Hesiodus deos ex chao ab initio erupisse dixerint, quos et plerique ex nostris sequuntur: ut ab antiquo chao ueteresque diuique nouique i. n. t. d. c. a.' *Non dissimili errore* cohum *in* chorum *abiit Apul. de deo Socratis* §§ 121 *Oudend. Cf. uersus ex papyro magica quam edidit Parthey* 1. 315, 316 Κλῦθι *μάκαρ κλῄζω σε τὸν οὐρανοῦ ἡγεμονῆα Καὶ γαίης χάεός τε καὶ ἄϊδος ἔνθα νέμονται.*
85. malefido *G* nil fido *V* canuntur *GPX* canentur *T* canantur *HM Parm.*
86. peragent *PT* peragant *HMX Parm.*
88. sit pars *FHT* pars sit *GPVX.*
89. non ut *F* mihi *pro* mea *G* set *Vat.* ille *ed. Rubei.*
90. Pasiphes *codd.*
91. patiantur *P.*

Plenius ingenio sit miser ille meo.
Neue minus noceant fictum execrantia nomen
Vota, minus magnos commoueantue deos,
Illum ego deuoueo, quem mens intelligit, Ibin,
Qui scit se factis has meruisse preces.
Nulla mora est in me: peragam rata uota sacerdos.
Quisquis ades sacris, ore fauete, meis,
Quisquis ades sacris, lugubria dicite uerba,
Et fletu madidis Ibin adite genis,
Ominibusque malis pedibusque occurrite laeuis,
Et nigrae uestes corpora uestra tegant.
Tu quoque, quid dubitas ferales sumere uittas?
Iam stat, ut ipse uides, funeris ara tui.
Pompa parata tibi est, uotis mora tristibus absit.
Da iugulum cultris, hostia dira, meis.

Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas,
Deneget afflatus uentus et aura suos.
Nec tibi sol calidus, nec sit tibi lucida Phoebe,

94. commoueantque *GT Vat.*
95. ibin *G* ibī *FPX* ibim *H.*
96. scit se *FG* se scit *HPTX* se sit *Vat.* fatis *Vat.* suis *pro* preces *Parm.*
97. mea *pro* rata *G* uerba *Vat.*
98. ades *GX Merkelius* adest *FHMPTV Parm.* rogo *pro* meis *P* precor *T* fauere ueto *H.*
99. ades *GX* adest *FHMPTV Parm.*
101. Hominibusque *P b. e.* Ominibus Ominibusque *GHMTVX Parm.* Om̄ibusque *F* Nominibusque *V Saluagnius Merkelius* pedibus *H* occurite *X.*
102. pectora *HV.*
103. mortales *G* $\overset{\text{mortales}}{\text{ferales}}$ *H* uittas *FP* uestes *GHT.*
107–118, 120, 123–125 *extant in Flosculis Ouidii Canon. Patr. Lat.* 43 *p.* 89[b] *saec.* XV, 107–126 *in Deflorationibus Atrebatensi et Parisina,* 107–118, 120, 123–126 *in Defloratione Brit. Mus.* (*Add.* 18459).
107. potus tibi deneget unda *F* aquis *pro* amnis *Flosc. Bodl.* ānis *Brit. Mus.* anius (? annis) *Atrebat.* undis *Deflor. Paris. Ante hunc uersum signum paragraphi in Vat.*
Vu. 109, 110 *inuerso ordine scripti sunt in P.*
109. calidus *Vincentius Bellouacensis et sic Flosculi Bodl. et Deflorationes* clarus *codd.* calida *pro* lucida *Deflor. Brit. Mus.*

Destituant oculos sidera clara tuos.
Nec se Vulcanus, nec se tibi praebeat aer.
Nec tibi det tellus nec tibi pontus iter.

Exul, inops erres, alienaque limina lustres,
Exiguumque petas ore tremente cibum.
Nec corpus querulo nec mens uacet aegra dolore,
Noxque die grauior sit tibi, nocte dies.

Sisque miser semper nec sis miserabilis ulli.
Gaudeat aduersis femina uirque tuis.
Accedat lacrimis odium, dignusque putere
Qui mala quum tuleris plurima, plura feras.
Sitque, quod est rarum, solito defecta fauore
Fortunae facies inuidiosa tuae.

Causaque non desit, desit tibi copia mortis,
Optatam fugiat uita coacta necem.

110. lumina *G*.

111. Nec tibi Vulcanus *Fl. Bodl. et Deflor. Brit. Mus.* ether *G* l'aer ether *H*.

112. pondus *Atrebat.* ponthus *Paris.* iter *om. Brit. Mus.*

Vu. 113–118, 123–4 *insunt duabus Anthologiis saeculi xiii Bibliothecae Phillippicae* 1813, 1827 *iidemque omisso* 118 *in cod. Duacensi* 690.

113. inobs *Deflor. Paris.* lumina *V, pr. F, pr. P, Fl. Bodl. Anthologiae Phillippicae et prima manus Atrebat.*

114. petens *X* uomente *Vat.*

115. q̄ulo *G Num* corylo? *Sen. Cont.* 10. 33. 2 *de mendicantibus* Hinc caeci innitentes baculis uagantur, hinc trunca brachia circumferunt. uaccet *Deflor. Brit. Mus.*

116. Norque *altera Anthologiarum* dieṣ *G* stet *P*.

117. Bisque miser semper ne̦[c] sis *Deflor. Paris.*

119. Accipias *Atrebat. et Paris.* hodium *P* dinusque *F* putere *TX Parm. Merkelius* puteris *FGHMV* putare *Paris.*

120. Et *pro* Qui *G* nulla *Fl. Bodl.* contuleris *Duacensis* feres *Duacensis.*

121. defrecta *Vat.* deserta *V Phillippicus* 23620 *saec.* XV. *Atrebat. Paris. Riesius.*

122. Erumpne *X Vat.* fatias *Paris.*

123. co pia *F erasa una littera* quoque *pro* tibi *G*.

124. fugiet *H* fugias *Brit. Mus.*

Luctatusque diu cruciatos spiritus artus
  Deserat et longa torqueat ante mora.

Euenient. Dedit ipse mihi modo signa futuri
  Phoebus et a laeua maesta uolauit auis.
Certe ego, quae uoueo, superos motura putabo,
  Speque tuae mortis, perfide, semper alar.
Et prius hanc animam, nimium tibi saepe petitam,
  Auferet illa dies quae mihi sera uenit;
Quam dolor hic umquam spatio euanescere possit,
  Leniat aut odium tempus et hora meum.
Pugnabunt arcu dum Thraces, Iazyges hasta,
  Dum tepidus Ganges, frigidus Ister erit,
Robora dum montes, dum mollia pabula campi,

125. Luctatoque *Fl. Bodl.* Luctatosque *Paris. et Brit. Mus.* cruciatur *P* deserat artus Spiritus *T Riesius.*

126. Spiritus et *TV* deserat *pro* torqueat *G* arte *Paris.*

127. dabit *X* modo mihi *T.*

128. sonauit *PX Vat.* sonauit (r uolauit) *Parm.* uolabat *V.*

129. quod *V* mȩueo (o) *G* moueo *H*. mụtura (o) *G.*

130. pessȩme (i) *G* pessime *PX Parm. Vat.* perfede *V m. pr.* *Post* 130 *codices habent hoc distichon* Finiet illa dies que te mihi subtrahet (subtrait *Vat.*) olim Finiet illa dies que mihi (tibi *G*) tarda uenit, *nisi quod F positos habet post* 132. *Inueteratam interpolationem fuisse G demonstrat, qui subditicios uersus* Finiet—Finiet *seruauit, omisit* Et prius—Auferet. *Originem corruptelae ingeniose explicauit Merkelius.*

131, 2 *om. G.*

131. saeue *Heinsius.*

133, 134 *om. Merkelius Ries.*

133. uanescere *malebat Heinsius.*

134. aura *HM* ora *P.*

Vu. 135–144 *cum* 155–158 *extant in Defloratione Atrebatensi,* 135–142 *cum* 157–158 *in Parisina.*

135. Pugnabant *X* traces *codd.* iaziges *Atrebat.* iapiges *T* iapides *FGHMX Parm.* yapides *Vat.* ypides *P* asta *P* traces tuscus et hasta *V miro errore* Pugnabunt iaculis dum Thraces, Iazyges arcu *Heinsius et Merkelius, idemque impressum fuerat in ed.* 1477.

136. trepidus *X Atrebat.* rapidus *Vat.* gȩnges (a) *G* hister *FGTVX Paris. Atrebat.* ister *HP.*

137. mollia pabula *FTV Paris. Atrebat.* pabula mollia *PX* mitia pabula *G.*

Dum Tiberis liquidas Tuscus habebit aquas,
Tecum bella geram: nec mors mihi finiet iras
Saeua sed in manis manibus arma dabo.
Tum quoque, cum fuero uacuas dilapsus in auras,
Exanguis mores oderit umbra tuos.
Tum quoque factorum ueniam memor umbra tuorum,
Insequar et uultus ossea forma tuos.
Siue ego, quod nollem, longis consumptus ab annis,
Siue manu facta morte solutus ero;
Siue per immensas iactabor naufragus undas,
Nostraque longinquus uiscera piscis edet;
Siue peregrinae carpent mea membra uolucres,
Siue meo tinguent sanguine rostra lupi;
Siue aliquis dignatus erit supponere terrae
Et dare plebeio corpus inane rogo;
Quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris,
Et tendam gelidas ultor in ora manus.

138. tyberis *PTVX* flauas *coni. Sanctius* fascus *Parm.*
139. Tecum bella geram *G* Bella geram tecum *cett.* nec *cum signo paragraphi Vat.* finiat *Paris.* iram *G.*
140. in manis *X Parm.* in manes *GHPT Paris.* dabit *Heinsius Merk.*
141. Tum *GP* Tunc *FGH Atrebat.* Tu *X* Nunc *Paris.* fuso *V* uacuas fuero *H* dilapsis *V m. pr.* delapsus *G.*
142. Exanguis *T cf. Met. IV.* 443 Exanimis *cett. cum Deflorationibus* mores *GPV et Deflorationes* manes *FT Parm.* audiet (oderit) *G.*
143, 4 *post* 155–8 *extant in Annalibus Ricardi II* (*Cod.* 7 *Collegii Corporis Christi apud Cantabrigienses*).
143. Tum *FPT* Tunc *GH codex Annalium* Tu *X.*
144. forma *codd. et codex Annalium cum Deflor. Atrebat.* larua *Saluagnius testatur se in quibusdam exemplaribus comperisse, recepit Merkelius. Ego id nusquam inueni.*

145. nolim *Phillippicus* 23620, *Merkelius* consumptis (u) *G.*
146. manufacta *H.*
147. inmensas *GHX* ĩmensas *T* immensas *P.*
148. longinqus *GTX* corpora *HT* edit *V* edạt (e) *G.*
150. tingent *GHPVX* tinguent *FT* nostra *P.*
151. subponere *VX.*
152. plebeo *X* phebeio *V.*
153. Quicquid *GHPTVX* *Sed uide Lachmannum ad Lucr. V.* 264, *Munronem ad I.* 22. erit *G Vat.* harenis (l' ab horis) *G* horis *FTVX* oris *P* undis *Parm.*

Me uigilans cernes, tacitis ego noctis in umbris
  Excutiam somnos uisus adesse tuos.
Denique quidquid ages, ante os oculosque uolabo,
  Et querar, et nulla sede quietus eris.
Verbera saeua dabunt sonitum, nexaeque colubris
  Conscia fumabunt semper ad ora faces.
His uiuus furiis agitabere, mortuus isdem,
  Et breuior poena uita futura tua est.
Nec tibi continget funus lacrimaeque tuorum;
  Indeploratum proiciere caput.
Carnificisque manu populo plaudente traheris,
  Infixusque tuis ossibus uncus erit.
Ipsae te fugient, quae carpunt omnia, flammae,
  Respuet inuisum iusta cadauer humus.
Vnguibus et rostro tardus trahet ilia uultur,
  Et scindent auidi perfida corda canes.

Annal. Ricardi II ed. Riley p. 218. Sed Rex, licet tunc laetaretur de perpetrato negotio, mox sub breui temporis spatio indicibiliter turbabatur in somnis et in somnio: uidebatur nempe umbra Comitis, mox ut dormire coepisset, ante eius oculos uolitare, minari sibi, et horribiliter deterrere eum, quasi diceret sibi illud poeticum quod habetur in Ibin: Me uigilans cernes—Excutiam—Denique—Et querar—Tunc quoque factorum—Insequar.

155–158 *extant in Annalibus Ricardi II (p. 218 ed. Riley Lond. 1866) quem librum scripsisse creditur ante annum 1424 Willelmus Wyntershylle e monasterio S. Albani. Horum Annalium diuersum exemplar superest in codice Cottoniano (Faustina B. IX) et Bodleiano 462.*

155. tacitis ego *codd. et Faustina B.* IX. taciturnae *cod. Cantabrigiensis Annalium* noctis (notos *Faustina B.* IX) in *GHTV et Faustina B.* IX conditus *PX Parm. Vat.*

156. sompnos *FGPTVX.*

157. quicquid *GHTX* uidebor *codices Annalium.*

158. parte *Parm.*

159. seua *GMPTX Parm.* seua *H* (l' torta) torta *V* torua *F* nexeque *H* (l' texte) colubre *G et sic coni. Merkelius ex M. IV.* 492.

161. Hiis *GX* hiisdem *G* hisdem *FH.*

163. contingent *Vat. Merkelius* fumus *PX.*

164. proitiere *T.*

167. carpent *X.*

169. Vmguibus *H* crudus *Heinsius.*

170. auide *F.*

Deque tuo fiet—licet hac sis laude superbus—
Insatiabilibus corpore rixa lupis.
In loca ab Elysiis diuersa fugabere campis,
Quasque tenet sedes noxia turba coles.
Sisyphus est illic saxum uoluensque petensque,
Quique agitur rapidae uinctus ab orbe rotae;
Quaeque gerunt umeris perituras Belides undas,
Exulis Aegy*p*ti turba cruenta nurus.
Poma pater Pelopis praesentia quaerit, et idem
Semper eget liquidis, semper abundat, aquis.
Iugeribusque nouem qui distat summus ab imo,
Visceraque assiduae debita praebet aui.
Hic tibi de Furiis scindet latus una flagello,
Vt sceleris numeros confiteare tui.
Altera Tartareis sectos dabit anguibus artus,
Tertia fumantes incoquet igne genas.
Noxia mille modis lacerabitur umbra, tuasque
Aeacus in poenas ingeniosus erit.
In te transcribet ueterum tormenta uirorum,
Manibus antiquis causa quietis eris.

171. fiat *T* ac *P*.
172. reta *V*.
173. *Signum paragraphi in Vat.* elisiis *codd.* uocabere *G* campi diuersa fugare *V*.
174. impia *G*.
175 *citat Conradus de Mure s. u.* Sisiphus Sisiphus *GHV* Sysiphus *FPTX* ille qui *Conradus*.
176. roge *V*.
177 *citat Conradus s. u.* Belides Quique *X* humeris *codd.*
178. egisti *FGPTVX Vat.* egesti *HM* egypti *Laurentianus XXXVI.* 21 *cum Phillippico* 3360.
179. patri *X* captat *FT*.
180. habundat *codd.*
181. $\overset{ue}{\text{ix}}$ *G* qui distat summus *P Vat.* summus qui distat *GHTX*.
182. Vesceraque *G* · assiduo *X*.
183. sic tibi *V* ima *HX*.
184. numeros sceleris *H* confitare *X*.
186. inquoquet *FHX* incoquit *V*.
188. Eacus *codd.* eat *T*.
189. transcribent *V* monumenta *G* reorum *Heinsius secundum Senec. H. F.* 580, *Claudian. in Rufin. II.* 495.
190. Manibus *F cum quattuor Laurentianis XCI Sup.* 25. *XXXVI.* 21, 31, 34 Omnibus *GHMPTVX*.

Sisyphe, cui tradas reuolubile pondus habebis.
  Versabunt celeres nunc noua membra rotae.
Hic erit et ramos frustra qui captet et undas,
  Hic inconsumpto uiscere pascet auis.
Nec mortis poenas mors altera finiet huius,
  Horaque erit tantis ultima nulla malis.
Inde ego pauca canam, frondes ut siquis ab Ida
  Aut summam Libyco de mare carpat aquam.
Nam neque quot flores Sicula nascantur in Hybla,
  Quotue ferat dicam terra Cilissa crocos,
Nec, cum tristis hiemps aquilonis inhorruit alis,
  Quam multa fiat grandine canus Athos.
Nec mala uoce mea poterunt tua cuncta referri,
  Ora licet tribuas multiplicata mihi.
Tot tibi u*a*e misero uenient talesque ruinae,
  Vt cogi in lacrimas me quoque posse putem.
Illae me lacrimae facient sine fine beatum.
  Dulcior hic risu tunc mihi fletus erit.
Natus es infelix, ita di uoluere, nec ulla

191. Sysiphe *FPT* Sisiphe *GHV* credas *G*.
192. tunc *F*.
193. erit et *GPX Parm.* et erit *FHMTV* erit in *Vat.* et undis *G sed in marg.* l' et undas.
194. auis *X* aues *GPT*.
195. penam mor *H*.
197. ego *om. P* ab *GT* in *FHMPX Parm. Vat.* ibla *HM*.
198. sumam *P* liquido *marg.* libico *G* carpet *P*.
199. nec *F* nascantur *V* nascuntur *FGHMPTX Parm.* pascuntur *Vat.* ibla *FG* ybla *HPX*.
200. Quo[t]ue *P* Cylissa *HM* calissa *P* cilisca *FGTX Parm.* Falisca *V*.
201. hiemps *FV* hyemps *HX* yemps *P* iems *G* hyems *T* inhorreat *T* inorruit *P*.
202. fiet *V*.
203. Nec tua *F* mala cuncta *F*.
204. multiplicanda *G*.
205. ue *codd.* Tot ue tibi uenient misero *G* ueniant *T* tanteque *F*.
206. queque *P* putes *Vat.* putas (e *supra* a) *P*.
207. mee *P*.
208. is *F* tum *PX* tunc *GHTV Merkelius*.
209. *Ante hunc uersum signum paragraphi in Vat.* dii *FGHTVX*.

Commoda nascenti stella leuisue fuit.
Non Venus illuxit, non illa Iupiter hora,
Lunaque non apto solque fuere loco.
Nec satis utiliter positos tibi praebuit ignes,
Quem peperit magno lucida Maia Ioui.
Te fera, nec quicquam placidum spondentia, Martis
Sidera presserunt, falciferique senis.
Lux quoque natalis, ne quid nisi triste uideres,
Turpis et inductis nubibus atra fuit.
Haec est in fastis cui dat grauis Allia nomen,
Quaeque dies Ibin publica damna tulit.
Qui simul inpurae matris prolapsus ab aluo
Cinyphiam foedo corpore pressit humum,
Sedit in aduerso nocturnus culmine bubo,
Funereoque graues edidit ore sonos.
Protinus Eumenides lauere palustribus undis,
Qua caua de Stygiis fluxerat unda uadis;
Pectoraque unxerunt Erebeae felle colubrae,

210. Comoda *P* leuisue *G* leuisque *FPTX* nascendi *X* stellaque clara fuit *H*.

211. Nec *G* illuxit *G* effulsit *T* affulsit *HPVX* non illa (in) *P* non ulla *X* nec in illa *FTV Vat.*

212. alto *F*.

214. Que *VX* Ioue *Parm.* roim *V*.

215. nequicquam *F*.

216. fa'ciferique *P*.

217. tibi *pro* nisi *GX*.

218. indutis *F*.

219. faustis *P* allia *FGHPT* alia *Parm.*

220. ibim *F Parm.* ybim *X* ybin *P* dapna *G* danpna *F* dampna *HTVX* danna *P*.

221. inpure *GH* in pura *P* impura *T* īpura *X* aluo *T Vat.* aluo est *FGHMPV In X* est *recentiore atramento uidetur additum.*

222. Cinifeam *T* Cynifeam *X* Sciniphiā *V* Cynipheam *P* Cenīfam *G* Cinnipheam *H* Ciniphiam *Conradus de Mure s. u.* Ciniphes phedo *P*.

223. auerso *F* culpmine *G* limine *F*.

225. heumenides *Vat.* uluis *Heinsius* paludibus udis *Saluagnius* '*Ego non offendo in repetitione uel maxime Ouidiana si modo recte haec pronuntientur.*' *Merkelius. Fortasse* urnis, *cf. M. III.* 162.

226. Quae *G*.

227. ūxerut *X* iunxerunt *V* herebee *FGTX* collubre *P*.

Terque cruentatas increpuere manus;
Gutturaque inbuerant infantia lacte canino;
Hic primus pueri uenit in ora cibus.
Perbibit inde suae rabiem nutricis alumnus,
Latrat et in toto uerba canina foro.
Membraque uinxerunt tinctis ferrugine pannis,
A male deserto quos rapuere rogo.
Et ne non fultum nuda tellure iaceret,
Molle super silices inposuere caput.
Iamque recessurae uiridi de stipite factas
Admorunt oculis usque sub ora faces.
Flebat ut est fumis infans contactus amaris;
De tribus est cum sic una locuta soror:
'Tempus in immensum lacrimas tibi mouimus istas,
Quae semper causa sufficiente cadent.'
Dixerat. At Clotho iussit promissa ualere,
Neuit et infesta stamina pulla manu.
Et ne longa suo praesagia diceret ore,
Fata canet uates qui tua, dixit, erit.
Ille ego sum uates, ex me tua uulnera disces,

229. Guturaque *F* inbuerant *Vat.* ībuerant *GHTX* imbuerant *P* imbuerunt *Harl.* 2538 infantia *om. T* lactentia (l' infantia) *G* camino *X.*
230. ore *X.*
231. Ebibit *F* Praebuit *Parm.* alumpnus *GHPTX.*
232. camina *X.*
233. Menbraque *FH* iunxerunt *GP, F ut mihi uisum est, Parm.* uinxerunt *T* ūxerunt *X* tinxerunt tactis *V* panis *H* tinctis[b] ferugine[c] pānis[a] *P.*
234. Ah *V* Et *G* quas *G.*
235. nedum *X.*
236. silicem *H* imposuere *GPTX* īposuere *H* capud *H.*
237. nitidi *X* cespite (stipite) *G* cespite *duae Phillippicae* 23620, 3360.
239. ~~ut~~ ut *P* furiis *G Vat.* infans fumis *HP* contractus *H.*
241. immensum *P* inmensum *FGHT* uouimus *Parm.*
242. cadunt *P* cadant *F.*
243. et *Harl.* 2538 *ed. Pr. Heinsius Merkelius Riesius* Cloto *FGHMPTVX.*
244. Ne uitet *P* infecta *F* pulsa *VX.*
245. duceret *Vat.*
246. iter *pro* erit *X.*
247. Lille *V* per me *F* in me *Parm.*

Dent modo di uires in mea uerba suas,
Carminibusque meis accedant pondera rerum,
Quae rata per luctus experiare tuos.

Neue sine exemplis aeui cruciere prioris,
Sint tua Troianis non leuiora malis.
Quantaque clauigeri P*o*eantius Herculis heres,
Tanta uenenato uulnera crure geras.
Nec leuius doleas quam qui bibit ubera ceruae,
Armatique tulit uulnus, inerm*is* *opem*.
Quique ab equo praeceps *in* Al*ei*a decidit arua,
Exitio facies cui sua paene fuit.
Id quod Amyntorides uideas, trepidumque ministro
Praetemptes baculo luminis orbus iter.
Nec plus aspicias quam quem sua filia rexit,
Expertus scelus est cuius uterque parens.

248. Dent modo dii (dum *V*) *codices nostri* Di modo dent *Merkelius.*
249. accedant *FGHMPTX Parm. Vat.* accedent *Merkelius.*
250. experiere *GHPTX Vat.* experiare *F Parm.*
251. *Signum paragraphi in Vat.*
253, 4 *citat Conradus s. u.* Alcides.
253. clauigera *X* peantius *codd.* peanthius *V* heres *FHX Conr.* [h]eres *P* heros *GT.*
254. uenenata *Conr.* uulnerẹ[a] *G* crura *P.*
255 *citat Conradus s. u.* Dareus Ne *P.*
256. Armatisque *P Parm.* Armatusque *FGHMTVX Vat.* uulnus *V Parm.* uulgus *FGHMPTX* inerme (inherme *P* inherme *T*) potens *codices omnes cum ed. Pr. et Rubei.* '*Lege* inermis opem. *uoluit enim poeta unico pentametro omnem Telephi fortunam comprehendere, qui armatus ab Achille grauissimum uulnus accepit, rursus supplex et inermis opem et auxilium ab eodem Achille impetrauit' cod.* 36 *Seminarii Patauini saec.* XVI. *Iam in Parm. super scriptum fuerat* inerme pro inermis.
257. aliena in decidit arua *HMPX* alienis decidit (incidit *FTV*) aruis (armis *G*) *FGTV Parm. Hinc conicias duplicem extitisse scripturam* in Aleia decidit arua, *et* in Aleis decidit aruis. *Priorem quam post Heinsium praetulit Merkelius ego quoque ut magis Ouidianam retinui.*
258. Excicio *G* Exitii *H* pena *GH.*
259. aminctorides *G* amintorides *PTV* amyntorides *X* trepidusque *FGHX* trepidumque *PT* tepidusque *V.*
260. Pretemptes *FHTVX Parm.* Pretemtes *G* Pretentes *P.*
261, 2 *citat Conradus s. u.* Anthigone.
261. Ne *Conradus* quemquam *V.*
262. facinus *pro* scelus est *F.*

Qualis erat, postquam est iudex de lite iocosa
  Sumptus, Apollinea clarus in arte senex,
Qualis et ille fuit, quo praecipiente columba
  Est data Palladiae praeuia duxque rati.
Quique oculis caruit, per quos male uiderat aurum,
  Inferias nato quos dedit orba parens.
Pastor ut Aetnaeus, cui casus ante futuros
  Telemus Eurymides uaticinatus erat.
Vt duo Phinidae, quibus idem lumen ademit,
  Qui dedit, *ut* Thamyrae Demodocique caput.
Sic aliquis tua membra secet, Saturnus ut illas
  Subsecuit partes unde creatus erat.
Nec tibi sit tumidis melior Neptunus in undis,
  Quam cui sunt subitae frater et uxor aues.
Sollertique uiro, lacerae quem fracta tenentem
  Membra ratis Semeles est miserata soror.
Vel tua, ne poenae genus hoc cognouerit unus,

263. est *om. GV* iocasa *G.*
264. Clarus Apollinea sumptus *G* apolinea *P* appollinea *H* arce *G.*
265. ipse *PTX* ille *GH* precipitante *X.*
266. Et *H.*
267. Quaeque *G* postquam *pro* per quos *G.*
269, 270 *citat Conradus s. u.* Thelephus.
269. ethneus *GTVX Conradus* etthneus *F* ethnetis *P* etheneus *H* qui *Conradus.*
270. Telenus *G Harl.* 2538 Telemus *Parm.* Theolemus *H* Thelemus *V* Telefus *P* Telephus *FT* Thelephus *X Conradus* eurimides *HTV Conradus* eurimicles *P* eurimedes *X*
d
euirmeṇes *G.*
271, 2 *citat Conradus s. u.* Thamira, Demodosus.
271. Et *GPT* finide *G.*
272. ut *F* et *GPTVX Parm. Conradus* tamire *FGH Conradus* thamire *TVX Conradus* tamyre *P* demodosique *Conradus s. u.* demodof(ph *F*)ique *FT* demolophique *X Conradus s. u.* Thamira demophoique *G* demophodique *V* Demodocique *Canon.* 20 capud *H.*
275. tumidis melior *GHPX Parm.* melior tumidis *FH* tumidis tibi sit melior *T.*
l' cui
276. qui *H* uise (ę *Parm.*) *pro* subite *T Parm.*
277. Sollertique *FGPTX.*
278. Menbra *FH.*
279. peng' *pro* pene genus *F* hic *G.*

Viscera diuersis scissa ferantur aquis.
Vel quae qui redemi Romano turpe putauit,
A duce Puniceo pertulit, ipse feras.
Nec tibi subsidio sit praesens numen, ut illi,
Cui nihil Hercei profuit ara Iouis.
Vtque dedit saltus a summa T*h*essalus Ossa,
Tu quoque saxosó praecipitere iugo.
Aut uelut Eurylochi, qui sceptrum cepit ab illo,
Sint artus auidis anguibus esca tui.
Vel tua maturet, sicut Minoia fata,
Per caput infusae feruidus umor aquae.
Vtque parum mitis, sed non inpune, Prometheus,
Aerias uolucres sanguine fixus alas.
Aut ut Echecratides, magno ter ab Hercule quintus,

280. secta *HM* mersa *X* trahentur *H* aquis *FT*.

281, 2 *citat Conradus s. u.* Regulus *et* Paulus.

281. redemi *Conradus bis* redimi *codd. Vide Munronem ad Lucr. I.* 216. romanos *Phillippicus* 23620.

282. Cenipheas *pro* puniceo *Phill.* 23620 ille *HM* foras *V*.

283. nomen *marg.* numen *G*.

284. nil *FGHTVX Parm.* nichil *P Vat.* rethei *FGHVX et hic quidem post rasuram* ethei *P* etherei *T* ercei *Parm.* arcei *Vat.* Rhoetei *Merkelius in ed.* 1877.

285 *citat Conradus s. u.* Ionus Vt ue *H* de *FHV* e *PTX Vat. Parm. Conradus* a *G* summo *F* tessalus *GT*.

286. precipitare *F*.

287 *citat Conradus s. u.* Ericlous uel Eurilocus uelud *T* euriloco *G* euriloci *P* eriloci *FHM* ericloi *Conradus* yrioni *T* erroli *V* erioli *Bodleianus F.* IV. 24 euriali *ed. Pr.* ceptrum *G*.

289, 290 *H ponit post* 291, 2.

289 *citat Conradus s. u.* Crocalus.

290. humor *GPT*.

291. fidus *pro* mitis *F* si non *X ni fallor* inpune *GV* impune *T* Vtque parum Metes '*id est parum prudens aut parum Prometheus*' *Sanctius* Vtque operum mitis *Merkelius* Vtque procul Scythiae pendens in rupe Prometheus *Riesius*.

292. Aereas *T* corpore *FHMV* fixus alas *PT* pascit alas *Vat.* pasce tuo *FGHMV* uiuus *coni. Riesius*.

293 *citat Conradus s. u.* Eacrides uel Ethecratides sicut *P* ececratides *T* echecratides *X* exegratides (c) *H* excegratides *M* encratides *P* ecratides *Parm. et sic F ut mihi quidem uisum est* ethreclides *G* etracides *V* eacrides *uel* ethecratides *Conradus* Etracides *Merkelius* Eurycrates *Riesius* ter *om. P* tibi *Conradus bis, sed interpretans tamquam* ter *esset* uictus *T* '*Vel aliter ut legatur* tibi ab hercule uictus *Nam hercules cuidam tyranno homines spodonanti uicto tribus uicibus ueniam dedit*' *Conradus Num* magno ter ab Herculis ictu (actu) *ut ad Lichan referatur?* cf. M. ix. 217 Corripit

Caesus in immensum proiciare fretum.
Aut ut Amyntiaden, turpi dilectus amore
Oderit et saeuo uulneret ense puer.
Nec tibi fida magis misceri pocula possint,
Quam qui cornigero de Ioue natus erat.
More uel intereas capti suspensus Achaei,
Qui miser aurifera teste pependit aqua.
Aut ut Achilliden cognato nomine clarum,
Opprimat hostili tegula iacta manu.
Nec tua quam Pyrrhi felicius ossa quiescant,
Sparsa per Ambracias quae iacuere uias.
Nataque ut Aeacidae iaculis moriaris adactis.
Non licet hoc Cereri dissimulare sacrum.
Vtque nepos dicti nostro modo carmine regis,
Cantharidum sucos dante parente bibas.

304. Hyginus 123 Orestes iniuria accepta Neoptolemum Delphis sacrificantem occidit et Hermionem recuperauit: cuius o s s a p e r fines A m b r a c i a e s p a r s a sunt, quae est in Epiri regionibus, *quem locum ex hoc uersu Ibidis sublectum fuisse dicit Mauricius Schmidt p. XXXI ed. suae.*

Alcides et terque quaterque rotatum Mittit in Euboicas tormento fortius undas.

294. immensum *GHTV* proiciere *X*.

295, 6 *citat Conradus s. u.* Amincius.

295. aminthiadē *G* amintiaden *T* amintiadē *FX* aminc-(ch *V*)iadē *HV* amantiadem *P Parm.* amiciadē *Conradus.*

296. uerberet *marg.* l' uulneret *G.*

297, 8 *citat Conradus s. u.* Themisto.

297. poccula *F.*

299, 300 *citat Conradus s. u.* Acheus.

299. capiti *pr. X* acheī *GHT* acei *X* athei *P.*

300. Qua *X.*

301, 2 *citat Conradus s. u.* Pirrus *et* Achilleides uel Achillides.

301. Achillidē *GX Conradus s. u.* achilliden *T* achillidem *Conradus s. u.* Pirrus achilleidē *FH.*

302. Opprimit hostile *V* missa *Conradus.*

303. pyrri *PX* pirri *FGHTV.*

304. ambracias *HP* ambrachias *FGTVX.*

305 *citat Conradus s. u.* Peripelica Nata *H.*

306. cereri (l' ueneri) *H* dissimulasse *H* sacrum *GPTX Vat.* nefas *FHM.*

307, 308 *citat Conradus s. u.* Magnetes.

308. Cantaridum *GP* Tantaridum *H* Tessalidum *T* Thessalidum *Conradus* Thessalidis *F* Thessalicum *V* sucos *PV* succos *FGHTX* matre parante *G.*

Aut pia te caeso dicatur adultera, sicut
Qua cecidit Leucon uindice dicta piast.
Inque pyram tecum carissima corpora mittas,
Quem finem uitae Sardanapallus habet.
Vtque Iouis Libyci templum uiolare parantes,
Acta noto uultus condat harena tuos.
Vtque necatorum Darei fraude secundi,
Sic tua subsidens deuoret ossa cinis.
Aut ut oliuifera quondam Sic*y*one profecto,
Sit frigus mortis causa famesque tuae.
Aut ut Atarnites, insutus pelle iuuenci
Turpiter ad dominum praeda ferare tuum.
Inque tuo thalamo ritu iugulere Pheraei,
Qui datus est leto coniugis ense suae.
Quosque putas fidos, ut Larisaeus Ale*u*as,
Vulnere non fidos experiare tuo.
Vtque †Milo sub quo cruciata est †Pisa tyranno,

309, 310 *citat Conradus s. u.* Leucon.
309. cesa *X*.
310. uidice (? iudice) *F* pia dicta est *P* pia est *codd. praeter Vat.* piant *Vat.* piast *ego.*
311, 312 *citat Conradus s. u.* Sardanaballus.
311. piram *GPT* kma *X* gratissima *G*.
312. Quam *H* sardanapallus *T* sardanapalus *G* sardana palus *FHP* sardanaballus *Conradus.*
313, 314 *post* 315, 316 *scripti sunt in X.*
313 *citat Conradus s. u.* Cambises parentes *X* paratos *Conradus.*
314. notho *FGHPTVX* harena *GHTX* contegat unda *V.*
315. priamei *V.*
316. subsidens *FHPTV Vat.* succindens *G* succendens *Phillippicus* 23620 succedens *X* ossa *G* ora *HPTX* cirus *X.*
317, 318 *citat Conradus s. u.* Neodes olimfera *Conr.* olifera *H* sitione *FGPTV* sithione *X* sicione *H Conradus.*
319, 320 *citat Conradus s. u.* Acarnites acarnides *T Parm.* atarnides *HMP* atharnides *X* atharni(e *V*)tes *FV* atarmites *G nisi me oculi fallunt* carnites *uel* acarnites *Conradus* Atarnites *Const. Fanensis Sarrition. ad loc.* indutus *HM* leonis *HM* terga *pro* pelle *Conradus, quantum scio, solus.*
321 *citat Conradus s. u.* Phereus thalomo *G* tuis talamis *F* iugulare *F* ferei *GPV* pherei *FHT Conradus.*
323, 324 *citat Conradus s. u.* Alebas lariseus *Vat. FH* larisseus *GPTX Conradus* alebas *GHPTVX Conradus* alepas *F* alebes *Parm.* abesbes *Vat.* Aleuas *Canon.* 20.
324. experiere *H* tuos *G.*
325 *citat Conradus s. u.* Mylo Vtue *HV* Vtne *Conradus* Vt quoque *T* milo *FGHPTX Conradus* nullo *Vat.* milon *Leidensis*

Viuus in occultas praecipiteris aquas.
Quaeque in A*ph*i*d*antum Phyl*ac*esia regna tenentem,
A Ioue uenerunt, te quoque tela petant.
Aut ut Amastriacis quondam Lenaeus ab oris,
Nudus Achillea destituaris humo.
Vtque uel Eurydamas ter circum busta Thrasylli
Est Larisaeis raptus ab hoste rotis:
Vel qui, quae fuerat tutatus moenia saepe,
Corpore lustrauit non diuturna suo.
Vtque nouum passa genus Hippomeneid*e* poenae,

malo *V* sub qua *Vat.* est *om. Vat.* pisa *HPT Conradus* pysa *X* ipsa *F* pyra *Vat.* roma *G solus.*

327, 328 *citat Conradus s. u.* Adimantus.

327. adimantum *GHPTX Parm.* adimanthum *Conradus* achimatrum *Phillippicus* 3360 philesia *FG Vat.* phylesia *PX* phillesia *TV* pylesia *Parm.* phiseia *HM* philacia *Conradus* philaceia *uidetur legisse is qui glossam adscripsit* filius philaci *quam in Parm. et Phill.* 3360 *repperi* Phliasia *Scaliger* Aphidantum Phylacesia *ipse conieci ex Paus.* 8. 45, 1. *Scriptum fuerat* Aridantum (*ut in Schol. Eurip. Orest.* 1647) *quod non intelligens scriba in* Adimantum *mutauit. Potest tamen uerum esse* Phyllesia : *nam Phyllus Arcadiae regio teste Lactantio ad Stat. Th. IV.* 45.

328. A *codd. et Conradus.* missa *pro* tela *Conr.*

329, 330 *citat Conradus s. u.* Lempneus.

329. ut *om. V* a mastriacis *Conr.* amathriacis *X* amastiacis *T Vat.* amalfriacis *G fortasse uere, cf. Solin.* 19, 1 *ed. Mommsen* Ante Borysthenem Achillis insula est cum aede sacra quam aedem nulla ingreditur ales : et quae forte aduolauerit, raptim fugam properat. Oceanum Septemtrionalem ex ea parte qua a Propanisso amne Scythia adluitur, Hecataeus Amalcium (Amalfium *cod. Sangallensis*) appellat, quod gentis illius lingua significat congelatum, *qui locus ex Plin. H. N. IV.* 93, 94 *tralatus est* lēneus *GX* lenneus *FH* lēpneus *P Conr.* leneus *T* leneuus *Vat.* lemneus *V* horis *FGTVX P m. pr. et Conr.*

330. achillea *FGPTX* achinnea *M cuius in marg. serior manus adscripsit* appollinea achim̄nea *H* acumea *Laur. XXXIII.* 31 eschimea *Conradus Fortasse* Echidnea *uel, quod idem est,* Echinea Apollinea *uidetur legisse L. Caecilius Minutianus Apuleius qui dicitur de Orthographia* 4 *ed. Osann de Anio interpretans* '*qui clam ab Apolline alitus et diuinitate donatus est.*' *Sed duorum uersuum* 329, 330 *litteras tantum primas citauit,* Ouidius aut u. a. q. l. a. o. n. a. d. h. *Eandem coniecturam bis* (*Hecatostyos c. VII., Sarritionum in Ibin p.* 7) *exhibuit Constantinus Fanensis allata historia ex Diodoro V.* 62, *unde etiam sua uidetur duxisse is qui Orthographiam confecit. Disputauit de hoc loco Orthographiae Merkelius p.* 386 *ed.* 1837.

331, 332 *citat Conradus s. u.* Euridamas.

331. euridamas *FPX Conradus* eurimadas *G* eridamas *TV* trasili *GHT* trasilli *FPV Conr.*

332. lariseis *F* larisseis *GHPTX Conradus.*

333. Vt *H.*

334. indiuturna *T.*

335 *citat Conradus s. u.* Lymone passa est *GHMPTX Vat. Parm. et*

Tractus E*rechth*ea fertur adulter humo.
Sic ubi uita tuos inuisa reliquerit artus,
Vltores rapiant turpe cadauer equi.
Viscera sic aliquis scopulus tua figat, ut olim
Fixa sub Euboico Graia fuere sinu.
Vtque ferox periit et fulmine et aequore raptor,
Sic te mersuras adiuuet ignis aquas.
Mens quoque sic Furiis uecors agitetur, ut illi
Vnum qui toto corpore uulnus habet.
Vtque Dr*y*antiadae R*h*odopeia regna tenenti,
In gemino dispar cui pede cultus erat.
Vt fuit *O*etaeo quondam, generoque draconum,
Tisam*e*nique patri, Calli*rho*esque uiro.

Conradus gēs *X* ypomeneida *P* hy(ạ *V*)pomenida *FV* ipomenia *G* hypomenia *T* y(i *Conr.*)pomeneia *HM Conr.* hipomeneia *X* ipomoneia *Vat.* passa genus Hippomeneide *Aldina a.* 1502 pene genus ypomeneia passa *Laurentianus XXXIII.* 31 *Potest tamen uerum esse quod habet ed. Parmensis anni* 1489 Vtque nouum passa est genus Hippomeneia poenae Tractus et Actaea fertur adulter humo.

336. et actea *FGHMP Parm.* et altea *Vat. et Sloan.* 777 in actea *TX* Erechthea *Heinsius.*

337. Sicubi *T* inuita *V* irrisa *X.*

Post 338 *sequitur in FGHMPV hoc distichon* (637, 8) Denique sarmaticas inter geticasque (ieticasque *P* sciticasque *G*) sagittas His (Hiis *G*) precor ut uiuas et (ne *G*, nec *Bodl. F. IV.* 24) moriare (moriere *HM*) locis, *dein in FHMV* 439 Vtque(Vtue *V*) ferox 440 More bouis 461 Aut ut Cassandrus 462 Saucius ingesta 339 Viscera sic. *In GP post interpositum distichon* 637, 8 *sequitur* 339. *In T distichon illud non illatum est sed inter* 338 *et* 339 *idem quattuor uersus qui in FHM eodem leguntur ordine. Verus ordo iam in ed. Rubei.*

339. scopulis *PT Parm.*

340. eubaico *F* eboico *H.*

341, 2 *citat Conradus s. u.* Ayax.

341. Atque *V* petiit *G.*

342. mēsuras *Conradus.*

344. cui *F* erat *F* erat (l' habet) *G.*

345 *citat Conradus s. u.* Drias *et* Lygurgus driantides *P* driantide *TV* drianthide *Conr. bis.* driantiᵃde *G unde* Dryantiadae *scripsi cum Riesio et ed. Rubei* rodopeia *FGPTV* robepeia *X ut mihi uisum est.*

346. Ingenio *Parm.*

347, 8 *citat Conradus s. u.* Thesimadus *et* Etheus *et* Aristophanes.

347. etheo *FGHVX Conradus s. u.* Etheus acteo *PT Vat. Conradus bis.*

348. Tyssimanique *X* Te(The *V*)simanique *GV Parm.* Tismanique *H* Tisimanique *FP* Tessimachique *T* Thesi-

Nec tibi contingat matrona pudicior illa,
  Qua potuit Tydeus erubuisse nuru,
Quaeque sui uenerem iuncxit cum fratre mariti,
  Locris, in ancillae dissimulata nece.
Tam quoque di faciant possis gaudere fideli
  Coniuge, quam Talai Tyndareique gener,
Quaeque parare suis letum patruelibus ausae
  Belides assidua colla premuntur aqua.
B*y*blidos et Canaces, sicut facis, ardeat igne,
  Nec nisi per crimen sit tibi fida soror.
Filia si fuerit, sit quod Pelopea Thyesti,
  M*y*rrha suo patri, N*y*ctimeneque suo.
Neue magis pia sit capitique parentis amica,
  Quam sua uel Pterel*ae*, uel tibi, Nise, fuit.

madique *Conradus ter* Calliricesque *Conradus s. u.* Thesimadus Calligonesque *FT Conr. bis* Caligonesque *GHPVX Vat.* caligonisque *pr. X ut E. Benoistio uisum est* calliroes *Canonicianus* 20. '*Nonnulli uetusti codices habent* Callirhoesque uiro: *quae lectio mihi probatur,*' *Const. Fanensis Sarrition. ad loc.*

349, 350 *citat Conradus s. u.* Egiale, 350 *etiam s. u.* Dyomedes.

349. puditior *GV.*

350. Quā *H* tideus *FGPTX* tydeus *Conr. s. u.* Egiale thydeus *Conr. s. u.* Dyomedes eurubuisse *P.* muru *Conr. s. u.* Egiale.

351, 2 *citat Conradus s. u.* Locris.

351. iunxit uenerem *TV Conradus* iuncxit *H* frate *P.*

352. necem *F Parm. ed. Rubei Fortasse* in ancillā dissimulata necem. *Certe amat Ouidius accusatiuum hoc modo iungere cum passiuo* dissimulari *A. A. I.* 689 Achilles Veste uirum longa dissimulatus erat, *F. VI.* 507 Dissimulata deam.

353. Tam modo *X* Tam tibi *F* dii *FGHPTVX.*

354. tali'a *G* thalai *H* Tyndareique *P* Tindareïque *FGHTVX.*

355. necem miseris *T.*

356. premantur *G.*

357. Biblidos *FGHPV* sic *P* *num* sic tu? seue *pro* sicut *F* facit *Const. Fanensis* ardeas *V.*

358. sic *F* crinem *M* sit fida tibi soror *X.*

359, 360 *citat Conradus s. u.* Athreus.

359. Filia quae niso (si fuerit) sit quae *G* pelopea *GHT* pelepea *X* pelopeia *FP Parm. Conr.* tiesti *G* thiesti *FHPTVX Parm.* thyesti *Conr.* thiestei *Vat.* thesti *H* Thyestae *Merkelius.*

360. Mirra *FGHTVX Conr.* nictimeneque *FGPTVX. Conr.*

361, 2 *citat Conradus s. u.* Calocarpis *et* Cherelus.

361. sunt *Conr. semel.* capitique (captique *V*) parentis amica *FGHV Conr.* capitiue *Conr. semel.* Filia n. m. capiti sit fida parentis *PTX Parm. Vat. Veram scripturam restituit Burmannus.*

362. sua *GPVX* tua *FT Conr.* tibi *M* pterele *P* pterere

Infamemque locum sceleris quae nomine fecit,
  Pressit et inductis membra paterna rotis.
Vt iuuenes pereas, quorum uestigia uultus
  Brachia Pisaeae sustinuere fores.
Vt qui perfusam miserorum saepe procorum,
  Ipse suo melius sanguine tinxit humum.
Proditor ut saeui periit auriga tyranni,
  Qui noua Myrtoae nomina fecit aquae.
Vt qui uelocem frustra petiere puellam,
  Dum facta est pomis tardior illa tribus.
Vt qui tecta, noui formam celantia monstri,
  Intrarunt caecae non redeunda domus.
Vt quorum *A*eacides misit uiolentus in altum
  Corpora cum senis altera sena rogum.
Vt quos obscuri uictos ambagibus oris,
  Legimus infandae Sp*h*inga dedisse neci.
Vt qui Bistoniae templo cecidere Mineruae,

Vat. pteleri *F* sterole *T* terele *HV* cherele *X* cerele *M* terei *G* therele *Conr.* uel tua *F.*

363, 4 *citat Conradus s. u.* Seruius Tullius.

365, 6 *citat Conradus s. u.* Athreus.

365. quorum fastigia (fastigia, ue superscript, *G*) uultus *FGHMPTX Parm. Vat.* proiecta cadauera quorum *V Leid. Conr. Merkelius Ries.* *Equidem praetuli quod habet G ita tamen ut dubitem meliusne scripturus fuerim quod habent tot tam incorrupti codices* fastigia. *Nam ut ad fores brachia, ita uultus in fastigiis merito proponendi erant.*

366. Brachia *FGHM Vat.* Membraque *T* Oraque *Leid. Conr. Merkelius Ries.* Olim *Parm. et Sloan.* 777 Quorum *PX Harleianus* 2538 physee *P* foris *Const. Fanensis.*

367. sepe *FGX* cede *HPT.*

369 *citat Conradus s. u.* Athreus periitque *Laurentianus XXXIII.* 31.

370. mirthoe *GTX* mirtee *H.*

371. Et qui *H* ue loce̅ *P.*

372. facta *FHT* capta *GPX Vat.*

373. celancia *F.*

374. oete *M.*

375. altum *FHMTV* altos *Leid. Sloan.* altis *PX* artis *G.*

376. seua *X* rogum *HTV* rogos *Sloan. Leid.* rogis *FGPX Vat.*

377, 8 *citat Conradus s. u.* Spinx.

377. obscuris *PX* uinctos *HM* horis *P.*

378. spinga *FHPTVX Conr.* spinda *G.*

379, 380 *citat Conradus s. u.* Lempnenses.

379. bystonie *T* occidere *Conradus.*

Propter quod facies nunc quoque tecta deaest.
Vt qui Threicii quondam praesepia regis,
Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.
Therodamanteos ut qui sensere leones,
Quique Thoanteae Taurica sacra deae.
Vt quos Scylla uorax, Scyllaeque aduersa Carybdis,
Dulichiae pauidos eripuere rati.
Vt quos demisit uastam Polyphemus in aluum,
Vt Laestrygonias qui subiere manus.
Vt quos dux Poenus mersit putealibus undis,
Et iacto canas puluere fecit aquas.
Sex bis ut Icaridos famulae periere procique,
Inque caput domini qui dabat arma procis,
Vt iacet Aonio luctator ab hospite fusus,
Qui (mirum) uictor, cum cecidisset, erat.
Vt quos Antaei fortes pressere lacerti,
Quosque ferae morti Lemnia turba dedit.
Vt qui post longum sacri mostrator iniqui,

380. quos *T Conr.* faties *G* tecta *FGPVX Conr.* torta *HMT* torua *Harl.* uersa *Merkelius* deest *FP* dee est *GHTVX Vat.* dee *Conr.*

381. treicum *P* treicii *GHTV* presagia *X* ~~psagia~~ (presepia) *G.*
383 *citat Conradus s. u.* Therodamus Therodamanteos *PT* Theroda(do *Conr.*)mantheos *FX Conr.* Terodomant(th *V*)eos *GV* Te rodomantheos *H* *De Phoenodamante, quem hic Therodamanta appellat, locus explicandus uidetur : uide Commentarium.*
384. Quiqui *G* toantee *FG* toanthee *V* thaurica *PX.*
385. cilla *G* sylla *P* rapax *T* cilleque *G* silleque *P.*
386. Dulichee *F.*
387, 8 *citat Conradus s. u.* Anthyphates.
387. dimisit *FGHPVX Conr.* demisit *T* peliphemus *G.*
388. Aut *FHV* lestricomis *V.*
389. penus *FGPT* putaelibus *F.*
390. Bis acto *Vat.*
391, 2 *citat Conradus s. u.* Melancius.
391. Sexus ut *X Vat.* Sex ut *P* Sex bis ut *Leid. et marg. Phillipp.* 3360 Et uelut(d *HT*) *FGHMTV* Aut uult *Conr.* ycaridos *PTV* icharidos *FX* ytaridos *Conr.* ytaridis *M* famuli *TV Conr.* fame *Sloan.*
392. domine *P Vat.* q̃ *Vat.*
394. mirum est *F* nimium *Harl.* c̄cediset *F m. pr.*
395. anthei *FGHPTV.*
396. lēnia *FGP* lennia *HT.*
397. post annum *GPT Harl.* post longum *HVX* post langum *F*

Elicuit pluuias uictima caesus aquas.
Frater ut Antaei, quo sanguine debuit, aras
Tinxit, et exemplis occidit ipse suis.
Vt qui terribiles pro gramen habentibus herbis,
Impius humano uiscere pauit equos,
Vt duo diuersis sub eodem uindice caesi
Temporibus, Nessus Dexamenique gener.
Vt pronepos, Saturne, tuus, quem reddere uitam
Vrbe Coronides uidit ab ipse sua.
Vt Sinis et Sciron et cum Polypemone natus,
Quique homo parte sui, parte iuuencus erat.
Quique trabes pressas ab humo mittebat in auras,
Aequoris aspiciens huius et huius aquas.
Quaeque Ceres uidit laeto pereuntia uultu

pes lugum *Vat.* post tanto *Heinsius* *num* post tantum? mostrator *H* monstrator *GTV.* *Burmannum sequor.*

398. *An* aduena? *Pont. III.* 2. 58.

399, 400 *citat Conradus s. u.* Pigmalion.

399. anthei *FHPTVX Conr.* ancei *G* Ancaei *Micyllus.*

400. Tixit *G* ille *GHM.*

401. per *V* gramine *M* gramina *coni. Sanctius.*

402. Impius *HPT* Ipius *G* sanguine *HV.*

403. iudice *G.*

404. Temporibus *GPTX Harl. Sloan.* Vulneribus *FHV Merkelius* nessi *X* nexsi *P* nexi *Vat.* dexame(i *V*)nique *GHV* dexamerique *F* daxamenique *P* dexemanique *T* de-caminique *Vat.*

405, 6 *citat Conradus s. u.* Coronides.

405. neptunne *Laur. XXXVI.* 21 Saturne *etiam Conradus et Schol.*

406. *sic FGHPX Conradus* Ipse—urbe *T Vat.* ab $\overset{\text{ipse}}{\text{urbe}}$ *V* choronides *X* cocinetes *F.*

407 *citat Conradus s. u.* Chinis Senis *T* Semis *G* tinis *F* scinis *P* schinis *Conr.* ci(y *X*)nis *HMVX* sciron *FH* scrimeon *P* schiron *V Conr.* chi(y *T*)ron *GT* cum *FPTX* de *G* polifemone *T* poliphemone *FHPV* poliphomone *G* notus *coni. Merkelius.*

408. parte una *P.*

409 *citat Conradus s. u.* Cercio prabes *V m. pr. ut uidetur* in humum *G* ab humo *etiam Conradus* ab umo *Vat.* ad auras *H.*

410. aspiciens *FT* aspicias *G* aspectans *HM* aspectes *P Vat.*

411, 412 *citat Conradus s. u.* Geryon.

411. Quique *X* celes *Conr.* Seres *Vat.* leto uidit *FH Conr.* uidit leto *GPTX.*

Corpora Thesea Cer*cy*onea manu.
Haec tibi, quem me*n*tis iustis*sima* deuouet ira,
Eueniant, aut his non leuiora malis.
Qualis Achaemenides Sicula desertus in Aetna,
Troica cum uidit uela uenire, fuit.
Qualis erat necnon fortuna binominis Iri,
Quique tenent pontem, qui tibi †maior erit.
Filius et Cereris frustra tibi semper ametur,
Destituatque tuas usque petitus opes.
Vtque per alternos unda labente recursus,
Subtrahitur presso mollis harena pedi;
Sic tua nescio qua semper fortuna liquescat,
Lapsaque per medias effluat usque manus.
Vtque pater solitae uarias mutare figuras,
Plenus inextincta conficiare fame.
Nec dapis humanae tibi sint fastidia, quaque
Parte potes, Tydeus temporis huius eris.

412. tesea *G* gerionea *FGHMPTVX Vat. Conr.* cerc'onea *marg.* cercionea *Sloan. Eadem lectio etiam in Pal.* 1709 *a.* 1494 *et Reg.* 6021.

413. quem *PT* que *GHM* meritis iustis mea *GPTX* meritis precibus mea *FHV Merk. Ries.* iustissima *ed. Bonon.* 1480 mentis *ipse conieci ex u.* 95.

414. Euenient *FPVX* multis *PX* hiis *G.*

415, 416 *citat Conradus s. u.* Achymenides *Eosdem uersus post* 417, 418 *habet V.*

415. achimenides *GHTV Conr.* achamenides *P et pr. X* ethna *FT Conr.* ora *GHMP* hora *VX.*

416. Troiaca *F.*

417, 418 *citat Conradus s. u.* Yrus *et* Ariston.

417. bynominis *P* bynonis *Conr. s. u.* Yrus yri *HTVX Conr. s. u.* Ariston.

418. tenet *Vat.* pontum *X* que *FHMPVX* quē *Vat.* qui *G Conr. bis* maphor *Canon. Lat.* 20 *unde Adolphus Neubauer coniecit* mabor *quo uocabulo Hebraice pons appellari poterat, ut pote quo transeatur. Quod si uerum est irridetur Ibis tamquam aut Iudaeus aut certe affinis Iudaeorum.*

419, 420 *citat Conradus s. u.* Asterion.

419. ut *FGHMPTVX Conr.* et *Aldina* Cereis *PV* celii *Harl.*

420. sepe *G.*

422. Subtraitur *FH* arena *Vat.* pede *X.*

424. Lassaque *X* Ipsaque *V.*

425, 6 *citat Conradus s. u.* Erisichto.

426. in extincta *P* conficiare *GP Harl. Sloan.* confitiare *X* destituare *FT Conr. Merk. Ries.*

427. sint *G Sloan.* erunt *FHPTX Vat.*

428. quāque *H* potest *Vat.* Parce potens fueris tydeus huius eris *V.*

Atque aliquid facias a uespere rursus ad ortus
  Cur externati Solis agantur equi.
Foeda *Ly*caoniae repetes conuiuia mensae,
  Temptabisque cibi fallere fraude Iouem.
Teque aliquis posito temptet uim numinis opto,
  Tantalides *u*t sis *u*t Teleique puer.
Et tua sic latos spargantur membra per agros,
  Tamquam quae patrias detinuere uias.
Aere Perilleo ueros imitere iuuencos,
  Ad formam tauri conueniente sono.
Vtque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,
  More bouis Paphio clausus in aere gemas.
Dumque redire uoles aeui melioris in annos,
  Vt uetus Admeti decipiare socer.
Aut eques in medii mergare uoragine c*a*eni,

429, 430 *citat Conradus s. u.* Athreus.
429. facies *FPX* rursus *PT* ruris *Vat.* solis *FGHVX Conr.* $\overset{\text{ad}}{\text{et}}$ *G* ortum *Conr.* ortūs *V.*
430. consternati *T* solis *HPTVX Vat. Conr.* rursus *FG.*
431. repetens *G* repetent *P* repetas *H* referens *X* contagia *X* cene *V.*
432. Temptabilisque *H* Temptabuntque *P* que *om. G* Temptabunt alii *V* tibi *T* aliqua *GX.*
433. Tecum *P* Te tam̄ *Vat.* positus *P Vat.* temtet *G* ui numeris *H.*
434 *citat Conradus s. u.* Athreus Tantalide *F* tu sis *codd. et Conradus* ut sis *Micyllus* tu teleique *pr. G* tu tereique *GPTVX Sloan.* tu cereique *Conr.* tu thereique *Vat. Harl., idemque uidetur habuisse F priusquam erasae essent litterae inter* the que tindareique *HM* Tereidesque *Canonicianus* 20 *et sic post Heinsium ediderunt Merkelius et Riesius* Threiciusque *Sanctius* ut Teleique *scripsi: nam qui Hygino* 206, 238 *nepos est Schoenei, Euphorioni ap. Parthen. Erotic.* 13 *Telei, Ouidio poterat esse filius Telei.*
435. tu *G* largos *X.*
436. Tanquam *PT.*
437, 8 *citat Conradus s. u.* Phalaris.
437. perille tuo *G* perylleo *X* uersos *P* imitare *V* scrutere *M.*
439, 440 *om. HMTV in quibus leguntur post* 338.
439. falaris *HP* ore *G Vat.*
440. Ore *pro* More *Vat.* phario *duo Phillippici* in hore *Vat.*
441. uolens *F.*
442. ameti *F.*
443. Aut *G* Vtque *T* Atque *FHPX* eques *scriptum est super* in *in G* uoramine *T* *num* foramine? ceni *GPT.*

Dum modo sint facti nomina nulla tui.
Atque utinam perȩas, ueluti de dentibus orti
Sidonia iactis Graia per arua manu.
Et quae P*a*nth*o*ides fecit de fratre Medusae
Eueniant capiti uota sinistra tuo.
Et quibus exiguo uolucris deuota libello est,
Corpora proiecta quae sua purgat aqua.
Vulnera totque feras, quot dicitur ille tulisse
Cuius ab inferiis culter abesse solet.
Attonitusque seces ut quos Cybeleia mater
Incitat ad Phr*y*gios uilia membra modos.
Deque uiro fias nec femina nec uir, ut At*t*is,
Et quatias molli t*y*mpana rauca manu.
Inque pecus subito magnae uertare Parentis,
Victor ut est celeri uictaque uersa pede.
Solaque Limone poenam ne senserit illam.
Et tua dente fero uiscera carpat equus.

444. sunt *H* fati *V Merkelius* uera *F Harl.*
445. Vtque utinam *TV* Atque ut *H.*
446. sparsi *HM* sparsis *Riesius* arma *X.*
447, 8 *citat Conradus s. u.* Penthides.
447. pentides *GHMPX Vat.* penthides *F Conr.* pentelides *T* pithoides *Canon.* 20 pitoides *Harl.* Pytheides *Sanctius de Hipponacte Pythei filio interpretans* Panthoides *ipse conieci* de fratre *FHMTV Conr.* fraterque *GPX Sloan.* de patre *Harl.* meluse *Harl.* preluse *V m. pr.* medullae *Phillippicus* 3360 Et quae Pitthides fecit pariterque Molinae *coni. Merkelius ex Paus. V.* 2. 2.
448. Euenient *H.*
449. Ex *FGHMPX* Et *T Sloan.* Vt *V* est *post* exiguo *habet Harl. post* libello *HT Sloan., omittunt utroque loco FGP.*
450. coniecta *HM.*
451, 2 *citat Conradus s. u.* Menedemus.
451. quod *Conr.*
452. inferis cultri *Conr.* cultus *P et Phillippicus* 23620 ab esse *FH.*
453. Cybeleia *TX* Cybeleya *P* cibeleia *FGHV.*
454. frigios *GPTVX.*
455. nec uir nec femina *HM Harl.* atis *P* athis *FGHTV* Attys *Merkelius.*
456. timpana *FGHT.*
457. magne subito *P* uertere *X.*
458. Vltor *G* Victor et ut sceleri *H* sceleri *etiam X.*
459, 460 *citat Conradus s. u.* Lymone.
459. lunone *F* limonē *H a m. pr.* ne penam *G Conr.* illa *P* ullam *H.*
460. Vt *P* equs *GX.*

Aut ut Cassandr*e*us, domino non mitior illo,
  Saucius ingesta contumuleris humo.
Aut ut Abantiades, aut ut L*yr*nesius heros,
  Clausus in aequoreas praecipiteris aquas.
Victima uel Phoebo sacras macteris ad aras,
  Quam tulit a saeuo Theudotus hoste necem.
Aut te deuoueat certis Abdera diebus,
  Saxaque deuotum grandine plura petant.
Aut Iouis infesti telo feriare trisulco,
  Vt satus Hipponoo †Dexionesque pater,
Vt soror Autonoes, ut cui matertera Maia,
  Vt temere optatos qui male rexit equos.

461, 2 *hic om. HMTV in quibus leguntur cum* 439, 440 *post* 338. *Eosdem uersus citat Conradus s. u.* Cassandrus.

461. Qui *pro* Aut ut *Vat.* Cassandrus *HMT Conr.* Canssandrus *G* Cassandreus *F* Cassandrei *PX Vat.* domino *GHMT Conr.* dominus *FPX* Casandreus *Merkelius idemque scripsit Pont. II.* 9. 43 *Otto Korn* Non tibi Casandreus pater est gentisue Pheraeae.

462. Sautius intecta *H.*

463, 4 *citat Conradus s. u.* Naupulus.

463. ab anchiades *Conr.* abanciades *GP* abanthiades *X* aut *pro* aut ut *F* ligneius *GHM* lignetus *V* lignesius *PT* lignosius *Vat.* licnesius *Reg.* 1801 linerius *X* lineius *F* 'ligneius heros uel aliter ut legatur cigneus' *Conradus* Lirnesius *ed. Pr. Videtur olim extitisse duplex lectio* Cygneius *et* Lyrnesius. *Nam Tenedos Leucophrys dicta et Phoenice et Lyrnesos* (*Plin. V.* 140). *Conicias tamen uel* Lelegeius *ut de Telepho intelligatur* (*Strab.* 584), *uel* Lyrceius, *ut de Anio* (*Parthen. I.* 1, *Diod. V.* 62). *An ortum est ex* Lynceius (linceius), *quod super* Abantiades *scriptum erat? Nam Lynceus pater Abantis* (*Apollod. II.* 2. 1).

465, 6 *citat Conradus s. u.* Theocritus uel Theodatus.

465. febo *G.*

466. Qua *F* t(th *La*)eodorus *G Laurentianus XXXIII.* 31 th(t *Vat.*)eodotus *FTV Vat.* todotus *P* theodus *HX* theudocus *Conr.* Theudotus *ed. Rubei num* Troilus? *Tzetz. ad Lyc.* 307.

467 *citat Conradus s. u.* Abdera deuoueas *G* addera *X* abdrida *P* ablerda *Phillippicus* 23620.

469, 470 *citat Conradus s. u.* Procustes.

470. ypomoo *P* hypomoo *T* ipomoo *GX* hipomoo *F* ipponeo *M* ypponoo *H* ypomeo *Conr.* hipodoro *V* dexionesque *G* dexithoe(o *F*)sque *FHMT* dexitoesque *P Conr.* desith[o]esque *X* desithoosque *V* Dosithoesque *Merkelius* paterque *Conr.*

471. antonoes *G* anthonoes *HV* aut *GPX* est *post* Maia *addunt FT om. GHMPX.*

472. Vt *T* Et *GHMPX* Aut *V.*

Vt ferus Aeolides, ut sanguine natus eodem
Quo genita est liquidis quae caret Arctos aquis.
†Vt Macelo rapidis icta est cum coniuge flammis,†
Sic precor aetherii uindicis igne cadas.
Praedaque sis illis, quibus est Latonia Delos
Ante diem rapto non adeunda Traso.
Quique uerecundae speculantem labra Dianae,
Quique Crotopiaden diripuere Linum.
Neue uenenato leuius feriaris ab angue,
Quam senis Oeagri Calliopesque nurus;
Quam puer Hypsipyles, quam qui caua primus acuta
Cuspide suspecti robora fixit equi.
Neue gradus adeas Elpenore cautius altos,
Vimque feras uini quo tulit ille modo.
Tamque cadas domitus, quam quisquis ad arma uocantem
Iuuit inhumanum Thiodamanta Dryops.

473 *citat Conradus s. u.* Appaste feros *G* sexus *V m. pr.*
474. liquidisque *H* archos *X* arthos *FH* artos *GV.*
475 *citat Conradus s. u.* Macedon uel Macedo macedo *HMPV* macedon *X Conr.* macelo *FT* machelo *G* ictus *TX* iactus *Conr.* iacta est *FGHMP Vat.* '*uel aliter ut legatur* iacta' *Conr.* Vt macedon ictus rapidis *X* coniunge *V.*
476. prior *G.*
477, 8 *citat Conradus s. u.* Trasus.
477. est *om. H* laconia *Conr.*
478. capto *Conr.* traso *GPTX Conr.* Thraso *FHM* Thaso *V Merkelius* *Sane apud Hygin.* 246 Thasius *exhibet codex Frisingensis Schmidtii.*
479. speculatus *Vat.* peculatus *F.*
480 *citat Conradus s. u.* Lynus crotopyadē *X* trotopiadē *V* cotropiaden *H* erotopiadem *Vat.* crothopaidem *Conr.* cicropiadē *GT* cecropiadem *M* limum *P* canes *X.*
481. uenato *X.*
482. oenagri *G* oeagrii *X* caliopesque *PV.*
483, 4 *citat Conradus s. u.* Archemolus uel secundum quosdam Archemorus.
483. hysiphiles *T* ysiphiles *HMP Conr.* isiphiles *FGV* isyphiles *X* cana *Conr.*
484. fexit *uel* fecit *V m. pr.*
485, 6 *citat Conradus s. u.* Alphenor.
485. habeas *T* atteas *V m. pr.* elpemore *V* helpenore *G* alphenore *H Conr.* cautior *T* caucior *F.* caucius *G Conr.*
486. uim *pro* uini *Conr. et sic Laurentianus XXXVI.* 34 ipse *G.*
487, 8 *citat Conradus s. u.* Agilleus *et* Driops *et* Therodamus.
487. si quis *Conradus s. u.* Agilleus furentem *Conr. s. u.* Driops.
488. Iuuit *G* luit *T Vat.* Luit *P* Vidit *FHMVX Conradus*

Quam ferus ipse suo periit mactatus in antro,
  Proditus inclusae Cacus ab ore bouis.
Quam qui dona tulit Nesseo tincta ueneno,
  Euboicasque suo nomine fecit aquas.
Vel de praecipiti uenias in Tartara saxo,
  Vt qui Socraticum de nece legit opus.
Vt qui Theseae fallacia uela carinae
  Vidit, ut Iliaca missus ab arce puer.
Vt teneri nutrix, eadem matertera, Bacchi,
  Vt cui causa necis serra reperta fuit.
Lydia se scopulis ut uirgo misit ab altis,
  Dixerat inuicto quod mala uerba deo.
Feta tibi occurrat patrio popularis in aruo,
  Sitque P*halaec*eae causa leaena necis.

ter thiodamanta *FX* thiadamanta *T* tiodomanta *G* thiodomata *H* thyodomanta *P* theodamanta *al.* thiodomanta *Conradus s. u.* Agilleus, therodomante *al.* thyodomanta *s. u.* Driops, therodamanta *s. u.* Therodamus *et sic V* driops *GPTVX Conradus bis* driobi *Conradus s. u.* Agilleus dymas *aliter legi testatur Conradus s. u.* Agilleus *et* Driops.

489. Qua *X*.

491, 2 *citat Conradus s. u.* Alceus.

491. tibi *pro* qui *X* lerneo *Laurentianus XXXIII.* 31.

492. Eboicasque *H* nomine fecit (sanguine tinxit *supra*) *G* sanguine tinxit *FHPTVX Conr.* *Verum unus G seruauit.* *Met. IX.* 226 Nunc quoque in Euboico scopulus breuis eminet alto Gurgite et humanae seruat uestigia formae. Quem quasi sensurum nautae calcare uerentur Appellantque Lichan. *Hyg.* 36 Tunc Hercules Licham qui uestem attulerat rotatum in mare iaculatus est, qui quo loco cecidit petra nata est quae Lichas appellatur.

493, 4 *citat Conradus s. u.* Socrates.

493. ad *T*.

495. vel qui *T* tesee *G* fallentia *P*.

496. et *G* Vt uidet illiaca *V*.

497. eadem et *PTVX* bachi *FGHPTVX*.

498 *citat Conradus s. u.* Dedalus sera *HP*.

499, 500 *citat Conradus s. u.* Lidie uirgines.

499. Lidia *TV Conr.* Līdia *G* Lindia *FHMX Vat.* Lyndia *P* Liuida *Parrhasius* Inuida *Merkelius Ries.* ut iugo (? uigo) *V*.

500. inuicto *G* in uoto *HM* inuito *FPTV Vat. Conr.* inuita (o *supra*) *X* quod *FHMPV Conr.* quae *G*.

501, 2 *citat Conradus s. u.* Pegasus uel Pegaseus.

501. Sera *V* proprio *T* medio *H* populatrix *P* populare marito *Conr.*

502. Sit *G* paphagee *GTX* paphegee *P Vat.* pefagee *F* pegasee *HM Conr.* pesagee *V* Phalaeceae *Heinsius Merk. Ries.*

Quique *Ly*curgiden letauit, et arbore natum,
  Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper.
Isque uel exanimis faciat tibi uulnus, ut illi
  Ora super fixi quem cecidere suis.
Siue idem simili pinus quem morte peremit,
  Phr*y*x *et* uenator sis Berecyntiades.
Si tua contigerit Minoas puppis harenas,
  Te Corcyraeum Cressia turba putet.
Lapsuramque domum subeas, ut sanguis Aleuae,
  Stella Leo*p*repidae cum fuit aequa uiro.

Eutyches Art. II. p. 484 Keil, p. 2185 P. Leto letas Ouidius in Ibide Quique Lycurgiden letauit et arbore natum.

Phaylleae *Parrhasius Epist.* VIII *ex Aeliani H. N.* XII. 40 *Num* Apesanteae? Plut. Fluu. 18, 4 *τὸ μὲν Ἀπέσαντον ἐκαλεῖτο πρότερον Σεληναῖον. Ἥρα γὰρ παρ' Ἡρακλέους δίκας βουλομένη λαβεῖν σύνεργον παρέλαβεν τὴν Σελήνην· ἡ δὲ ἐπῳδαῖς χρησαμένη μάγοις ἀφροῦ κίστην ἐπλήρωσεν, ἐξ ἧς γεννηθέντα λέοντα μέγιστον Ἶρις ταῖς ἰδίαις ζώναις ἐπισφίγξασα κατήνεγκεν εἰς ὄρος Ὀφέλτιον· ὁ δὲ π ο ι μ έ ν α τ ι ν ὰ τ ῶ ν ἐ γ χ ω ρ ί ω ν Ἀπέσαντον σπαράξας ἀνεῖλεν.*

503, 4 *citat Conradus s. u.* Ythmon.

503. ligurgidē *FGHPTVX* ligurgidem *Conr.* licorciden *corr.*, ligorciden *cod. Bobiensis Eutychis p.* 484 *Keil* letauit *FGHPTX Eutyches* lacerauit *Conr.* arcadem anceum *pro* arbore natum *F* natam *cod. Bobiens. Eutychis.*

504. rumpat *Conr.*

505, 6 *citat Conradus s. u.* Driamas.

505. exanguis *Laurentianus XXXIII.* 31 exanimi *V.*

506. superfixi *GH Conr.* super fixi *T* cedere *Conr.*

507, 8 *citat Conradus s. u.* Athis.

507. Atque *FHV Conr.* Idae *coni. Riesius.* morte *om. X.*

508. Phryx et] Frigia *GHMV Vat.* phrigia *P* Frixia *X et Harl.* Frigida *Laurentianus XXXIII.* 31 phitia *T* *F quam litteram habuerit inter* i i *non potui dispicere* (Fri ia) berethintiades *P* berechinciades *G* berecinciades *H* here cinthiades *V* berecynthyades *Conr.* Phryx tu uenator *Heinsius* Phryx et uenator *Merkelius* Venator frigia *Conr. fortasse recte.*

509 *citat Conradus s. u.* Cretenses minoias *F* minoras *G* arenas *F* harenas *HM Conr.* ad undas *GPTX Vat.* *Num ad exemplum Artis Am. II.* 701 Ad Venerem quicumque uoles attingere seram?

510. cochireum *G* corcirreum *T* corcicacerum *V* cortireum *F* colcyreum *H* Cressia *GH* cresia *FPV* cresya *X* petat *Laurentianus XXXIII.* 31. regia *Canonicianus* 20.

511, 512 *citat Conradus s. u.* Alebas.

511. Lapsuram *Conr.* alebe *FGHPTX Vat. Conr.* aleue *V* aleuae *Canon.* 20.

512. leporide *G* leotepide *X* leotrepido *P Vat.* leto-

Vtque uel E*u*enus torrenti flumine mersus,
  Nomina des rapidae, uel Tiberinus, aquae.
Astacidaeque modo, defixa cadauera s*un*to.
  Digna feris hominis sit caput esca tuum.
Quodque ferunt Brotean fecisse cupidine mortis,
  Des tua succensae membra cremanda pyrae.
Inclususque necem cauea patiaris, ut ille
  Non profecturae conditor historiae.
Vtque repertori nocuit pugnacis iambi,
  Sic sit in exitium lingua proterua tuum.
Vtque parum stabili qui carmine laesit Athenas,
  Inuisus pereas deficiente cibo.
Vtque lyrae uates fertur periisse seuerae,
  Causa sit exitii dextera laesa tui.
Vtque Agamemnonio uulnus dedit anguis Oresti,
  Tu quoque de morsu uirus habente cadas.

ride *F* lycoride *T Conr.* licoride *HM Sloan. Harl.* lieo-ridē *V* Leoprepidae *Scaliger. Auson. Lect. II.* 29 Lycoritae *Alciatus Parerg.* 6. 21 cum *GP Conr.* cui *FHMTX Sloan.*

513 *citat Conradus s. u.* Ebenus uel secundum quosdam Euenus hebenus *GT* habenus *V* ebenus *FPX Conr.* ebeneus *H* obeneus *M.*

514. uel ut *P.*

515, 6 *citat Conradus s. u.* Menalippus.

515. Astacideque *Conradus idemque coni. Sanctius* Tacideque *G* Ytacideque *P* Nirtatideque *Vat.* Hir(Ir *HM*)tacideque *FHMV* Hyrchadieque *X* meo *Conr.* defixa *FGPTVX Conr.* det fixa *Vat.* des fixa *Laurentianus XXXVI.* 34 decisa *HM* cadauera *FGHMPTVX Vat. Harl. Sloan. sex Laurentiani Conr.* stuto *Conr. unde restitui* sunto trunco *codd.* decisa cadauere trunco *Heinsius Merk. Ries.*

516. feras *Vat. H* homini *F* fit *Conr.*

517 *citat Conradus s. u.* Brotheas Quotque fuerunt *Conr.* broteā *FT* broteam *G* brotheā *X* brotheam *Conr.* boream *Vat.* protheā *V et Pal.* 1709 prothea *Sloan.*

518. cremda *V* cremenda *P.*

519, 520 *citat Conradus s. u.* Caliphones.

519. Illususque *V* nece *V* caueā *Conr.*

520. Nom *X* profuture *P Laur. XXXVI.* 34 ystorie *P.*

522. excicium *G* exicium *F.*

523, 4 *citat Conradus s. u.* Meuius.

523. Vtue *GX* vt *P* Athenin *coni. Turnebus et Andreas Schottus, recepit Bergkius ad Hipponactis fr.* 13.

524. Inursus *H.*

525. Vtue *GPTVX* Vt linguae *F* perisse *pr. F* sonore *HM.*

526. exicii *FV* excicii *G* excidii *ed. Rubei.*

527. agamnio *G* oresti *FPV* horesti *GHMTX* Orestae *Merkelius.*

Sit tibi coniugii nox prima nouissima uitae.
  Eupolis hoc periit et noua nupta modo.
Vtque cothurnatum periisse Lyco*phr*ona narrant,
  Haereat in fibris fixa sagitta tuis.
Aut lacer in silua manibus spargare tuorum,
  Sparsus ut est Thebis angue creatus auo.
Perque feros montes tauro rapiente traharis,
  Vt tracta est coniunx inperiosa Lyci.
Quodque suae passa est p*a*elex inuita sororis,
  Excidat ante pedes lingua resecta tuos.
Conditor ut tardae, *B*laesus cognomine, *C*yrae,
  Orbis in innumeris inueniare locis.
Inque tuis opifex, uati quod fecit Ach*a*eo,

529, 530 *citat Conradus s. u.* Eupolis qui secundum alios dicitur Ypolis.

530. Eupolis *GP Conr.* Xupolis *T* Enpolis *X nisi fallor* Hubolis *V* Heu polus *F* Heubolus *HM.*

531 *citat Conradus s. u.* Lycoforus coturnacum *Conr.* coturnatum *GHPTX* pise *Conr.* cecidisse *H* licofona *F* licofora *GPX* licophora *HMT* licefora *Conradus.*

532. sagita *F.*

533. silua *GPTVX* siluis *FH* spargere *X.*

534. febis *P* ethebis *pro* est thebis *V* ano *V.*

536. trata *F* coniux *T* inperiosa *G* imperiosa *FHPT.*

537. Quidque *P* Queque *T* pelex *FGHPTVX* inuisa *GP* inuita *FHTX* sorori *GPX* sororis *FHT.*

538. oculos *G.*

539, 540 *citat Conradus s. u.* Leius.

539. Cognitor *FGMPVX* conditor *HT Harl.* 'Conditor uel aliter ut legatur Cognitor' *Conr.* tarde *FHMV Conr.* tardus *GPTX Vat.* lesus *FGHMPTVX Vat.* leius *Conr.* Blaesus *Scholia Vaticana* (*Reg.* 1801) *et sic ed. Bonon.* 1480 mirre *FGHMVX Vat.* myrre *PT* mirae *Laur. XCI. Sup.* 25. Conditor ut tardae, Blaesus cognomine, Cyrae *Leopardus Emendat. III.* 11. *Disputaui de hoc loco in Diario Philolog. Cantabrig. VII.* 251–253 *ubi uersum sic scribebam* Cognitor ut tardae laesus cognomine Myrrhae, *interpretans de Cinyra qui 'cognito crimine coitus cum Myrrha filia perpetrato uagus et profugus hostiatim mendicauit,' quae uerba sunt Conradi de Mure. Nam Cinyras post duodecim demum noctes cum filia se concubuisse intellexit, unde* Cognitor tardae Myrrhae *dici potuit;* laesus *autem* cognomine *ideo fuit, quod eum nutrix simulato Myrrhae nomine decepit, quo certius alienam se adire crederet; quo facinore patris officium in filiam uiolatum est: cf. Nemes. Cyn.* 26 impia Myrrhae Conubia et saeuo uiolatum crimine patrem Nouimus. *Nec male uerba* in innumeris inueniare locis *de Cinyra intelligas, siue laceratus et multis locis inueniendus* (*Tr.* 3. 9. 28), *siue in exilium pulsus Oedipi more longinquas regiones peragrasse fingitur. Nunc Merkelium et Riesium secutus Leopardi emendationem recepi.*

540. Orbus *P* in ĭmundis *P serius fortasse scriptum.*

541, 2 *citat Conradus s. u.* Acheus.

Noxia luminibus spicula condat apis.
Fixus et in duris carparis uiscera saxis,
Vt cui Pyrrha sui filia fratris erat.
Vt puer *H*arpagides referas exempla Thyestae,
Inque tui caesus uiscera patris eas.
Trunca geras saeuo mutilatis partibus ense,
Qualia Mamertae membra fuisse ferunt.
Vtue Syrac*o*sio praestricta fauce poetae,
Sic animae laqueo sit uia clausa tuae.
Nudaue direpta, pateant tua uiscera pelle,
Vt Phrygium cuius nomina flumen habet.
Saxificae uideas infelix ora Medusae,
Cephenum multos quae dedit una neci.

541. apifex *V* atheo *V* ateho *M* aceho *H* pati quod fecit achei *Phillippicus* 23620.
542. apes *HMPX.*
543. uiscere *HMPV* flammis *H.*
544. tibi *pro* cui *T* phyrra *P* pyra *X* pirri *V.*
545, 6 *citat Conradus s. u.* Arpacides uel secundum quosdam Arapagies.
545. pueri *Conr.* arpacides *P Vat.* harpatides *Laur. XXXIII.* 31 arpasige *G* arpagige *FVX* arpagie *T Conr.* arphagie *HM* Harpagides *ed. Pr. quod tuetur Laurentius Abstemius in IV Annotationum Variarum.* Harpalyces *Saluagnius ex cod. Sanuictoriano* Merk. Ries.* tieste *G* thiestis *HMTV.*
546. tuis esus *Vat.* sectus *pro* caesus *HM* scelus *M* excisus *F* eat *X* eras *V.*
547, 8 *citat Conradus s. u.* Mynerius et Minerinus.
547. genis *T* mutulatas *X* matilatis *V m. pr.*
548. mammerte *G* mamerte *V Sloan.* mamyrte *ed. Pr.* mīmerti *F* mannerini *X nisi me fallunt oculi* minermi *PT Vat.* inbieri *Conradus* mimerni *H* Mamertae *Merkelius incertus tamen de historia. Mihi Mamercus is intelligendus uidetur de quo Plutarchus dixit Timol.* 31–34, *Polyaenus V.* 12 *ubi plerique codices exhibent Milarcum. Sed quae habent Ibidis codices non infitior potuisse ex duplici scriptura nominis Mimnermi oriri qualis apud Graecos traditur, uelut est apud Suidam* Μίμνερμος Μίμερμνος Μίμνερμνος. seuisse *X.*
549, 50 *citat Conradus s. u.* Theocritus uel Theodatus.
549. Vtque *Conr.* Siracusio *codd. et Conr.*
550. tuọ (e supra) *G.*
551. Nudaque *FH* Nullaque *X* direpta *GHMPT* directa *VX* derepta *F* patent *P* palle *X sed* e *scripta in marg.*
552. frigium *V* frigii *G* phrigius *X* habent *T.*
553. hora *P.*
554. populos *Laurentianus XXXIII.* 31 qui *V* dedi *H.*

* 'Apposite ad mentem Ouidii, qui Thyestis et Clymeni fabulas contulit: uterque nimirum filium in epulis consumpsit, uterque filiam compressit. Et uero satius est fabulam fabulae iungi quam historiam.' Saluagnius.

Potniadum morsus subeas ut Glaucus equarum,
Inque maris salias Glaucus ut alter aquas.
Vtque duobus idem dictis modo nomen habenti,
Praefocent animae noxia mella uiam.
Sollicitoque bibas, Anyti doctissimus olim
Inperturbato quod bibit ore reus.
Nec tibi siquid amas felicius Haemone cedat,
Vtque sua Macareus, sic potiare tua.
Vel uideas quod iam cum flammae cuncta tenerent,
Hectoreus patria uidit ab urbe puer.
Sanguine probra luas ut auo genitore creatus,
Per facinus soror est cui sua facta parens.
Ossibus inque tuis teli genus haereat illud,
Traditur Icarii quo cecidisse gener.
Vtque loquax in equo est elisus guttur *acerno*,
Sic tibi claudatur pollice uocis iter.
Aut ut Anaxarchus, pila minuaris in alta,

555, 6 *citat Conradus s. u.* Glaucus.
555. Potniadum *H* Pothnya dum *Conr.* Postniadum *G* Poeniadum *X* Porniadum *P* Pegniadum *F* Totmadum *Vat.* Fauniadum *T* claucus *V* aquarum *X*.
556. aquis *X*.
557, 8 *citat Conradus s. u.* Glaucus.
557. nullum *pro* nomen *Conradus*.
558. Eripiant *X* Preficiant *Conr.* Gnosia *FHMPT. Merk. Ries.*
559 *citat Conradus s. u.* Socrates Sollicitusque *Conr.* aniti *P* auicti *Vat.* animo *TX* ueluti *FGHMV Conr.*
560. In(Ī *G*)perturbato *GHT* Imperturbato *PX*.
561. emone *PV* hermone *HM*.
562. macareus *G* machareus *HPTVX* tu *pro* sic *FHMT* tua *P*.
563, 4 *citat Conradus s. u.* Astianax. *Spurios habuit Sanctius.*
563. Et *F* quid *P* flame *G* cuncta *H om.*
564. ab urbe *GT* in urbe *FPVX Conr.* ab arce *HM*.
565. saguine *H* prora *G* proba *F*.
566. proh facinus *V*.
567, 8 *citat Conradus s. u.* Alcidima *et* Thelegonius.
567. celi gens *X* teleogonus *uel* telegonius *Conr.* herat *Conr. s. u.* Alcidima.
568. icarei *F* ycarei *H Conr. bis* icharei *V* cedisse *X*.
Trist. i. 2. 2. **18. Naufragii tabulas.** Simili modo loquitur de naufragiis fortunae suae Trist. i. 6. 7 *Tu facis ut spolium non sim, nec nuder ab illis* Naufragii tabulas *qui petiere* mei. Val. Max. viii. 1. 12 *inter maximos et grauissimos infamiae fluctus emersit,* tamquam fragmentum naufragii *leue admodum genus defensionis* amplexus. **19. Debuerat subitas extinguere flammas.** Credidit Saluagnius respici officium siue uigilum siue uigilum praefecti. Dig. i. 15. 3 *Paulus libro singulari de officio praefecti uigilum. nam salutem rei publicae tueri nulli magis credidit conuenire nec alium sufficere ei rei quam Caesarem. itaque septem cohortes oportunis locis constituit, ut binas regiones urbis unaquaeque cohors tueatur, praepositis eis tribunis et super omnes spectabili uiro qui praefectus uigilum appellatur. cognoscit praefectus uigilum de incendiariis effractoribus furibus raptoribus receptatoribus.* Hi libertini, praefectus eques fuit. Dion C. lv. 26, Suet. Aug. 25. **20. praedam.** Inuolaturus fuerat bona Ouidii, nisi uxor intercessisset Trist. i. 6. 13 *Sic mea nescio quis rebus male fidus acerbis In bona uenturus, si paterere, fuit.* **23. Di melius** 'Heaven forbid' A. Palmer ad Her. iii. 125. Quo sane sensu alias usurpauit Ouidius, Am. ii. 7. 19, A. A. ii. 388, Rem. 439, M. ix. 496. Interdum tamen est 'the gods forbade' ut Val. Max. vi. 1. Ext. 3 *Di melius quod hunc animum uiris earum in acie non dederunt* quem locum Schottus attulit ad Sen. Controu. x. Praef. 4 *Di melius quod eo saeculo ista ingeniorum supplicia coeperunt quo ingenia desierunt.* Sen. Epist. 98. 4 *Et senties hoc et confiteberis, nihil ex his optabilibus et caris utile esse, nisi te contra leuitatem casus rerumque casum sequentium instruxeris, nisi illud frequenter et sine querella inter singula damna dixeris* Dis aliter uisum est: *immo mehercules ut carmen fortius ac iustius petam quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quotiens aliquid aliter quam cogitabas euenerit,* Di melius. *Sic composito nihil accidet:* ita enim recte interpretatus est Hertzbergius ad Prop. iv. 6. 65. Itaque haud scio an non melius nunc sic intellegas *di melius fecerunt* 'the gods willed better.' **24. Qui .. noluit** Augustus. **25. ubicumque** quacumque in parte terrarum, siue in Ponto siue alio quo transferar. **26. mansueto pectore** Val. Max. iii. 8. 2 Ext. **27. Audiet.** Pontus me audiet has grates agentem; fortasse etiam **idem** Augustus mutando locum exilii **faciet ut terra propior** Italiae **testificanda sit mihi h.** e. testis inuocanda grati animi. **28. propior** Trist. iv. 4. 51 *Mitius exilium pauloque propinquius opto,* ii. 185 (Constantin. Fanensis). **29. uiolente** qui mihi tam foede insultasti Pont. iv. 3. 27. **30. Qua licet** quantum mihi **misero** licet. Relegatus enim non iam multum poterat. *Qua licet* frequens ap. Ouidium Her. iv. 9 *Qua licet et sequitur, pudor est miscendus amori* Am. iii. 8. 51 *Qua licet, affectas caelum quoque.* Pont. ii. 4. 34 *Qua licet et quantum non onerosus ero.* **debitus** qualem me debet tibi tua in me crudelitas. Trist. ii. 160. **31.** Herod. viii. 143 νῦν δὲ ἀπάγγελλε τῷ Μαρδονίῳ ὡς Ἀθηναῖοι λέγουσι, ἔστ' ἂν ὁ ἥλιος τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἴῃ τῇπερ καὶ νῦν ἔρχεται, μήποτε ὁμολογήσειν ἡμέας Ξέρξῃ et v. 92. **35. fraterno fumo** in ara Eteoclis et Polynicis. Hyg. 68 *Eteocles et Polynices inter se pugnantes alius alium interfecerunt. His cum Thebis parentaretur* (*parentatur* Niebuhr), *etsi uentus uehemens esset* (*est* Niebuhr) *tamen fumus se numquam in unam partem conuertit, sed alius alio seducitur.* Luc. i. 552, Stat. T. xii. 429–433, Auson. Epigr. 139, Anth. P. vii. 399. Eandem fabulam narrat Ouidius Trist. v. 5. 33–38 ubi addit Callimachum id memorasse, siue in Ibide, siue in Aetiis, ut Schneidero placet Callim. ii. p. 626. **36. Quem,** non *quam,* legendum esse docet oppositio sententiarum. Iunget **noua concordia** fumum **quem uetus ira separat.** 'And new agreement shalbe made, in brothers smooke againe: Which earst in blasing flames of fyre, olde rancor rent in twayne'

T. Vnderdown. Sed **separat** non est *separauit*, sed iram ab initio usque ad Ouidii tempora durasse significat. **pyra** Anth. P. vii. 399. 5, 6 Ἠνίδε πυρκαΐης ἄνισον φλόγα· δαιομένα γὰρ Ἐξ ἑνὸς εἰς δισσὰν δῆριν ἀποστρέφεται. **44.** Il. xxii. 262 Ὡς οὐκ ἐστὶ λέουσι καὶ ἄρνασι ὅρκια πιστά; Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν. **45. coepto uersu** elegiaco, quo hoc opus coepi scribere. **46. pede** numero ut 644. **47. Vtque petit primo.** Metaphora ducta a milite proludente ad pugnam. **Vt hasta militis nondum calfacti** h. e. priusquam concaluerit ardore certaminis **primo petit** ita uibratur ut cadat in **solum** puta Circi sparsum **harena.** Saluagnius similem locum citat Ciceronis de Orat. ii. 78. 316 *ait idem cum bracchium concalefecerit tum se solere pugnare, neque attendit eos ipsos unde hoc simile ducat illas primas hastas ita iactare leniter ut et uenustati uel maxime seruiant et reliquis uiribus suis consulant. Neque est dubium quin exordium dicendi uehemens et pugnax non saepe esse debeat; sed si in ipso illo gladiatorio uitae certamine, quo ferro decernitur, tamen* ante congressum multa fiunt quae non ad uulnus sed ad speciem ualere uideantur, *quanto hoc magis in oratione exspectandum.* Aliter Merkelius qui ex F. vi. 205–208, Seru. ad Aen. ix. 53, Placidi glossis p. 437 Mai, locum explicat de clarigatione patris patrati, qui missa hasta super columnam ante aedem Bellonae in Circo Flaminio bellum indicebat. **48. Nondum calfacti.** Trist. iv. 9. 29 *Circus adhuc cessat, spargit tamen acer harenam Taurus et infesto iam pede pulsat humum.* **49. acuto** qualia sunt arma serio decernentium; praeludebant obtusis, ut ex A. A. iii. 515, 516 et 589 docet Saluagnius. **52. breui** breue tempus. M. v. 32 *Cunctatusque breui.* **53. liber** tamquam in apertum hostem. Rem. 377 *Liber in aduersos hostes stringatus iambus* (Ciofan.). **54.** Mart. vii. 12. 6 *Si qua Lycambeo sanguine tela madent* (Zingerle). Anth. P. vii. 69. 3 Ἀρχίλοχος τέθνηκε· φυλάσσεο θυμὸν ἰάμβων Δριμύν, πικροχόλου τικτόμενον στόματος. Οἶσθα βοῆς κείνοιο μέγα σθένος, εὖτε Λυκάμβεω Νῆυς μία σοὶ δισσὰς ἤγαγε θυγατέρας. **55. Nunc** interea, dum me ad acrius bellum nondum instruo. **Battiades** Callimachus, Batti filius. Catull. lxv. 16, cxvi. 2. **inimicum** Apollonium Rhodium. **57. historiis** praecipue mythologicis, nonnumquam ex recentiore tempore ductis ac uera memorantibus. Sic Am. ii. 4. 44 *Omnibus historiis se meus aptat amor*, ubi de Leda et Aurora dicit. Prop. iv. 7. 64, iv. 1. 119, ubi de fabulis Graecorum sermo est. Tales sunt ἱστορίαι ξέναι καὶ ἄτριπτοι quas in Lycophronis Alexandra, Heraclidae Pontici Leschis, Parthenii Elegiis inuenit Artemidorus Oneir. iv. 63 citatus a Meinekio Anal. Alex. p. 258. **caecis** obscuris Sen. Oedip. 92 *Sphinga caecis uerba nectentem modis* 'riddling.' **58. genus** 'line' 'style' idem est quod *argumentum.* **59. ambages** aenigmata 377. F. iii. 337 *uerum ambage remota Abdidit.* **60. iudiciique** quo aperta praefero obscuris. **62. tu quoque.** Hinc colligo Callimachum in Ibide sua nomen non posuisse aduersarii. **63. aliquantum noctis** multam obscuritatem. Sic Quintilianus viii. 2. 23 *tenebris orationis inferat quoddam intelligentiae suae lumen.* Eodem sensu Statius Lycophrona *atrum* dixit S. v. 3. 157 (Saluagnius). **64. uitae series** ut *fati series* M. xv. 152, Stat. S. iv. 3. 145 *Vidi quam seriem morantis aeui Pronectant tibi candidae sorores.* **65. natali Ianique Kalendis.** 'Priusquam Naso Deos inuocandos sibi conciliet, Ibin monet ut natali suo Kalendisque Ianuariis has diras a quouis legendas sibique pro faustis precationibus recitandas curet, quo scilicet iis diebus pronuntiatae certiorem perniciem portendant. Veteres enim quidquid ominis mali diebus illis auditum fuisset, dirum nescio quod exitium minari credebant: contra dies illos, si nihil infausti contigisset, faustos censebant.' Salu. Natalibus et dona mittebantur et Genium quisque suum colebat. Itaque non sine acerba irrisione Ouidius Diras tamquam natalicium munus (Censor. de die Natali I) offert ini-

mico, precaturque ut quà die lucem acceperit (Cens. II) ea se morti deuotum reminiscatur. **Ianique Kalendis.** Plin. H. N. xxviii. 22 *Cur primum anni incipientis diem laetis precationibus inuicem faustum ominamur?* **66. Non mentituro.** Tr. iv. 3. 16 *Non mentitura tu tibi uoce refer.* Docet certo euentura quae inprecatur. **67. Di maris et terrae.** sic Agamemnon Il. iii. 276–280 Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε μέγιστε, Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις, Καὶ ποταμοὶ καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας Ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅ τίς κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ, Ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε. **meliora** caeli. Eadem partitio est M. ii. 298 *si freta, si terrae pereunt, si regia caeli.* **68. Inter diuersos** oppositos **polos** in omni circuitu caeli, quantum patet inter polum Borealem Australemque. Sic F. vi. 718 *cinget geminos stella serena polos* de Lucifero circumeunte caelum, F. iii. 106 *geminos esse sub axe polos.* Pari modo Tellurem inducit in M. ii querentem Ioui de Phaethontis incendio u. 293 *Quod si nec fratris, (Neptuni), nec te mea gratia tangit, At caeli miserere tui. Circumspice utrumque: Fumat uterque polus, quos si uiolauerit ignis, Atria uestra ruent.* **cum Ioue** superi omnes. **70. optatis** uotis 87. **pondus inesse** eodem sensu quo *pondus habere* pro rata fieri frequentauit. **71. Ipsaque tu Tellus.** A dis maris terrae caeli ad haec ipsa elementa se conuertït 'And thou thy selfe (oh Tellus fayre) thou Sea with all thy waues: And Ayer highest of the rest, graunt what my prayers craues. And eke you Starres and Phebus to, with beames compassed bright: Thou Moone also who never do'st, as ere shew forth thy light. Thou Night who by thy darknes art, of many honoured: and eke you Dames who with three hands, doe spinne the certain thred' T. Vnderdown. **72. aether summe** Cic. N. D. ii. 40. 101 *ultimus et a domiciliis nostris altissimus omnia cingens et coercens caeli complexus, qui idem aether uocatur.* **73. radiis circumdata solis imago.** Videtur simulacrum sibi fingere coronatum radiis, F. i. 385 *radiis Hyperiona cinctum.* **74. numquam quo prius ore micas.** M. xv. 196 *Nec par aut eadem nocturnae forma Dianae Esse potest umquam, semperque hodierna sequente, Si crescit, minor est, maior si contrahit orbem* (Ciofan.) **75. tenebrarum specie** non est tenebris quas oculis subicis, sed eodem sensu quo apud Ciceronem dicitur Pis. xi. 24 *fuit pompa, fuit species,* de Orat. ii. 72. 294 *quamdam in dicendo speciem atque pompam* 'pomp.' **76.** Parcas dicit quae cum tres sint **triplici pollice** nent **opus ratum** fila fati certi et inmutabilis. Cons. ad Liu. 444 *Stant rata, non ulla fila renenda manu.* **77. horrendo murmure.** Burmannus affert Hermesianactis uersus de Orpheo apud inferos Athen. 597 Ἔνθα Χάρων κοινὴν ἕλκεται εἰς ἄκατον Ψυχὰς οἰχομένων, λίμνη δ' ἐπὶ μακρὸν ἀΰτεῖ Ῥεῦμα διὲκ μεγάλων συρομένη δονάκων. **78. Inperiuratae aquae** Styx *Di cuius iurare timent et fallere numen* Aen. vi. 324. **79. Quasque** Eumenides **ferunt** fama est **sedere capillis uittatis angue intorto,** h. e. angues innexos tanquam uittarum taenias habentibus. Aen. vii. 352, Choeph. 1049 πεπλεκτανημέναι Πυκνοῖς δράκουσιν, ubi Coningto ex Paus. i. 28. 6 adnotat primum Aeschylum Furias sic repraesentasse. **angue** anguibus. Pont. iii. 1. 124 *Nexaue nodosas angue Medusa comas.* **80. Carceris.** Eadem uerba de eadem re M. iv. 453 Carceris ante fores *clausas adamante sedebant, Deque suis atros pectebant crinibus angues.* In limine Orci et Vergilius posuit *ferreos Eumenidum thalamos,* Aen. vi. 280. **81. plebs superum** opponuntur nobilioribus M. i. 173. Ex hoc Ibidis loco sumpsit Martialis viii. 50. 2–4 *Quantaque nox superis omnibus illa fuit Qua bonus accubuit genitor cum plebe deorum Et licuit Faunis poscere uina Iouem* (Zingerle). **lares** cum Faunis Satirisque coniunxit ut rusticorum praecipue numina Hor. C. iii. 23. 4, Tib. i. 1. 20. **82. Semideum** M. i. 192, xiv. 673. **83. ab antiquo Chao** M. ii. 299 *In*

chaos antiquum. Fundus locutionis Verg. G. iv. 347, qui ipse ad Hesiodum refertur Theogon. 116 Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ' (Constantinus Fanensis). **diui ueteresque nouique** Seru. ad G. i. 21 *Post specialem inuocationem transit ad generalitatem, ne quod numen praetereat, more pontificum per quos ritu ueteri in omnibus sacris post speciales deos quos ad ipsum sacrum quod fiebat necesse erat inuocari generaliter omnia numina inuocabantur* (Saluagnius). **85. capiti** quod in exsecrationibus (**carmina dira**) praecipue deuouetur. M. xiii. 330, xv. 505, Her. iii. 94. **male fido.** Itaque amicus fuerat. **canuntur** Aen. xi. 399. **86. peragunt partes** Am. ii. 15. 26 'And raging anger takes in hande, with griefe to play his parte' T. Vnderdown. **88. caduca** irrita F. i. 181. **89. illa,** illustria et omnibus nota. Plat. Legg. xi. 931 B, Οἰδίπους, φαμέν, ἀτιμασθεὶς ἐπεύξατο τοῖς αὑτοῦ τέκνοις ἃ δὴ καὶ πᾶς ὑμνεῖ τέλεα καὶ ἐπήκοα γενέσθαι παρὰ θεῶν, Ἀμύντορά τε Φοίνικι τῷ ἑαυτοῦ ἐπαράσασθαι παιδὶ θυμωθέντα καὶ Ἱππολύτῳ Θησέα καὶ ἑτέρους ἄλλους μυρίους μυρίοις, ὧν γέγονε σαφὲς ἐπηκόους εἶναι γονεῦσι πρὸς τέκνα θεούς· ἀραῖος γὰρ γονεὺς ἐκγόνοις ὡς οὐδεὶς ἕτερος ἄλλοις, δικαιότατα (Saluagnius). **90. Pasiphaes generi** Thesei mariti Phaedrae. **uerba** diras in Hippolytum. *Quem cum non potuisset* (Phaedra nouerca) *ad suam perducere uoluntatem, tabellas scriptas ad uirum suum misit se ab Hippolyto compressam esse seque ipsa suspendio necauit. Theseus re audita filium suum moenibus excedere iussit et optauit a Neptuno patre filio suo exitium.* Hygin. 47. Eur. Hipp. 887 Ἀλλ', ὦ πάτερ Πόσειδον, ἃς ἐμοί ποτε Ἀρὰς ὑπέσχου τρεῖς, μιᾷ κατέργασαι Τούτων ἐμὸν παῖδ', ἡμέραν δὲ μὴ φύγοι Τήνδ' εἴπερ ἡμῖν ὤπασας σαφεῖς ἀράς. Cic. Off. i. 10, iii. 25. **91. Quas transiero** si quas praeteriero. **92. Plenius ingenio** cumulatius quam ut animo fingam, carmine eloquar. **93. minus noceant** quod **fictum** non uerum **nomen** exsecrentur. Languet enim ictus nisi in certum quiddam dirigatur, quasi σκιαμαχούντων. **95. Illum ego** tamquam **Ibin deuoueo quem** Ibin **mens intelligit,** h. e. Ibis mihi ille est quem sub hoc nomine tamquam praesentem ac uerum imaginor. Hinc certum quemdam significare Ouidius colligitur. Cuius si pro nomine signa posuit (Trist. i. 5. 7), manent ea in obscuro. Imitatus uidetur formulam qua urbes deuouebantur Macrob. S. iii. 9. 10 VT OMNES ILLAM VRBEM CARTHAGINEM EXERCITVMQVE QVEM EGO ME SENTIO DICERE FVGA FORMIDINE TERRORE COMPLEATIS. **96. scit se.** Melius scripturus eram *se scit.* Nux 43 *Sic timet insidias qui* se scit *ferre uiator* ut ex optimo codice nuper edidit Wilamowitz. **preces** inprecationes 97–106. Poeta inimicum exsecraturus fingit se quasi sacrum quoddam facere. Ipse **sacerdos** tamquam adsint sacrificio legentibus indicit εὐφημίαν, ut nihil dicant quod sacrum turbet situe laeti augurii (98, 99), tum ut tristitiam significent, hostiam h. e. **Ibin** adeundo cum lacrimis, pullatique et sinistro pede occurrentes (100–102). Tum ad ipsum Ibin conuersus iubet morti se parare sumptis uittis quibus ornatus uelut hostia in ara ad id ipsum parata immoletur (103–106). **97. peragam rata uota** uerba concepta deuotionis exsequar ad felicem euentum. Sic *peragere sacra* P. iii. 2. 66, F. v. 444, 630. **rata** sic uidetur additum ut Prop. iv. 1. 101 *Iunonis uotum facito impetrabile,* iv. 10. 14 *uotis occupat ante ratis* 'I will carry my vows through to their consummation.' **98. Ibin.** Potest alludere ad eam significationem quam tradit Hesychius sub s. u. ἰβύ ἰβυκινῆσαι ἰβυκινήσαντες ἶβυς. Hoc enim, ab Ionico ἰβὺ ductum, εὐφημίαν, ἰβυκινῆσαι εὐφημεῖν significat h. e. ore fauere. **98. ore fauete** nihil dicite quod alienum sit a lugubri sacro. Henry Aeneidea iii. p. 25 'use your mouths so as to further what I am about: If the speaker is engaged in lamentation, *ore fauete* thus becomes equivalent to *mourn with me*, as Ovid, Ibis 98, 99 *Quisquis ades sacris,* ore fauete, *meis: Quisquis ades sacris,* lugubria dicite uerba.' **100. fletu madidis** Trist. iii. 5. 12

Osque madens fletu. **101. Ominibusque** MSS recte. Quomodo enim fingas omnes qui aderant (**quisquis ades**) *nomina* infausta attulisse? nisi forte ex astantibus ii tantum citantur contra Ibin qui nomine inprospero appellati sunt. **pedibusque occurrite laeuis** Apul. Met. i. 5 *Sed ut fieri assolet sinistro pede profectum me spes compendii frustrata est.* Contra dextro pede iter ingredi boni ominis fuit Prud. c. Symm. ii. 79, Vitruu. iii. 4. 4 *Namque cum dextro pede primus gradus* (templi) *ascendatur item in summo templo primus erit ponendus.* Eur. Bacch. 943, 4 Ἐν δεξιᾷ χρὴ χἄμα δεξιῷ ποδὶ Αἴρειν νιν. Petron. 30, Sil. vii. 171, Aen. x. 255 quos locos congessit Mayor ad Iuuen. x. 5. **103. ferales** funebres Tr. iii. 3. 81. **uittas** Aen. ii. 155 *uos arae ensesque nefandi Quos fugi, uittaeque deum, quas hostia gessi* (Burmann). **104. funeris ara tui**, ara in qua sacrificandus es. Detorsit significationem uerborum *funeris ara* quae alias pro ara sepulcrali manium posita est Trist. iii. 13. 21 *Funeris ara mihi, ferali cincta cupresso, Conuenit et structis flamma parata rogis.* M. viii. 480 *Ante sepulcrales infelix constitit aras.* **105. Pompa** et ad funus et ad sacrificium refertur. **mora absit** ne tu morare deuotiones meas, ut ne ego quidem eas demorari (**nulla mora est in me** 97) cupio. **106. Da** praebe **iugulum** feriendum **cultris meis** qui te tamquam hostiam immolaturus sum. Pont. ii. 9. 31 *Nec dabit intonso iugulum caper hostia Baccho.* **hostia dira**, ut *uictima dira* A. A. i. 334, Pont. iv. 9. 84, de *hominibus* dicitur qui animalium more mactantur. **107–126.** Post hoc exordium, quo haud scio an nihil σεμνότερον in carminibus extet Ouidii, incipiunt instar ὕμνου δεσμίου uerba ipsa Dirarum, quibus simillima est nota illa deuotio Southeiana Curse of Kehama 'I charm thy life from the weapons of strife' &c. Dirarum quattuor partes facio 6+4=6+4. Harum in (1) precatur ut elementorum usus aduersario denegetur (2) ut exul et mendicus erret in maximis angoribus (3) ut eum nemo miseretur, oderint omnes, laetenturque afflictum deiectumque fortuna (4) ut mori uelit nec nisi post summos cruciatus queat mori. **111. Vulcanus.** Respicit Romanum morem igni et aqua (**pontus**) interdicendi (Saluagn.). **se praebeat,** seruiat usibus tuis. Am. i. 6. 41 *Lentus es? an somnus qui se male praebet amanti Verba dat in uentos aure repulsa tua?* **113, 114.** Ael. V. H. iii. 29 Διογένης ὁ Σινωπεὺς συνεχῶς ἐπέλεγεν ὑπὲρ ἑαυτοῦ ὅτι τὰς ἐκ τῆς τραγῳδίας ἀρὰς αὐτὸς ἐκπληροῖ καὶ ὑπομένει. εἶναι γὰρ Πλάνης ἄοικος πατρίδος ἐστερημένος Πτωχὸς δυσείμων βίον ἔχων ἐφήμερον. Herc. Fur. 303 ἀλλὰ καὶ τόδ' ἄθλιον, Πενίᾳ σὺν οἰκτρᾷ περιβαλεῖν σωτηρίαν. Ὡς τὰ ξένων πρόσωπα φεύγουσιν φίλοις Ἓν ἦμαρ ἡδὺ βλέμμ' ἔχειν φασὶν μόνον. **114. tremente,** cum fame, tum frigore (Saluagn.). **115. querulo dolore**, qui non tacet sed per querellas effunditur. Trist. iii. 8. 32 *Et numquam queruli causa doloris abest.* **117.** 'That thou mayst still be pitifull, but pitied of none: And that no man nor woman may, for thy mischaunces mone' T. Vnderdown. **119. Accedat lacrimis,** cumulus sit doloris tui. Pont. i. 8. 26. **121, 2.** Olim sic interpretatus sum. **Sitque facies inuidiosa** lamentabilis uel crudelis species **fortunae** condicionis **tuae defecta** destituta **solito fauore** beneuolentia quae in miseros conferri solet, **quod est rarum** id quod raro euenit, cum plerique miseris faueant. 'May the cruel aspect of thy fortune lack, as seldom happens, the sympathy ordinarily granted to the miserable.' Qua significatione dixit Quintilianus Inst. Or. iv. 1. 9 *Est enim naturalis fauor pro laborantibus*, quem locum attulit Saluagnius: **solito** tuearis ex Tac. Ann. iii. 5 *ne solitos quidem honores:* **defecta** quam prope in adiectiuum transierit, docent comparatiuus *defectior*, superlatiuus *defectissimus: inuidiosa* saepius Ouidio sunt quae propter miseriam uel crudelitatem inuidiam mouent in auctores. M. viii. 144 de Scylla *Gnosiacaeque haeret comes inuidiosa carinae*, xiii. 414 *Dardanidas matres .... Inuidiosa tra-*

hunt uictores praemia Grai, v. 513 *Ante Iouem passis stetit inuidiosa capillis*. Nunc huc potius inclino ut **inuidiosa** praedicati parte fungatur, hoc sensu: utinam fortuna tua, id quod rarum est, inuidiam in te atque odium concitet, ut non iam propter fauorem blandientium, ita propter miserias quibus conflictaris. Nam felicium fortuna inuidiosa per se est, multorum inuidiam in se trahit: rarius *inuidiosus* est miser, siue quod odium quoddam mouet aerumnarum suarum, siue indignationem in auctores. 'May the aspect of thy fortune, as seldom happens, rouse the disgust of men when the smiles of the world no longer attend it.' Et sic T. Vnderdown 'And that, that seldome comes to passe, I wishe thy whole estate: All wonted favour for to want, And be replete with hate.' **quod est rarum.** Trist. iv. 10. 121 *Tu mihi, quod rarum est, uiuo sublime dedisti Nomen, ab exsequiis quod dare fama solet*, iv. 5. 23 *Teque, quod est rarum, praesta constanter ad omne Indeclinatae munus amicitiae*. Non est, id quod raro tibi euenit. **123. Causa mortis** cur mori uelis. **copia** posse mori. Suet. Tib. lxi. *mori uolentibus uis adhibita uiuendi* (Salu.). Memnonis fr. περὶ Ἡρακλείας in Muelleri Fragm. Hist. Graec. iii. p. 528 de Satyro tyranno πολλάκις αὐτὸν φασὶν ἐν τῇ νόσῳ τὸν θάνατον ἐπελθεῖν αὐτῷ κατευχόμενον μὴ τυχεῖν, ἀλλὰ συχναῖς ἡμέραις τῇ πικρᾷ καὶ βαρείᾳ καταδαπανώμενον νόσῳ οὕτως ἀποτῖσαι τὸ χρεών. **127.** Post 126 quo clauduntur dirae, pausam facit poeta. Tum interiecto spatio quasi certus futuri pronuntiat euentum uaticinii. **Euenient** euentum habebunt sc. quae dixi. Tibullum imitatur, i. 5. 57 *Euenient, dat signa deus* (Const. Fan.) M. iii. 524 *Eueniet; neque enim dignabere numen honore* ubi Heinsius malebat *Euenient*. **129. Certe.** Quasi corrigit se nimis confidentem de uaticinio: si non adeo est certus euentus, deos saltem habebo audientes, quorum ope moriturum te sperabo. **putabo** futurum ad **motura** accommodatur. **130. alar** 'will feed on the hope.' Tib. ii. 6. 21. **131. nimium saepe** non bis semelue, sed saepissime, de Fin. ii. 13. 41 *quod uos interdum uel potius nimium saepe dicitis*, de Leg. ii. 17. 43 *nimis saepe* (Hand.) **132. dies** mortis, **sera** propter exilii miserias. **133. spatio** temporis lapsu A. A. ii. 651 *Mox etiam uentis spatio durata resistet*. **134.** Quod hic u. et 133 bis scripti sunt (cf. 41, 42), uoluit poeta τὴν ἔχθραν προΐστασθαι et quasi primas partes carminis odio dare. Eodem modo Demosthenes in oratione περὶ τοῦ Στεφάνου bis posuit uerba illa εὔχομαι ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ—τοῦτο παραστῆσαι τοὺς θεοὺς ὑμῖν (§§ 1, 9). **135. Pugnabunt arcu dum Thraces.** Arcu pugnare non erat Thracum qui μαχαίραις ἀκοντίοις rhompaeis utebantur (Thuc. ii. 98, Xen. Mem. iii. 9. 2, Liu. xxxi. 39). Itaque uidetur Ouidius Getas intelligere qui omnes ἱπποτοξόται erant (Thuc. ii. 96). Hos *arcu fisos* dicit Pont. iv. 9. 78, cf. iv. 13. 35 *plenas pharetras*, et in *Bistonio* uel Thracio litore collocat Pont. iv. 10. 1. **Iazyges** Strab. 306 postquam de Olbia Borysthenide dixit, ἡ δὲ ὑπερκειμένη πᾶσα χώρα τοῦ λεχθέντος μεταξὺ Βορυσθένους καὶ Ἴστρου πρώτη μέν ἐστιν ἡ τῶν Γετῶν ἐρημία, ἔπειτα οἱ Τυρεγέται, μεθ' οὓς οἱ Ἰάζυγες Σαρμάται. **hasta** Strabo de Roxolanis dicens 306 ἀμυντήρια ἔχοντες καὶ λόγχας καὶ τόξον καὶ ξίφος, τοιοῦτοι δὲ καὶ τῶν ἄλλων οἱ πλείους. **136. tepidus Ganges**. Prius Χλιαρὸς appellatus est, Plut. Flu. 4. Nam tepent Indiae fluuii, ut Curtius viii. 9 unum excipiat Indum qui *gelidior est quam ceteri*. **137. mollia** ex herbis M. vii. 284 *floresque et mollia pabula surgunt*. **140. in manis** tuos **manibus** meis **dabo**. Significat constantiam qua etiam mortuus animum retenturus sit quem in Ibin uiuus habuerit. **141. dilapsus in auras**, Aen. iv. 385 *Cum frigida mors anima seduxerit artus Omnibus umbra locis adero, dabis inprobe poenas, Audiam et haec manis ueniet mihi fama sub imos*. **142–4.** Cf. Mayor ad Iuuen. xiii. 221. **144. Insequar et uultus.** Hor. Epod. v. 93 *Petamque uultus umbra curuis unguibus*,

Quae uis deorum est manium. **ossea forma** 'a skeleton :' 'And then also when into ayre, my selfe shall turned be : My lyvelesse shadow shall with hate, pursue the gostes of thee. Then also myndefull of thy deedes, I wyll thy shadowes chase : And I a bony forme wylbe, with thee in every place' T. Vnderdown. **145. quod nollem** ut M. xiii. 862 *Ille tamen placeatque sibi placeatque licebit, Quod nollem, Galatea, tibi.* Trist. ii. 239 *At si, quod mallem, uacuus fortasse fuisses.* M. xii. 541 *quod mallem posse negare.* **consumptus ab annis.** Alias simplicem ablatiuum ponit, *c. senecta tabe usu.* Praepositionem hic addidit ut *correptus ab ignibus,* M. viii. 514, quo significantius originem tabis exprimeret, et quasi praesentiorem uim annis tribueret. Dräger i. p. 507. **146. manu facta** opponitur *naturali* leto ; quo usu saepius inuenitur apud Senecam. Epist. 41. 3 *specus non manu factus sed naturalibus causis excauatus.* 55. 6 *speluncae manu factae.* 58. 32 *finem non opperiri sed manu facere.* De Ira ii. 9 *uiolatos fontes uenenis et pestilentiam manu factam.* De breuit. uitae iii. 2 *morbos quos manu fecimus.* **148. piscis edet** sic de naufragio loquens Trist. i. 2. 56 *Et non aequoreis piscibus esse cibum.* **149. peregrinae uolucres.** Her. x. 121, 123 *Spiritus infelix peregrinas ibit in auras? Ossa superstabunt uolucres inhumata marinae?* **152. plebeio** qualis deceret aliquem miserae plebis (Hor. S. i. 8. 10). **corpus inane**, sine uita et spiritu Am. iii. 9. 6, Prop. iii. (iv.) 18. 32, Cic. de Leg. ii. 18 *ebur ex inani corpore extractum* (Saluagn.) = *ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος* Plat. Leg. 956 A. **153. Quidquid ero,** quidquid de me fiet ut Prop. i. 19. 11 *Illic quidquid ero, semper tua dicar imago.* i. 11. 26 *Quidquid ero, dicam Cynthia causa fuit* (Salu.). G. i. 36 *Quidquid eris.* Am. iii. 11. 49. G et Vat habent *Quidquid erit* h. e. quodcumque eueniet, ut Aen. v. 710 *Quidquid erit, superat quoniam fortuna, sequamur.* **ante os oculosque** Cat. ix. 9 ; primum totum os, deinde partem qua cernitur, dicit. **159. Verbera saeua** ut Am. i. 7. 6, 13. 18 ; significat impetum quo uerbera incutiebantur ut Luc. vii. 569. **nexaeque colubris faces,** noue uidetur excogitatum. **160. Conscia** 'guilty.' **ad** admotas ad uultum significat faces. Vsitatius fuisset *ob ora* Aen. xii. 863. **faces.** Axioch. 372 *Ἔνθα* (in Tartaro) *θηρσὶ περιλιχμώμενοι καὶ λαμπάσιν ἐπιμόνως πυρούμενοι Ποινῶν καὶ πᾶσαν αἰκίαν αἰκιζόμενοι ἀϊδίοις τιμωρίαις τρύχονται.* **161. furiis agitabere** Rosc. Am. § 66 de matricidis *Videtisne ut eos agitent Furiae.* § 67 *agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus.* **162. breuior poena** quam ut sufficiat ad poenam. **164. Indeploratum caput.** Trist. iii. 3. 45 *Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcri, Indeploratum barbara terra teget?* **165. traheris** unco, unde *hamotrahones qui unco cadauera trahunt* Paulus Festi p. 102 M. (Salu.). **166. uncus.** Corpora damnatorum postquam in carcere leto affecti fuerant, unco per mentum suffixo ad Gemonias trahebantur. Dion C. lx. 35 Τοὺς *ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ θανατουμένους ἀγκίστροις τισι μεγάλοις οἱ δήμιοι ἔς τε τὴν ἀγορὰν ἀνεῖλκον κἀντεῦθεν ἐς τὸν ποταμὸν ἔσυρον.* Vide quae congessit Mayor ad Iuuen. x. 66. **167, 168.** Sepultura carebis nec in rogo absumptus nec in tumulo quiescens. **167. carpunt** consumunt. **flammae.** Am. iii. 9. 41 *flammae rogales.* **168. Respuet.** Quemadmodum Atheniensium lege cautum est ne in Attica sepelirentur proditores uel sacrilegi, horumque nonnumquam etiam ossa effodiebantur, sic te non patria solum, sed ubicumque iacebis tellus eiciet, iusti sanctique uiolatorem. Vide Herm. Hager Journal of Philology viii. 1–13. **humus.** Contrarium est quod de Publio Cornelio Scipione habet Inscriptio CIL. 1. 33 QVA . RE . LVBENS . TE . IN GREMIV SCIPIO RECIPIT . TERRA . PVBLI PROGNATVM . PVBLIO . CORNELI. **169. tardus** qui **unguibus et rostro** tarde scindet uiscera, et quasi scrutabitur (Lucr. iii. 985) ac rimabitur (Aen. vi. 599) sub pectore. Male Salu. de tardo uolatu uulturis intellexit ex Isid. Orig. xii. 7. 12

Vultur a uolatu tardo nominatus putatur. **171. licet hac sis laude superbus** permittentis (Domit. Calderinus). εἰρωνεία. Licebit tibi hoc saltem te iactare, quod de tuo corpore lupi decertent. Hoc acerbius quam cum Saluagn. interpretari 'quamuis glorieris quasi tanti sis ut uel tua causa rixentur animantes.' An αἰνίττεται hic Ouidius, Luporum aliquem respiciens? **172. Insatiabilibus** ἅπαξ λεγόμενον apud Ouidium. **lupis,** Cat. cviii. 3–6 *Non equidem dubito quin primum inimica bonorum Lingua exsecta auido sit data uulturio, Effossos oculos uoret atro gutture coruus, Intestina canes, cetera membra lupi.* **173. Elysiis campis** Verg. G. i. 38. **diuersa,** in contrariam partem uersa. B. Afr. 68 *oppidum a Caesare diuersum ac remotum.* Salu. citat Sallust. Cat. 52 diuerso itinere *malos a bonis loca tetra inculta foeda atque formidolosa habere.* Aen. vi. 541 *Dextera, quae Ditis magni sub moenia tendit, Hac iter Elysium nobis: at laeua malorum Exercet poenas et ad impia Tartara mittit.* **175.** Simillimus est locus Axiochi 372 Ἄγονται πρὸς Ἐρινύων ἐπ' ἔρεβος καὶ χάος διὰ Ταρτάρου, ἔνθα χῶρος ἀσεβῶν καὶ Δαναΐδων ὑδρεῖαι ἀτελεῖς καὶ Ταντάλου δίψος καὶ Τιτυοῦ σπλάγχνα καὶ Σισύφου πέτρος ἀνήνυτος, οὗ τὰ τέρματα αὖθις ἄρχεται πόνων, et ipsius Met. iv. 455–462. **175. uoluensque petensque** sursum urgens et mox persequens deuolutum M. iv. 459 *Aut petis aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum,* Od. xi. 593–600. **176. Quique agitur** Ixion. M. iv. 460 *Voluitur Ixion et se sequiturque fugitque.* **177. perituras** numquam impleturas dolium cum semper *fundo pereant imo* Hor. C. iii. 27, M. iv. 461 *Molirique suis letum patruelibus ause Assidue repetunt, quas perdant, Belides undas.* **179. praesentia quaerit** cum Burm. per antithesin dictum habeo, sicut *Semper eget, semper abundat.* Frustra **quaerit** quae tamen non absunt, sed suprà caput pendent tamquam in manus illico uentura. M. iv. 456 *Tibi, Tantale, nullae Deprenduntur aquae, quaeque inminet, effugit arbor.* Od. xi. 582–592. **181. Iugeribusque nouem** M. iv. 456 **qui** Tityos **distat summus ab imo** ab ima parte corporis ad summam, quod Horatio est *ab imo Ad summum* S. ii. 3. 308. **182. assiduae aui.** Tib. i. 3. 76 *Porrectusque nouem Tityus per iugera terrae Assiduas atro uiscere pascit aues.* Mart. Spect. vii. 2 *Assiduam nimio pectore pauit auem.* Zingerle Martial's Ouid-studien p. 17. **debita** lege poenae. **praebet** lanianda **aui** uulturio. Od. xi. 577 ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα, Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον Δέρτρον ἔσω δύνοντες. **184. numeros** integram summam 'the full measure,' 'proportions.' Am. ii. 6. 40 *Implentur numeris deteriora suis.* Her. iv. 88 *Veneri numeros eripuisse suos* ubi A. Palmer affert M. i. 427 *quaedam inperfecta suisque Trunca uident numeris.* **185, 6.** 'The seconde shal thy toern limmes commit to serpents ire: The third thy face bemoyst with teares shall cast into the fire' T. Vnderdown. **185. sectos dabit** fortasse i. q. secabit, ut *defensum debit* pro *defendet* Aen. xii. 437, *uasta dabo* pro *uastabo* Aen. ix. 323; cf. Munronem ad Lucr. iv. 41. **186. fumantes** per prolepsin, ut fument. **incoquet igne** ἐπιμόνως πυρώσει Axioch. 372 'will char.' **188. in poenas ingeniosus** totam uim ingenii exercebit ad noua supplicia inueniendum 'will exhaust his fancy to find ways of punishing.' Trist. ii. 342 *Inque meas poenas* ingeniosus eram. 'Thy sinfull ghost a thousand wayes, shall then be put to payne: And Aeacus to punish thee, shall search his skilfull brayne' T. Vnderdown. **189. transcribet** transferet M. vii. 173, Aen. vii. 422. Proprie dicebant *transcribere agrum fundum pecuniam.* **191. reuolubile** apud Ouidium ἅπ. λεγόμενον *reuolubile saxum* Sil. xi. 476 de eodem Sisypho. **pondus** saxum quod fato semper relabitur. **194. inconsumpto** Pont. i. 2. 41. **195. huius.** 'No other death shal ende the paynes, that this death bringes to thee: Vnto the griefes that thou shalt have, no hower last shall be' T. Vnderdown. Locum imitatus est Martialis x. 5. 13

Nec finiantur morte supplices (? *simplices*) *poenae*. *huius* claudit hexametrum M. xv. 751, xiv. 667. **197. Inde** ex tantis malis quae te manent. **frondes ab Ida** M. xiii. 324 *sine frondibus Ide stabit* (Burm.) Il. xxi. 449 Ἴδης ἐν κνημοῖσι πολυπτύχου ὑλήεσσης. **198. summam aquam** ex superficie aquarum. **de mare**. Hic ablatiuus reperitur A. A. iii. 94, Trist. v. 2. 20, Pont. iv. 6. 46. (Neue Formenlehre i. p. 234.) Ex Varrone Atacino citant Charisius i. 15, Priscianus vii. 11 *Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.* **200. terra Cilissa crocos** Plin. H. N. xxi. 31 *Prima nobilitas Cilicio* (*croco*) *et ibi in Coryco monte*. Lucr. ii. 416. **202. Athos** cum Hybla iungitur A. A. ii. 517 *Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla.* **203, 204.** Il. ii. 488 Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω, Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη. **204. multiplicata.** Quinquies recurrit hoc uerbum in Carminibus quae exul scripsit Ouidius, Ib. 642, Trist. iv. 6. 38, v. 1. 64, Pont. iv. 9. 67: quibus adde Rem. 98. **205, 6.** Praeclarum ὀξύμωρον. Cf. in re dissimili A. A. iii. 288 *Cum risu laeta est altera, flere putes.* **206. Vt cogi in lacrimas** Aj. 924 ὡς καὶ παρ' ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν. **209–246.** Conuersio ad natales Ibidis et horoscopum. **210. Commoda** salutaris ut Prop. ii. 27. 4 *Quae sit stella homini commoda, quaeque mala* (Salu.). **leuisue** benigna. Opponitur *graui* Pers. v. 50 *Saturnumque grauem*, Prop. v. 1. 84. **211. Venus** et **Iupiter** benefici in genesi hominum. Macrob. in Somn. Scip. i. 19. 20 *cur notabilior benignitas Iouis et Veneris inter genethliacos habeatur*. **Venus illuxit** sic ex G edidi. Erunt qui *affulsit* praeferant, in quo uerbo (Sil. vii. 467) inest notio prospera. Sen. Suas. 4. 2 natales *inquirunt et* primam aeui horam *omnium annorum habent nuntiam, quo ierint motu sidera, in quas discucurrerint partes, contrane deus steterit an* placidus affulserit sol, quem locum citat Mayor ad Iuuen. xiv. 248. **212. Lunaque solque** quae *uitam nostram praecipue moderantur*, cum αἰσθητικὸν *id est sentiendi natura de sole*, φυτικὸν *autem, id est crescendi natura de lunari ad nos globositate perueniant* (Macrob. in S. S. i. 19. 23). **213. utiliter positos praebuit** eodem modo construxit ut ap. Cic. Off. i. 36. 131 *appetitum rationi obedientem praebeamus*. M. xii. 484 *Vt satis inlaesos miranti praebuit artus*. **utiliter** prospere. Manil. iv. 470 *nec quarta* (pars Erigones) *nec octaua* utilis *umquam*. **positos** ut *positus*, *positura* stellarum dicitur Gell. xiv. 1. 1 et 15. **214. Quem.** Mercurium magis ceteris Ibidi fauere oportuit. Ael. H. N. x. 27 τῷ Ἑρμῇ φασι τῷ πατρὶ τῶν λόγων φιλεῖται (ἡ ἶβις), unde Ἑρμαϊκῆς ἴβεως in papyro magica edita a Partheyo i. 246. **215. fera nec quicquam placidum spondentia Martis Sidera.** Sic Cicero in Somnio Scipionis de Rep. vi. 187 *tum rutilus horribilisque terris quem Martium dicitis*. Macrob. in S. S. i. 19. 19 *plerumque de Martis stella terribilia euenire definiunt*. **216. presserunt** 'bore down.' De fortuna uergente in peiora. Contrarium est quod dicit Arellius Fuscus ap. Sen. Suas. 4. 2 *an ex humili in sublime Iupiter tulerit*. Manilius ii. 562 Sagittario natos *depressos* dicit ab iis qui Geminis Libra Virgine Aquario orti sunt. **falciferique** Saturni, quae *stella malefica* dicitur a Macrobio in S. S. i. 19. 20. **218. Turpis** caelo deformi 'foul' 'lowering.' **219. in fastis**. Dies in quo Romani a Gallis uicti sunt ad Alliam A. V. C. 364 fuit xv ante Kal. Sextiles (July 18). Eodem die Fabii ad Cremeram ceciderant. Hinc in Fastis Antiatibus dicitur *dies Alliae et Fab.* (Mommsen CIL. i. p. 397). **grauis** funesta. Rem. 220 *damnis Allia nota suis*. A. A. i. 413 *qua flebilis Allia luce Vulneribus Latiis sanguinolenta fuit*. **nomen**. Dies Alliensis est in Fastis Amiternis. **220. Quaeque.** Quasi dicat, Haec est dies communis duorum damnorum reipublicae, dies Alliensis, dies eadem qua Ibis natus est. **publica damna** Epiced. Drusi 200. Opponitur *bono publico natus*

quod B. P. N. scriptum fuisse testatur Schottus ad Sen. Cont. x. Praef. **221. inpurae** significat inpudicam (Cat. lxvi. 84) et infimae sortis. **prolapsus** Salu. affert Phaedr. iii. 15. 4–6 *Non illam quaero, quae cum libitum est, concipit, Dein portat onus ignotum certis mensibus, Nouissime prolapsam effundit sarcinam* de partu temere concepto editoque. **222. Cinyphiam.** Non credo respici hircos Cinyphios (G. iii. 312, Sil. iii. 276), cum sine huiusmodi significatione saepius uox usurpetur, Pont. ii. 7. 25 *C. segetis*, M. xv. 755 *C. Iubam*, v. 124 *C. Pelates*, Grat. Cyn. 34 *C. paludes.* **foedo** utpote sordida matre natus. **pressit humum** 'natum significat. humi enim qui nati erant deponebantur. Stat. S. i. 2. 109 *tellure cadentem Excepi.*' Turnebus Adu. xxii. 11. Eadem tria uerba iterauit Stat. S. v. 5. 69. **223. aduerso** ex aduersum ei loco quo te mater peperit. **bubo** M. 5. 549, Sil. viii. 635. Hipponax fr. 54 Bergk κριγὴ δὲ νεκρῶν ἄγγελός τε καὶ κῆρυξ. **224. graues** ad uocem refertur M. xii. 203 *grauiore nouissima dixit Verba sono, poteratque uiri uox illa uideri*, quae cum hic lugubris sit, fere idem est quod lugubres 'melancholy.' **225. palustribus undis** M. xiv. 103. Erant paludes in regione Cinyphia (Grat. Cyn. 34). Harum in aliquam partem fingit poeta Stygis undas influxisse, unde aquam sumerent Eumenides qua recens natum infantem lauarent. Aquam palustrem dixit ut *deterrimam quae pigro lapsu repit pestilens* Colum. i. 5. **226. caua** aut ad cauum refertur quo aqua consistit 'a pool of water,' ut *caua palude* Cat. xvii. 4, M. vi. 371 aut, quod exquisitius, ad rimas ac meatus per quos ex inferis ducitur 'through a hollow channel.' **227. colubrae.** Has etiam ex Cinyphe induxit, M. vii. 272 *Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri.* **felle** quod uenenum esse serpentium tradit Plinius H. N. xi. 163, 193, xxix. 122 (Saluagn.). **228. cruentatas** sanguine nondum loti infantis. **increpuere manus** quod natalis signum faustum dicit Propertius iii. 10. 3, 4. Nimirum cui fausta ominantur Eumenides, is dis iratis natus est et infelix euadet. **229. inbuerant.** h. e. et, nam inbuerant, perbibit. Plusquamperfecto uidetur respici sequens euentus **Perbibit inde suae r. n.**, quasi dicat: Et, quia iam tenerum inbuerant canino lacte, primumque hunc cibum in os puero indiderant, fecerunt ut canis ducta rabie in uenas is euaderet qui nunc est, rabula maledicus latratorque. **infantia** infantis ut *infantia ossa* M. iv. 518, *inf. pectora* F. vi. 145. **231. Perbibit** 'absorbed,' quasi toto corpore. M. vi. 397 *uenis perbibit imis.* **rabiem** M. xiv. 66 *canum rabies.* **nutricis** canis, ut lupa altrix dicitur Romanorum, et hi alumni eius Prop. iv. 1. 37, 38. **232. Latrat** Rosc. Am. § 57 *Alii* (*accusatores*) *canes qui et latrare et mordere possunt.* Colum. Praef. i. 9 *Ne caninum quidem, sicut dixere ueteres, studium praestantius locupletissimum quemque adlatrandi et contra innocentes ac pro nocentibus.* (Forc.) **uerba canina.** Sic *caninam facundiam* Sallustius ap. Lact. vi. 8, Non. 60, Appio id tribuens, *caninam eloquentiam* idem Appius ap. Quintil. xii. 9. 9 dixerat (Forc.). Vell. P. ii. 62 *tribunus Cannutius canina rabie lacerabat Antonium.* **233. ferrugine.** Luridum colorem uidetur significare, ut G. I. 467, Aen. vi. 303, M. xv. 789, Propertium fortasse imitatus iv. 3. 14 *Traxit ab euerso lumina nigra rogo.* **pannis** cum contemptu de fasciis (Truc. v. 13) quibus inuoluebantur infantes. **234. male deserto** 'abandoned as accursed,' hominis damnati (Domit.). **Male** est propter maleficia eius qui ibi combustus erat. An est i. q. *uix?* Hor. S. ii. 6. 86 *cupiens uaria fastidia cena Vincere tangentis male singula dente superbo.* Petron. 119 *Persarum ritu male pubescentibus annis Subripuere uiros.* (Hand. 3. p. 585.) At si hoc uoluisset, dixisset, credo, *A modo deserto.* **236. Molle** ut infantis 'his baby head.' 'And lest that on the ground soo bare, his head should lye alone Not boren up, there under they doe lay a hard Flint stone' T. Vnderdown. **237. uiridi** quo amarior fumus fieret.

238. usque sub ora 'close up to his face.' Coniunguntur *usque sub* G. I. 211. **240. De tribus . . una . soror** M. x. 313 *tumidisque adflauit echidnis E tribus una soror.* **241. mouimus** excitauimus 'called forth.' Her. x. 148, Quint. vi. I. 44 **Tempus in immensum** 'to last for ages'; ab hoc usque tempore lacrimabis. **242. sufficiente** actiue positum uidetur ut G. iii. 65 *aliam ex alia generando suffice prolem.* Noua semper causa nouas lacrimas gignet. **245. suo,** nam ipsius Clothus non erat Ibidis fata uaticinari, sed Ouidii. **246. qui canet, erit.** Futurum posuit ut certius indicaret rem euenturam esse: potest enim esse uates qui canat, nec tamen cani id quod futurum est. Quod statim subiungit **Ille ego sum uates, ex me tua uulnera disces.** **247. uulnera** metaphorice pro doloribus, ut Trist. iv. I. 97. Sic de se ipso poeta *Non habet in nobis iam noua plaga locum* Pont. iv. 16. 52. 'That Prophete sure am I, of me thou shalt thy mischiefes know: So that the Gods some of their skyll would on my wordes bestow' T. Vnderdown. **248. dent uires in mea uerba.** Sic *dederis in carmina uires* F. i. 17, *est et amor, dabit hic in uulnera uires* M. iv. 150. **249. accedant** pendet ex *modo;* quamquam fortius sane esset quod edidit Merkelius *accedent,* nisi contra starent MSS. Fam. xi. 29. I *magnum pondus accessit.* **pondera rerum** 'real weight,' 'weight of reality.' Am. ii. 14. 42 *Et sint ominibus pondera nulla meis.* **250. Quae** carmina. **experiare** finaliter. **253. Poeantius Herculis heres** Hyg. 36 *Dicitur Philoctetes Poeantis filius pyram in monte Oetaeo construxisse Herculi eumque accendisse mortalitatem. Ob id beneficium Philocteti Hercules* arcus *et* sagittas donauit. **255. qui bibit ubera ceruae** Telephus. Ael. V. H. xii. 42 *ἔθρεψε . . . Τήλεφον τὸν Αὔγης καὶ Ἡρακλέους ἔλαφος.* Idem H. A. vii. 39 *Ὅσοι λέγουσι θῆλυν ἔλαφον κέρατα οὐ φύειν; οὐκ αἰδοῦνται τοὺς τοῦ ἐναντίου μάρτυρας, Σοφοκλέα μὲν εἰπόντα* Νόμας τέ τις κεροῦσσ' ἀπ' ὀρθίων πάγων Καθεῖρπεν ἔλαφος καὶ πάλιν Ἄρασα μύξας * * καὶ κερασφόρους Στόρθυγγας εἶρφ' ἔκηλος, quem locum ex Aleadis (fr. 87) sumpsit Aelianus. Videlicet descripserat ibi Sophocles ceruam Telephi, ut monstrat L. Campbell ad loc. **256. Armati** Achillis. **inermis** nam eiusdem Achillis hastae robigine sanatus est, *robore raso, Iniecto membris puluere* Anth. L. 184, Riese. Plin. xxxiv. 152, Claudian. Epist. 5. 46 ed. Ieep *Sanus Achilleis remeauit Telephus herbis, Cuius pertulerat uires, et sensit in uno Letalem placidamque manum.* Prop. ii. I. 63, 4 *Mysus et Haemonii iuuenis qua cuspide uulnus Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.* Anth. Pal. V. 291. 5 *Τήλεφον ὁ τρώσας καὶ ἀκέσσατο.* **257. Quique ab equo** Bellerophon. **in Aleia** in Cilicia Il. vi. 201, Hyg. 57 *Hanc* (*Chimaeram*) *super Pegasum sedens interfecit et decidisse dicitur in campos Aleios* (Heinsius). **258. Exitio facies** propter amorem Sthenoboeae, Proeti uxoris. **259. Id uideas** tenebras O. T. 419 *βλέποντα νῦν μὲν ὄρθ' ἔπειτα δὲ σκότον.* **Amyntorides** Phoenix. Apollod. iii. 13. 8 *Οὗτος ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐτυφλώθη καταψευσαμένης φθορὰν Φθίας τῆς τοῦ πατρὸς παλλακίδος.* **ministro** 'by the help of.' M. ix. 234 *quo flamma ministro Subdita.* **260. Praetemptes** 'grope.' Sen. Oed. 656 *Baculo senili triste praetemptans iter.* **261. quem** Oedipus. **filia** Antigone. **263. de lite iocosa** M. iii. 332, Hyg. 75 *Inter Iouem et Iunonem fuit* iocosa altercatio, *quis magis de re uenerea uoluptatem caperet, masculus an foemina: de qua re Tiresiam* iudicem sumpserunt *qui utrumque erat expertus. Is cum secundum Iouem iudicasset, Iuno irata manu auersa eum excaecauit.* **264. Apollinea** uaticinandi. **in** dum exercet artem Plin. xxxvi. II *Bupalus et Athenis uel clarissimi in ea scientia fuere.* Sic *florebat in armis* Cir. 110. **265. ille** Phineus. *Hic deorum consilia cum enunciaret ab Ioue est excaecatus* Hyg. 19. *Ὃς περὶ δὴ πάντων ὀλοώτατα πήματ' ἀνέτλη Εἵνεκα μαντοσύνης, τήν οἱ πάρος ἐγγυάλιξεν Λητοΐδης· οὐδ' ὅσσον ὀπίζετο καὶ Διὸς αὐτοῦ Χρείων ἀτρεκέως*

ἱερὸν νόον ἀνθρώποισιν. Τῷ καί οἱ γῆρας μὲν ἐπὶ δηναιὸν ἴαλλεν, Ἐκ δ' ἕλετ' ὀφθαλμῶν γλυκερὸν φάος Ap. R. ii. 179-184. **quo praecipiente** Ap. R. ii. 328-329 Οἰωνῷ δὴ πρόσθε πελειάδι πειρήσασθαι Νηὸς ἀποπρομεθέντες ἐφιέμεν. **266. rati** Argo, ut Symplegadas transirent Argonautae Hyg. 19. **267. Quique oculis caruit** Polymnestor. **male** in damnum suum. **aurum** Polydori Hec. 1206. **268. Inferias dedit** Hecuba oculos Polymnestoris quibus tamquam immolata uictima placarentur manes Polydori. Aen. x. 519, Sil. iv. 232. **269. Pastor** Cyclops. **casus** excaecatum iri. **270.** Od. ix. 508 μάντις ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε Τήλεμος Εὐρυμίδης, ὃς μαντοσύνῃ ἐκέκαστο Καὶ μαντευόμενος κατέγηρα Κυκλώπεσσιν. Ὅς μοι ἔφη τάδε πάντα τελευτήσεσθαι ὀπίσσω, Χειρῶν ἐξ Ὀδυσῆος ἁμαρτήσεσθαι ὀπωπῆς. **271. Phinidae.** Hi nominantur Plexippus et Pandion Apollod. iii. 15. 3, Schol. Antig. 966; Crambus et Parthenius Schol. Ap. R. ii. 140; Crambus et Oarthus (Oreithyius Welcker et Bergk.) Schol. Ap. R. ii. 178; Gerymbus et Aspondus ab altero Schol. Soph. Ant. 966; ap. Diod. iv. 43. 3, Hyg. 19 nomen siletur. **lumen ademit** 'deprived of sight'; cf. Henry Aeneidea Tom. ii. p. 509. Hyg. 19 *Phineus ex Cleopatra habuit filios duos. Hi a patre nouercae crimine* (sc. φθορᾶς Apollod. iii. 15. 3) *excaecati sunt.* Nouerca Idaea siue Eidothea. **272. Thamyrae** quem Musae χολωσάμεναι πηρὸν θέσαν Il. ii. 599 gloriantem se eas cantu superaturum. **Demodoci** Od. viii. 64 Ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν. **274. Subsecuit** subtus abscidit, ut aristas messor falce. Hes. Theog. 162 Τεῦξε μέγα δρέπανον, 179 δεξιτερῇ δὲ πελώριον ἔλλαβεν ἅρπην Μακρὴν καρχαρόδοντα, φίλου δ' ἀπὸ μήδεα πατρὸς Ἐσσυμένως ἤμησε. **partes** genitalia **unde creatus erat** patris Urani. **275. melior** benignior Stat. Th. vi. 278 *Ast illam melior Phariis erexerat aruis Iuppiter.* **276. cui** Ceyx rex Trachinis. **subitae** ex subita metamorphosi Tr. ii. 389 *Fecit amor subitas uolucres cum paelice regem.* **frater** Daedalion: nam ambo ex Lucifero nati M. xi. 296. Hic in accipitrem uersus est dolore filiae Chiones occisae a Diana M. xi. 295-345. **uxor** Alcyone, quae dolore Ceycis mersi dum Delphos nauigat, et ante ipsius oculos in terram acti, in auem alcyonem cum ipso mutata est M. xi. 410-748. **277. Sollerti** Πολύμητις Ὀδυσσεύς Od. ii. 173. **fracta** Od. v. 370 Ὣς τῆς (νηὸς) δούρατα μακρὰ διεσκέδασ'· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε, κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων. **278. Semeles soror** Κάδμου θυγάτηρ καλλίσφυρος Ἰνώ, Ἥ ῥ' Ὀδυσῆ' ἐλέησεν ἀλώμενον Od. v. 333, 336. Sed ap. Homerum Ino nondum fracta rate inducitur. **279. unus.** Recte Const. Fanensis explicauit de Mettio Suffetio duce Albanorum, qui cum foedus cum Romanis rupisset, *duabus admotis quadrigis in currus earum distentus illigatus est; deinde in diuersum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, qua inhaeserant uinculis membra, portantes.* Liu. i. 28. **280. scissa ferantur** scindantur et ferantur. **281. qui** Regulus. **redemi** ex hostium potestate, persoluto pretio Hor. C. iii. 5. 14-18. **282. Puniceo** pro *Punico* ἅπ. λεγ., nisi idem est quod *Poinicio* in inscript. Agraria C. I. L. i. p. 76. 25, quod Salu. citauit. **pertulit** Cic. in Pis. 19. 43 *ille M. Regulus quem Karthaginienses resectis palpebris illigatum in machina uigilando necauerunt.* **283. subsidio** opitulaturum. **praesens numen** est deus qui uocatus adest efficaciter Ecl. i. 41. **ut illi** non fuit subsidio. **284. Hercei** Eur. Troad. 16 πρὸς δὲ κρηπίδων βάθροις Πέπτωκε Πρίαμος Ζηνὸς Ἑρκείου θανών. Tradidit id Arctinus in Iliupersi. *Rhoetei* quod habent multi MSS respicit aliam fabulam de Priami morte. Seru. Aen. ii. 506 *alii dicunt quod a Pyrrho in domo quidem sua captus est sed ad tumulum Achillis tractus occisusque est iuxta Sigeum promunturium*; *nam in Rhoeteo Ajax sepultus est.* At Seneca Troad. 1123 in Rhoeteo tumulum Achillis ponit: aras et in Rhoeteo et in Sigeo fuisse testis est ipse Ouidius M. xi. 197 allatus a Merkelio *Dextera Sigei, Rhoetei laeua profundi Ara Panomphaeo uetus*

est sacrata Tonanti. **285. dedit saltus** saliuit, ut saepius in Metamorph. **summa** Val. F. vii. 606 *in summa Lapithes apparuit Ossa.* **Thessalus** nomen regis Thessalorum Diod. iv. 54. 1. Cf. Vell. P. i. 3. Chron. Euseb. ad ann. Abrahae 224 κατὰ τούτους τοὺς χρόνους πρῶτος ἐβασίλευσε Θεσσαλίας ὁ Γραικοῦ παῖς Θέσσαλος. Quod Scholiasta Ionum hunc fuisse dicit, quem eundem ac Lucani Ionum (vi. 402 *Primus Thessaliae rector telluris Ionus In formam calidae percussit pondera massae*, cf. Cassiod. Var. iii. 31) Schraderus habuit ap. Merkelium, crederem si de praecipitatione Ioni traditum quicquam esset. **286. praecipitere.** Nusquam hoc de Thessalo traditur. **287. Eurylochi.** Eundem habeo de quo scripta haec inueni in cod. Canon. 72, p. 25[b]* *Cenobates rex Thessaliae templum Cereris combussit. Ceres uero siue Iupiter immisit serpentem qui eum deuorauit. ille serpens in caelum translatus est ut qui illum uiderent ab iniuria deorum abstinerent.* Haec eadem fabula Hygino narrata est de Triopa rege Thessaliae P. A. ii. 14 *Nouissime prope ad terminum uitae dracone obiecto mala plurima perpessus, aliquando mortem adeptus, inter astra Cereris uoluntate est constitutus.* Sed uide Excursum. **288. artus** Hyg. P. A. 14 *Itaque adhuc uidetur eum draco circumplexus aeterna maerentem afficere poena.* **289. maturet** properet 'bring on before its time.' Hor. C. iii. 7. 14–16 *nimis Casto Bellerophonti* Maturare necem. Cels. vii. 7. 7 *eos qui carcinoma habent curare periculosum est: nam* mortem *quoque ea res* maturat. **290. Per caput infusae.** Schol. Ven. Il. ii. 145 ὁ Δαίδαλος διαπτὰς εἰς Κάμικον τῆς Σικελίας ἔμεινε παρὰ ταῖς Κωκάλου θυγατράσιν, ὑφ' ὧν ὁ Μίνως, ἥκων ἐπ' ἀναζήτησιν τοῦ Δαιδάλου, ἀποθνήσκει καταχυθέντος αὐτοῦ ζεστοῦ ὕδατος. Sic rem narrarant Philostephanus et Callimachus in Aetiis, diuersi illi a Diodoro 4. 79 qui Minoem dicit periisse cum nimis diu in thermis detentus fuisset. **291. parum mitis** 'that failed in his philanthropy.' Volebat Prometheus beneuolus esse (φιλάνθρωπος Prom. 11) hominibus, igni inuento, reuera autem nocebat (*parum mitis* euasit). Nam Iuppiter iratus Pandoram creauit, unde omnia mala hominibus. Rem narrat Hesiodus Ἔ. κ. Ἡ. 49 sqq. Χαίρεις πῦρ κλέψας καὶ ἐμὰς φρένας ἠπεροπεύσας, Σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισι. Τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν ᾧ κεν ἅπαντες Τέρπωνται κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες. **Parum mitis** cum Sanctio dictum puto per ironiam tamquam *parum* Μῆτις esset qui *Prometheus* uocabatur. P. V. 85 Ψευδωνύμως σε δαίμονες Προμηθέα Καλοῦσιν· αὐτὸν γάρ σε δεῖ Προμηθέως. Prop. iii. 5. 7, 8 *O prima infelix fingenti terra Prometheo, Ille* parum cauti *pectoris egit opus.* **Sed non inpune**, nam Prometheus dum per beneuolentiam nocet hominibus, ipse poenam tulit pascens uulturium in Caucaso. 'Like Prometheus whose ill-adventured philanthropy drew punishment on himself.' Hoc melius quam ut **parum mitis** de αὐθαδίᾳ Promethei explices, cf. P. V. 1008 Τέγγει γὰρ οὐδὲν οὐδὲ μαλθάσσει κέαρ Λιταῖς· δακὼν δὲ στόμιον ὡς νεοζυγὴς Πῶλος βιάζει καὶ πρὸς ἡνίας μάχει. Ἀτὰρ σφοδρύνει γ' ἀσθενεῖ σοφίσματι. Αὐθαδία γὰρ τῷ φρονοῦντι μὴ καλῶς Αὐτὴ καθ' αὑτὴν οὐδενὸς μεῖον σθένει: etsi facilius sic **non inpune** ad poenam refertur *Quam quondam silici restrictus membra catena Persoluit pendens e uerticibus praeruptis* Cat. lxiv. 296. **292. uolucres** αἰετόν P. V. 1021–1025, Hes. Theog. 525, Ap. R. ii. 1253, Apollod. i. 7. 1, *aquilam* Hyg. 144, *uulturem* Val. F. vii. 359, Petron. ap. Fulg. Myth. ii. 9. **fixus** Tusc. Disp. ii. 10. 23 *affixus ad Caucasum.* **293. Echecratides.** Thessalum credo fuisse, et ex stirpe Aleuadarum, nam teste Vlpiano ad Dem. Olynth. 1 Ἀλεύας ἀπόγονός τις τοῦ Ἡρακλέους, Θετταλός, ἐτυράννευσε τῶν Θετταλῶν, εἶτα οἱ τούτου παῖδες. Echecratiden regem Thessalorum memorat Thucydides i. 111; alium, Arnoldo iudice huius auum, Scholiasta

* Sumpsi haec ex Commentario in Metamorphoses ad ii. 139. Idem Scholion extat in Canon. 1 ubi *Corobates* et Canon. 7 ubi *Carnabotes* rex iste dicitur. Fuitne *Eurybates*?

Theocriti xvi. 34 ὁ Ἀντιόχος Ἐχεκρατίδου καὶ Δυσήριδος υἱὸς ἦν, ὥς φησι Σιμωνίδης, et Anacreon seu quis alius epigrammatum auctor fuit A. P. vi. 134, 142 ubi dicitur ἀρχὸς Θεσσαλίας. Praeterea Echecratian, matrem Scopae, (Scopadis autem commune genus cum Aleuadis), idem Schol. ad xvi. 36. Sed nihil de hac morte Echecratidae repperi. An significatur Eryx, quem Hercules luctando ter uicit et in Siculum mare praecipitauit? Certe *uictus* pro *quintus* scriptum est in T. Vide Excursum. **ter quintus** quintus decimus Her. viii. 48 *a Ioue quintus eris.* **295. Amyntiaden** Philippum Amyntae filium, patrem Alexandri magni, quem Pausanias qui *primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat*, quemque postea *perductum in conuiuium solutumque mero Attalus non suae tantum, uerum et conuiuarum libidini uelut scortorum iure subiecerat ludibriumque omnium inter aequales reddiderat*, cum *querellam Philippo saepe detulisset et non sine risu differretur*, celebrantem nuptias Cleopatrae filiae et Alexandri regis Epirotarum, interfecit Iust. 9. 6. Aristot. Pol. v. 10. 16 Ἡ δὲ Φιλίππου ὑπὸ Παυσανίου (ἐπίθεσις) διὰ τὸ ἐᾶσαι ὑβρισθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν περὶ Ἄτταλον. Nobilis inter παιδικὰ δράματα haec mors Philippi fuit: nam et Alexander is in cuius nuptiis facta est, stuprum a Philippo passus fuerat, (Iustin. viii. 6), et interfector neglectam in se iniuriam stupri ulciscebatur. Micyllus locum interp. de Archelao rege Macedoniae, quem Crateuas siue Crateas, puer amatus, occidit inter uenandum. Nam teste Iustino vii. 4 Amyntas, Menelai filius *ex Gygaea* Archelaum *Aridaeum Menelaum sustulit*. Plat. Alcib. ii. 141 Ἀρχέλαον τὸν Μακεδόνων τύραννον τὰ παιδικὰ ἐρασθέντα τῆς τυραννίδος οὐδὲν ἧττον ἤπερ ἐκεῖνος τῶν παιδικῶν ἀπέκτεινε τὸν ἐραστήν, ὡς τύραννός τε καὶ εὐδαίμων ἀνὴρ ἐσόμενος. Arist. Pol. v. 10. 17 Πολλαὶ δ' ἐπιθέσεις γεγένηνται καὶ διὰ τὸ εἰς τὸ σῶμα αἰσχῦναι τῶν μονάρχων τινας, οἷον καὶ ἡ Κραταίου εἰς Ἀρχέλαον· ἀεὶ γὰρ βαρέως εἶχε πρὸς τὴν ὁμιλίαν. Plut. Amator. 23 ὅσοι δὲ μὴ κακοὶ πεφυκότες ἐξηπατήθησαν ἢ κατεβιάσθησαν ἐνδοῦναι καὶ παρασχεῖν ἑαυτούς, οὐδένα μᾶλλον ἢ τοὺς διαθέντας ὑφορώμενοι καὶ μισοῦντες διατελοῦσι καὶ πικρῶς ἀμύνονται καιροῦ παραδόντος. Ἀρχέλαόν τε γὰρ ἀπέκτεινε Κρατέας ἐρώμενος γεγονώς, καὶ τὸν Φεραῖον Ἀλέξανδρον Πυθόλαος. Diod. xiv. 37, ubi tamen dicitur Archelaus ἐν τινι κυνηγίῳ πληγεὶς ἀκουσίως ὑπὸ Κρατέρου τοῦ ἐρωμένου. Huic sententiae potius adstipulor (1) quod Pausanias non ab ipso Philippo uiolatus est, sed ab Attalo: neque eum qui constuprarunt *turpi amore dilexerunt*, sed iniuriam ulciscebantur alterius Pausaniae qui reuera παιδικὰ fuerat Philippo (Diod. xvi. 93). (2) Pausanias pueritiam egressus non iam *puer* sed *iuuenis* uel νεάνισκος (Plut. Alex. 10) et inter Philippi σωματοφύλακας erat. (3) uerbis **Oderit et saeuo uulneret ense** simillima sunt quae ex Aristotele et Plutarcho attuli. Nec tamen infitior Perdiccae filium, non Amyntae, a plerisque Archelaum uocitari: et multo celebratius Pausaniae facinus fuisse. Nam ex Suet. Cal. 57, Ioseph. Antiquit. xix. 1. 13 constat Caligulam a Cassio Chaerea interfectum esse aut eodem die aut acto in scena eodem spectaculo quo Pausanias Philippum occiderat. **296. saeuo** per iram. **297. fida pocula** innocua, ueneno carentia. Sic Iuuenalis 6.630 *nulli credite mensae. Liuida materno feruent adipata ueneno.* **298. Qui** Alexander. Curt. x. 10 *Veneno necatum esse credidere plerique: filium Antipatri inter ministros, Iollam nomine, patris iussu dedisse. Vim autem ueneni, quod in Macedonia gignitur, talem esse constat, ut ferrum quoque exurat. ungulam iumenti dumtaxat patientem esse constat suci. Stygem appellant fontem, ex quo pestiferum uirus emanat. Hoc per Cassandrum adlatum traditumque fratri Iollae et ab eo supremae regis potioni inditum.* **Cornigero de Ioue natus** Iustin. xi. 11 *Ad Iouem deinde Ammonem pergit consulturus et de euentu futurorum et de origine sua. Ingredientem templum statim antistites ut Ammonis filium salutant. Ille laetus dei adoptione*

hoc se patre censeri iubet. **299. Achaei** Polyb. viii. 22 Ἀχαιὸς ἦν Ἀνδρομάχου μὲν υἱὸς τοῦ Λαοδίκης ἀδελφοῦ, τῆς Σελεύκου γυναικός· ἔγημε δὲ Λαοδίκην τὴν Μιθριδάτου τοῦ βασιλέως θυγατέρα, κύριος δὲ ἐγεγόνει τῆς ἐπὶ τάδε τοῦ Ταύρου πάσης. Hic cum in Sardibus ubi pro rege agebat ab Antiocho Magno, a quo desciuerat, obsideretur, fraude Bolidis captus, mutilatis membris, amputato capite, et in asini corium insuto, cruci suffixus est B. C. 214. **300. aurifera.** Pactoli qui Sardes praefluit M. xi. 87, Soph. Phil. 392 Πακτωλὸν εὔχρυσον. **pependit** ut **suspensus** ad crucem refertur. Polyb. viii. 23 Ἔδοξε δ' οὖν πρῶτον μὲν ἀκρωτηριάσαι τὸν ταλαίπωρον, μετὰ δὲ ταῦτα τὴν κεφαλὴν ἀποτεμόντας αὐτοῦ καὶ καταῤῥάψαντας εἰς ὄνειον ἀσκὸν ἀνασταυρῶσαι τὸ σῶμα. **301–304.** Pyrrhos duos, alterum regem Epiri, alterum filium Achillis, ut hic Ouidius coniunxit, sic post eum Pausanias I. 13. 9 Θαῦμα δὲ ποιοῦμαι τῶν καλουμένων Αἰακιδῶν αὐτοῖς κατὰ τὰ αὐτὰ ἐκ τοῦ θεοῦ συμβῆναι τὴν τελευτήν. εἴγε Ἀχιλλέα μὲν Ὅμηρος ὑπὸ Ἀλεξάνδρου φησὶ τοῦ Πριάμου καὶ Ἀπόλλωνος ἀπολέσθαι· Πύῤῥον δὲ τὸν Ἀχιλλέως ἡ Πυθία προσέταξεν ἀποκτεῖναι Δελφοῖς· τῷ δὲ Αἰακίδου συνέβη τὰ ἐς τὴν τελευτὴν οἷα Ἀργεῖοί τε λέγουσι καὶ Λευκέας ἐποίησε. **301. Achilliden** Pyrrhum Epirotarum regem qui uicesimus tertius ab Achille fuit, teste Eusebio Chron. I. p. 234 Schöne. **Cognato nomine** Pyrrhi filii Achillis. Her. 8. 3 *Pyrrhus Achillides animosus imagine patris.* Plutarchus Pyrrh. 1 Molossorum regnum ab hoc repetit, Χρόνῳ δὲ ὕστερον Νεοπτόλεμος ὁ Ἀχιλλέως λαὸν ἀγαγὼν αὐτός τε τὴν χώραν κατέσχε καὶ διαδοχὴν βασιλέων ἀφ' αὐτοῦ κατέλιπε, Πυῤῥίδας ἐπικαλουμένους. Saluagn. de nomine *Aeacidae* interpretatus est, quo et pater Pyrrhi usus et ipse Pyrrhus nonnumquam ut in oraculo illo *Aio te Aeacida* celebratus * fuerit. Sed **Achilliden** melius ex solito *Pyrrhi* cognomine quam ex inusitato *Aeacidae* explicaris. Qui **cognato nomine** ad *Achillen* referunt (cf. Plut. Pyrrh. I), nimis mihi uidentur ταυτολογεῖν; nec uero Pyrrhus Epirotes Achillis **nomine** h.e. quod stirpem ab Achille duceret **clarus** erat, sed tantum gloriabatur. **302. Opprimat** ui subita occidat. M. xii. 283 *saxea moles Oppressit spatio stantem propiore Cometen.* **Tegula** Paus. i. 13. 7 Ἐνταῦθα (Argis in quam urbem cum obsessis inruerat) ὁ Πύῤῥος ἐμονώθη καὶ τιτρώσκεται τὴν κεφαλήν. κεράμῳ δὲ βληθέντα ὑπὸ γυναικὸς τεθνάναι φασι Πύῤῥον. Ἀργεῖοι δὲ οὐ γυναῖκα τὴν ἀποκτείνασαν, Δήμητρα δέ φασιν εἶναι γυναικὶ εἰκασμένην. (Constant. Fanens.) **303. Pyrrhi** Neoptolemi, filii Achillis. **304. Sparsa** Hyg. 123 qui locum hunc respexit, ut docuit Mauricius Schmidtius Praef. p. xxxi. *Neoptolemus Achillis et Deidamiae filius ex Andromacha Eetionis filia captiua procreauit Amphialum. sed postquam audiuit Hermionen sponsam suam Oresti esse datam in coniugium, Lacedaemonem uenit et a Menelao sponsam suam petit. cui ille fidem suam infirmare noluit Hermionenque ab Oreste abduxit et Neoptolemo dedit. Orestes iniuria accepta Neoptolemum Delphis sacrificantem occidit et Hermionen recuperauit: cuius ossa per fines Ambraciae sparsa sunt, quae est in Epiri regionibus.* **305. Nataque ut Aeacidae.** Primus Laur. Abstemius Annot. Var. iii interpretatus est de Deidamia siue Laodamia, quam is ex Iustin. xxviii. 1 et 3 filiam Alexandri regis Epirotarum, neptem Pyrrhi Magni habuit, plerique collato loco Iustini xxviii. 3 *cum ex gente regia sola Nereis uirgo cum Laodamia sorore superesset, Nereis nubit Geloni Siciliae tyranni filio, Laodamia autem cum in aram Dianae confugisset concursu populi interficitur* cum Polyb. vii. 4. 5, Paus. vi. 12. 3 filiam ipsius Pyrrhi Magni faciunt. **Aeacidae** potest id quidem de Alexandro intelligi tamquam ex Aeacidarum stirpe orto (Plut. Pyrrh. I. Paus. I. 13. 3 et 9) potest et de Pyrrho minore: melius tamen de Pyrrho Magno

* Sic in epigr. ap. Paus. I. 13. 3 Αἰχμηταὶ καὶ νῦν καὶ πάρος Αἰακίδαι de uictoria quam Pyrrhus de Gallis reportauerat: sed in loco Pausaniae i. 13. 9 quem Saluagnius attulit Pyrrhus non Aeacides, sed ὁ Αἰακίδου dicitur, etsi ibidem inter τοὺς καλουμένους Αἰακίδας numeratur.

ut in noto illo *Aio te Aeacida Romanos uincere posse* de Diuin. ii. 56. 116, cf. Off. i. 12. 38 *Pyrrhi quidem de captiuis reddendis illa praeclara Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis* κ.τ.λ. *Regalis sane et digna Aeacidarum genere sententia.* **iaculis moriaris adactis.** Populi credo, qui teste Iustino concurrerunt ad necem Laodamiae. Quamquam et hic et Polyaenus percussorem Milonem addunt. Polyaen. viii. 52 Δηϊδάμεια Πύῤῥου θυγάτηρ Ἀμβρακίαν καταλαβομένη, τιμωρῆσαι Πτολεμαίῳ δολοφονήθεντι προελομένη, πρεσβευσαμένων Ἠπειρωτῶν τὸν πόλεμον κατέθετο ἐπὶ τῷ τὸν κλῆρον καὶ τὰς τιμὰς τῶν προγόνων ἔχειν. καὶ λαβοῦσα πίστεις ἐξηπατήθη· συνταξάμενοι γὰρ τῶν Ἠπειρωτῶν τινες Νέστορα τῶν Ἀλεξάνδρου σωματοφυλάκων ἀναιρήσοντα αὐτὴν εἰσέπεμψαν. ὁ δὲ κάτω νεύσασαν αἰδεσθεὶς καὶ καταπλαγεὶς ἀνέστρεψεν. Ἡ δὲ κατέφυγεν ἐς τὸ ἱερὸν τῆς Ἡγεμόνης Ἀρτέμιδος· Μίλων δὲ αἰτίαν ἔχων ὡς τὴν αὐτοῦ μητέρα Φιλωτέραν ἀποκτείνας, ὥρμησεν ἐπ' αὐτὴν ὡπλισμένος. Ἡ δὲ ἀνεβόησεν· Ὁ μητροφόντης ἐπὶ φόνῳ πράσσει φόνον. Τοῦτο μόνον αὐτὴν ἐκβοήσασαν ὁ Μίλων ἀπέκτεινεν ἐν τῷ τεμένει τῆς θεοῦ. **306. Cereri.** Hinc colligunt Laodamiam in templo Cereris, non Dianae, interfectam Ouidium putasse: **dissimulare** ad Eleusinia referunt, quae cum arcana et occulta essent, longe distabant ab isto nefario ritu propter infamiam patrantium celebri ac uulgato, (sic Merkelius), aut ad mortem Pyrrhi Argis quam ipsa Ceres sub anus latens specie credebatur effecisse (Paus. i. 13. 7, sic Const. Fanensis). Atqui satis factum erit disticho, si fingas Cererem inductam esse non quod in eius templo necata Laodamia fuerit, sed tamquam irata Pyrrho, qui Proserpinae templum uiolauerat (Dionys. Ant. Rom. Exc. lib. xx. 9 Kiessling) non ipsum solum sua manu interfecerit, sed filiam quoque eius in templo deorum percussoribus obiecerit. **Sacrum** εἰρωνικῶς ut M. xiii. 460 allatum a Merkelio. *Scilicet aut ulli seruire Polyxena uellem, Aut per tale sacrum numen placabitis ullum.* Sed cum uix satis sic omnia expediantur, aliam interpretationem quattuor uersuum 305–308 in Excursu proposui. **307. nepos** Pyrrhus, Pyrrhi Magni ex filio Alexandro et filia Olympiade nepos, qui cum Tigride amica sua ueneno extinctus per Olympiadem creditur a Saluagnio. Athen. 589. Πύῤῥου τοῦ Ἠπειρωτῶν βασιλέως, ὃς ἦν τρίτος ἀπὸ Πύῤῥου τοῦ ἐπ' Ἰταλίαν στρατεύσαντος, ἐρωμένη ἦν Τίγρις ἡ Λευκαδία· ἣν Ὀλυμπιὰς ἡ τοῦ νεανίσκου μήτηρ φαρμάκοις ἀπέκτεινε. Pyrrhum immature obiisse docet Iustinus xxviii. 3 *Iam Olympias filiis regna tradiderat, et in locum Pyrrhi, fratris defuncti Ptolemaeus successerat*, post quae statim narrat Laodamiae (Deidamiae) caedem, ut haec ex communi fonte uideatur atque Ouidius duxisse. **dicti modo regis** Pyrrhi Magni, ad proxime praecedentia referendum ut u. 557. **308. Cantharidum**, quae uocantur θανάσιμοι a Plutarcho de Aud. Poet. 5. *Cantharidas sumpsisse* de semet uenenante Cic. Fam. ix. 21. 3. *Thessalidum* quod habent alii codd. ad magas seu φαρμακευτρίας refertur. **309, 310.** Scholiasta de Leucone rege Pontico intelligit, qui cum Spartacon fratrem occidisset, uel uxorem eius amans, uel quod uxorem suam is peteret, ipse ab hac occisus sit: unde **pia adultera** dicitur. Sed nihil huiusmodi traditum est de Leucone: itaque suspicor significari Leuconem illum quem mater Themisto, uxor Athamantis, per errorem occidit. **309. pia.** Allusit, credo, ad nomen Themistonis. Nam ea fecit quidem ἀθέμιστον facinus, dum filios suos occidit, et tamen οὐκ ἀθεμίστια ᾔδη quae imprudens occideret. **adultera** Themisto dicitur, quia prior coniux Athamantis Ino nondum mortua erat cum is Themistonem duxerat. Videtur hic Euripidem secutus, in Inone tragoedia: cuius argumentum sic enarrat Hyginus 4 *Athamas in Thessalia rex cum Inonem uxorem, ex qua duos filios* [*procreauerat*], *perisse putaret, duxit Nymphae filiam Themistonem uxorem et ex ea geminos filios procreauit. Postea resciit Inonem in Parnasso esse, quae bacchationis caussa eo peruenisse(t), misitque quae eam adducerent, quam adductam celauit. Resciit Themisto eam inuentam esse, sed quae esset*

nesciebat. coepit uelle filios eius necare. rei consciam, quam captiuam esse credebat, ipsam Inonem sumpsit, et ei dixit ut filios suos candidis uestimentis operiret, Inonis filios nigris. Ino suos candidis, Themistonis pullis operuit. tunc Themisto decepta suos filios occidit. id ubi resciit ipsa se necauit. **310. Leucon.** Sic dictus est regum Bospori siue Panticapaei serie quintus, Satyri filius, pater Spartoci iii. (Clinton F. H. T. 2. cap. 13, Grote Hist. of Greece xii. p. 648). Regnauit annos 40 (393–353 B.C.), Diod. xiv. 93, xvi. 31, et senex sceptrum tradidit filio. Hunc Athenienses ciuitate donauerunt propter curam qua frumentum ex Bosporo Athenas transmittendum susceperat: cuius rei monumentum extat in Piraeo reperta inscriptio (Kumanudes in Athenaeo T. vi. p. 152, A. Schaefer in Mus. Rhen. xxxiii p. 419) ubi Spartocus et Paerisades Leuconis filii laudantur et coronantur, ut ipse antea cum patre Satyro fuerat. Leuconem illustrem fuisse docet non solum crebra commemoratio Dem. Lept. 467–469, Strab. 301, 310, 311, Polyaen. v. 44, vi. 9, Plut. Mor. 1043, Athen. 257, Ael. V. H. vi. 13, Aen. Tact. v, sed quod cum Idanthyrso Scytha coniungitur a Chrysippo ap. Plut. 1043; acrem in delinquentes nec tamen crudelem testantur Aen. Tacticus v, Athenaeus 257: bonum ex Strabonis uerbis elicias 310 ἐκαλοῦντο δὲ τύραννοι, καίπερ οἱ πλείους ἐπιεικεῖς γεγονότες ἀρξάμενοι ἀπὸ Παρισάδου καὶ Λεύκωνος et Dionis Orat. ii. p. 101 Reiske, quem Clintonus citauit, τὸν δέ γε ἀνδρεῖον καὶ φιλάνθρωπον καὶ τοῖς ὑπηκόοις εὔνουν . . . τῆς ἀρετῆς (ὁ Ζεὺς) ἀγάμενος, ὡς τὸ πολὺ μὲν ἄγει πρὸς γῆρας, καθάπερ ἀκούομεν Κῦρόν τε καὶ Δηϊόκην τὸν Μῆδον καὶ Ἀγάθυρσον τὸν Σκύθην καὶ Λεύκωνα. Talis qui fuit, et senex et felix mortuus est, uix cum fratris uxore adulterium facere, uel ab hac necari poterat, ut nulla tantae περιπετείας narratio extiterit. Hinc *Leuconem* potius intelligo eum qui ex quattuor filiis Athamantis et Themistonis fuit, testibus Herodoro ap. Schol. Ap. R. ii. 1144, Apollodoro i. 9. 2, Tzetza ad Lyc. 21. Non multum moror quod filiorum nomina quos Themisto occidit, Plinthius et Orchomenus sunt ap. Hygin. 239. Vide quae ad Hyg. 1 Munckerus enotauit. **311. carissima corpora** uxoris et concubinarum. Athenaeus 529 ex Ctesia narrat Sardanapallum periisse πυρὰν νήσαντα ὕψος τεσσάρων πλέθρων, ἐφ' ἧς ἐπέθηκε χρυσᾶς κλίνας ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα καὶ ἴσας τραπέζας καὶ ταύτας χρυσᾶς. ἐποίησε δὲ ἐν τῇ πυρᾷ καὶ οἴκημα ἑκατόμποδον ἐκ ξύλων, κἀνταῦθα κλίνας ὑπεστόρεσε καὶ κατεκλίθη ἐνταῦθα αὐτός τε καὶ μετὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ καὶ αἱ παλλακίδες ἐν ταῖς ἄλλαις κλίναις. (Saluagn.) **312. Sardanapallus.** Athen. 529 Σαρδανάπαλλος ὃν οἱ μὲν Ἀνακυνδαράξεω λέγουσιν υἱόν, οἱ δὲ Ἀναβαξάρου. **313. Libyci** Iouis Ammonis. **uiolare** ἐμπρῆσαι Herod. iii. 25. **parantes** milites missos a Cambyse rege Persarum. **314. Acta noto** cum inter Oasin et Ammonios medii essent, λέγεται . . . ἄριστον αἱρεομένοισι αὐτέοισι ἐπιπνεῦσαι νότον μέγαν τε καὶ ἐξαίσιον, φορέοντα δὲ θῖνας τῆς ψάμμου καταχῶσαι σφέας καὶ τρόπῳ τοιούτῳ ἀφανισθῆναι. Herod. iii. 26 (Const. Fan.) **315. necatorum Darei fraude.** Val. Maximus, unde sua duxit Scholiasta*, haec dicit ix. 2. 6 Extern. *Ochus autem qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis iureiurando obstrictus, ne quem ex coniuratione, quae septem Magos cum eo oppresserat, aut ueneno aut ferro aut ulla ui aut inopia alimentorum necaret, crudeliorem mortis rationem excogitauit, qua onerosos sibi non perrupto religionis uinculo tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere compleuit, suppositoque tigno prominente, benigne cibo et potione exceptos in eo collocabat; e quo somno sopiti, in illam insidiosam congeriem decidebant.* Quae coniuratio ista fuerit, nescitur; uidetur per errorem ducta ex Herod. iii. 70 sqq. ubi Darius I cum sex aliis Magos occupat trucidatque. Ctesias quattuor commemorat hac

* Nescio quo errore hanc historiam in apparatu ficticiam dixi. Ficticia non est, sed confusa.

morte sed palam necatos, Secundianum, Arsiten cum Artyphio, Pissuthnen (Pers. 48, 51, 52) quos narrat Darium Ochum εἰς τὴν σποδὸν ἐμβαλεῖν. Similiter ap. Herod. ii. 100 Nitocris αὐτήν μιν ῥίψαι ἐς οἴκημα σποδοῦ πλέον et in libro Maccabaeorum ii. 13. 5 Menelaus in turrem plenam cinere coniectus dicitur. **Secundi** Nothi siue Ochi. **316. subsidens** fortasse explicandum ex Macc. ii. 13. 5 Ἔστι δὲ ἐν τῷ τόπῳ πύργος πεντήκοντα πηχῶν πλήρης σποδοῦ. οὗτος δὲ ὄργανον εἶχε περιφερὲς πάντοθεν ἀπόκρημνον εἰς τὴν σποδόν. Ἐνταῦθα τὸν ἱεροσυλίας ἔνοχον ὄντα ἤ καὶ τινων ἄλλων ὑπεροχὴν πεποιημένον ἅπαντες προσωθοῦσιν εἰς ὄλεθρον. Cum reus in cineres deiectus esset, machina quadam hi uersabantur, donec subsidentibus qui summi fuerant, ipse etiam obrutus et suffocatus est. Viuos uel calidos cineres fuisse censet C. L. Grimm ad loc. **deuoret** utpote minutatim consumpta, sidente paulatim cum cineribus corpore. **317. oliuifera** Stat. Theb. iv. 50 *oliuiferae Sicyonis Culta.* **Sicyone profecto** Schol. Neoclem dicit quem eundem ac Nicoclem fuisse liquet ex Suida s. u. Φιλοποίμην. Hic cum Sicyonis tyrannidem interfecto Pasea occupasset, ab Arato coactus est per cuniculos ex urbe effugere B.C. 252–1 (Freeman Hist. of Federal Government p. 360, Plut. Arat. 3–9). Cum uero nihil de huius morte tradat Plutarchus, sed tantum domum ipsius incensam, tyrannorum res in commune cessisse, suspicor intelligendum esse aut (1) *Neophronem* tragoedum Sicyonium, quem Suidas tradit παιδαγωγοὺς καὶ οἰκετῶν βάσανον inuenisse, familiarem autem Alexandri ab eo una cum amico Callisthene tormentis interemptum fuisse. Hunc idem Suidas s. u. Καλλισθένης Nearchum appellat. Ibi quae de Callisthene habet Suid. ὑπὸ φθειρῶν ὑπερβλύσεως καὶ ἐκβράσεως τὸν βίον καταστρέφει, bene in mortem quadrant **frigoris** ac **famis**, qualem describit Ouidius. aut (2) quod ratus est Ludouicus Campbell, *Adrastum.* qui Sicyone ἐμβασίλευεν Il. ii. 572 ibique tamquam heros colebatur Herod. v. 67. Cuius infortunia (πάθεα) cum Sicyonii tragicis choris celebrasse dicantur ab eodem Herodoto vi. 8., cf. Bentleii Dissert. de Phal. pp. 332, 339, ed. Dyce, merito cum Sicyonis mentione coniungendum erat id quod in his choris non minimum dictu fuit, mors Adrasti. De qua Pausanias sic tradit i. 43 αἴτια οἱ τοῦ θανάτου γῆρας καὶ τὴν Αἰγιαλέως γενέσθαι τελευτήν: cf. Stat. Theb. viii. 262 *aeger senio.* Propius tamen ad mortem accedit *frigoris famisque* qualis hic describitur, historia Demetrii Poliorcetis, quo Ouidii distichon primus reuocaui. Nam (3) Demetrius Σικυωνίους ἔπεισεν οὗ νῦν οἰκοῦσι μετοικίσασθαι· τῷ δὲ τόπῳ καὶ τοὔνομα τὴν πόλιν συμμεταβαλοῦσαν ἀντὶ Σικυῶνος Δημητριάδα προσηγόρευσεν. (Plut. Dem. 25.) Itaque **a Sicyone profecto** h. e. a Demetriade quasi per aenigma nomen uiri declarat. Non minus illustrat alterum u. distichi **Sit frigus mortis causa famesque tuae** sequens historia Demetrii, postquam a regno Macedonum pulsus μορφὴν ἀμείψας ἐκ θεοῦ βροτησίαν in Asiam profugit, ibique contra Lysimachum ac Seleucum cum exercitu belligerans multis mensibus fame ac frigore, postremo etiam morbo conflictatus est. Plut. Dem. 46 Ἐπισιτισμοῦ δὲ καὶ προνομῶν εἰργόμενος ἠπορεῖτο. ἅμα δὲ μᾶλλον ὁ λιμὸς ἐπέτεινε. 47 Τέλος δὲ καὶ νόσου τῷ λιμῷ συνεπιτιθεμένης, ὥσπερ εἴωθεν, ἐπὶ βρώσεις ἀναγκαίας τρεπομένων, τοὺς πάντας οὐκ ἐλασσόνας ὀκτακισχιλίων ἀποβαλὼν ἀνῆγεν ὀπίσω τοὺς λοιπούς. Mox adeunte hieme coactus est Seleucum rogare ut exercitum suum sustentaret neue se inopem nudumque hostibus obiectaret (47 fin.) Tum morbo per xl dies confectus (48 fin.), ad ultimum carens etiam unius diei cibariis, Seleuco se tradidit, postquam uoluntariam mortem frustra expertus est (49). Hos Demetrii casus, dignos sane qui tragicis Menelai Bacchi Oedipodis περιπετείαις compararentur (Plut. Dem. 45, 46) Ouidium credo ita adhibuisse ut Demetrium fame ac frigore periisse fingeret: etsi reuera tribus annis superuixit, et in Syria Chersoneso captiuus otio

ac uino absumptus est (Plut. Dem. 52 fin.) **319. Atarnites.** Ἀταρνείτης Callim. Ep. i. 1 ex Atarneo Mysiae. Herod. i. 160 τοῦ Ἀταρνέος τούτου ἐστὶ χῶρος τῆς Μυσίης Λέσβου ἀντίος. Schol. et plerique dici credunt Hermian,* Atarnei et Assi tyrannum, aequalem et amicum Aristotelis, qui apud eum in Atarneo commoratus est eiusque duxit filiam siue ἀδελφιδῆν Pythiada. (Diog. L. v. 3, Strab. 610, Suid. s. u. Ἀριστοτέλης et Ἑρμίας.) De morte eius Diod. xvi. 52. 2 Ἐστρατεύσατο δ' ἐπὶ πρῶτον Ἑρμίαν τὸν Ἀταρνέων τύραννον ἀφεστηκότα τοῦ βασιλέως καὶ πολλῶν ὀχυρωμάτων καὶ πόλεων κυριεύοντα. Ἐπαγγειλάμενος δὲ αὐτῷ πείσειν τὸν βασιλέα καὶ τῶν ἐγκλημάτων ἀπολῦσαι, συνῆλθεν εἰς λόγους καὶ παρακρουσάμενος αὐτὸν συνέλαβε. Paulo aliter Strabo 610 qui dicit a Memnone Rhodio specie amicitiae inuitatum ibi correptum fuisse et ad regem Persarum missum suspendio perisse (κἀκεῖ κρεμασθεὶς ἀπώλετο): cuius meminit Aristoteles Oecon. ii. 29 et in epig. ap. Diog. L. v. 6 statuae eius Delphis insculpto Τόνδε ποτ' οὐχ ὁσίως παραβὰς μακάρων θέμιν ἁγνὴν Ἔκτεινεν Περσῶν τοξοφόρων βασιλεύς, Οὐ φανερῶς λόγχῃ φονίοις ἐν ἀγῶσι κρατήσας, Ἀλλ' ἀνδρὸς πίστει χρησάμενος δολίου. Eundem Hermian hymno uel paeane celebrauit Aristoteles Ἀρετὰ πολύμοχθε γένει βροτείῳ, in quo Ἀταρνέος ἔντροφος dicitur, atque etiam sacrificio colere creditus est Athen. 697: quam ob rem impietatis insimulatus est a Demophilo. Vide Bergk. Poet. Lyr. pp. 664, 676, Hermen a. 1879, p. 469. Sed cum Hermian insutum ferae pelle nemo tradat, Ianus Parrhasius locum de Pactya Lydo intelligit quem Persis ἐξέδοσαν οἱ Χῖοι ἐπὶ τῷ Ἀταρνέϊ μισθῷ Herod. i. 160. Cf. Plut. de Herod. Malign. 20. At, quamquam Atarnites ager post hoc facinus uelut deuotus nec fruges nec πέμματα in sacrificia praebebat, uix poterat *Atarnites* is dici cuius uitae Atarneus pretium fuit. Atque ipse Strabo dicit 616 Ἀταρνεύς ἐστι τὸ τοῦ Ἑρμίου τυραννεῖον, ut quasi iure suo Atarnites hic dicatur. **insutus** Val. Max. ix. 2. 11 *Sicut illi barbari, quos ferunt mactatarum pecudum intestinis et uisceribus egestis homines inserere, ita ut capitibus tantummodo emineant ... donec intus putrefacti laniatui sint animalibus quae tabidis in corporibus nasci solent.* (Micyllus.) Quamquam poterat in pellem sic insui ut Encolpion et Gitona Eumolpus uolebat *in duas pelles conicere uinctosque loris inter uestimenta pro sarcinis habere* Petron. S. 102. **320. dominum** δεσπότην quo nomine appellabantur reges Persarum (Saluagn.). **321. Inque tuo thalamo.** Alexander, tyrannus Pherarum in Thessalia (B.C. 369–35$\frac{8}{7}$, Clinton, F. H. ii. c. 15) cum Thebes uxoris fratres Tisiphonum Lycophrona Timolaum necare destinasset, Θήβη τὸ βούλευμα μαθοῦσα, τοῖς μὲν ἀδελφοῖς ἐγχειρίδια δοῦσα παρασκευάζεσθαι πρὸς τὴν σφαγὴν παρεκάλει. οἴνῳ δὲ πολλῷ Ἀλέξανδρον βαπτίσασα καὶ κατευνάσασα ἐκπέμπει τοὺς τοῦ θαλάμου φύλακας, προφάσει ὡς λουτροῖς χρησομένη καὶ τοὺς ἀδελφοὺς ἐπὶ τὸ ἔργον ἐκάλει· οἱ δὲ ἀπεδειλίων καὶ μάλιστα αὐτῶν ὁ νεώτατος. ἡ δὲ ἄλλα τε διαπειλησαμένη καὶ ὡς τὸν Ἀλέξανδρον αὐτίκα ἀνεγερεῖ καὶ καταγορεύσει αὐτῶν τὸν φόνον, θαρρεῖν αὐτοὺς ἐβιάσατο· καὶ κτείνουσι κοιμώμενον τὸν Ἀλέξανδρον. Conon. Narrat. 50. **323. Larisaeus Aleuas.** Buttmanno (Abhandl. d. Berlin. Acad. 1823, p. 203) creditur is esse quem Theocritus ἄνακτα Ἀλεύαν dicit xvi. 34, Scholiasta uero Ἀλεύαν τὸν Σίμου. Hic Aleuas aequalis Simonidae fuit et ab eo celebratus est: ab Euphorione autem peculiari libello commemoratus, teste schol. Theoc. Larisae (Plat. Men. 70, Arist. Pol. v. 6. 13) sedem posuerunt Aleuadae, ut horum propinqui Scopadae Crannone, fortasse etiam Pharsali. (Buttm.) An huc spectat Diod. xv. 61. 2–5? ubi narrat Aleuadas Larisaeos, Alexandrum Pheraeum tyrannide depellere uolentes, Alexandrum Macedoniae regem in Larisam introduxisse; quod cum fecissent, hunc urbem occupasse praeter acropolin. A quo si Aleuadarum aliquis interfectus est, is

* Photius in Lex. Hermian τὸν εὐνοῦχον τὸν τρίπρατον uocat, simili contemptu quo Ouidius dicit *ad* dominum *ferare tuum.*

uulnere suo non fidos socios experiri dicendus erat. An per *fidos* significat πιστούς? quo nomine in Thessalis, quorum nota perfidia (ἄπιστα Θεσσαλῶν Eur. fr. 426 Nauck), Aleuas consiliarios suos uel etiam satellites (δορυφόρους) uocaturus erat. Plat. Crit. 117 D Οἰκήσεις ἦσαν τῷ πλήθει τῶν δορυφόρων. τοῖς δὲ πιστοτέροις ἐν τῷ σμικροτέρῳ τροχῷ καὶ πρὸς τῆς ἀκροπόλεως μᾶλλον ὄντι διετέτακτο ἡ φρουρά· τοῖς δὲ πάντων διαφέρουσι πρὸς πίστιν ἐντὸς τῆς ἀκροπόλεως περὶ τοὺς βασιλέας αὐτοὺς ἦσαν οἰκήσεις δεδομέναι. **325. Vtque †Milo.** Incerta hic omnia. Si uere scriptum est in plerisque MSS *Pisa*, possis de Pantaleone interpretari, legendo *Vt Patalon* (Merk.) uel, quod ipse conieci, *Vt Pteleon* (*Teleon*), cf. Apollod. iii. 15, 1. Pantaleon, rex Pisae, dux suorum contra Eleos bello Messeniaco secundo B.C. 672 (Strab. 362), postea Ol. 34, B.C. 644, ludorum Olympicorum, exturbatis Eleis, celebrator (Paus. vi. 22. 2) ab Heraclide Pontico fr. vi. dicitur ὑβριστὴς καὶ χαλεπός. οὗτος πρέσβεις πρὸς αὐτὸν ἐλθόντας ἐκτεμὼν ἠνάγκασε καταφαγεῖν τοὺς ὄρχεις. Cf. Paus. vi. 21. 1, Paulus s. u. *Pisatilem*. Sed hic non ui obiit, Athen. 616. Itaque de Etrusca Pisa potius locum explicarim. Nam et Etrusci tyranni commemorantur Mezentius Gyges alii, et *amari uitae pariter ac mortis tortores* dicuntur a Val. Max. ix. 2. 9, et ipsa uox *tyranni* a *Tyrrhenis* ducta habetur Et. Gud. 537, cf. Etym. M. 771; et Agylla, urbs Mezentii, cum Pisa coniungitur a Lycophrone 1241. Vide Excursum. **326. occultas aquas** plerique ad Alpheum referunt qui saepius sub terra mergitur (Strab. 343, Paus. viii. 54. 2 ὁ Ἀλφεῖος ἀφανίζεσθαι κατὰ γῆς ἐθέλει πολλάκις καὶ αὖθις ἀναφαίνεσθαι). Potest tamen de cisterna dici uel aqua sub terram per artem ducta atque occultata. Polyaen. vi. 13 κρυπτὸν ὑπόνομον εὗρον ἄγοντα ναματιαῖον ὕδωρ πολύ. Val. Max. vi. 3. 1 fin. *de robore praecipitatos* quosdam dicit, ut opinor in puteum uel cisternam. Huiusmodi aquarum receptacula γεργύρας siue γοργύρας Graeci uocabant. Hesych. γοργύρα· ὑπόνομος δι' οὗ τὰ ὕδατα ὑπεξῄει. Etym. M. γόργυρον δεσμωτήριον. γοργυρὰ ὑπόνομος βορβορώδης. **327. Aphidantum Phylacesia regna tenentem** Lycaonem regem Tegeae, qui cum Iouem hospitem accepisset, Arcadis cuiusdam filium iugulauit et huius uisceribus deum inuitauit: quam ob rem Iuppiter mensam euertit, Lycaonem cum filiis fulmine necauit. Apollod. iii. 8. 1, eademque fere Hyg. 176. **Aphidantum** Ἀφειδάντων Paus. viii. 45. 1 Τεγεᾶται δὲ ἐπὶ μὲν Τεγεάτου τοῦ Λυκάονος τῇ χώρᾳ φασὶν ἀπ' αὐτοῦ γενέσθαι μόνῃ τὸ ὄνομα, τοῖς δὲ ἀνθρώποις κατὰ δήμους εἶναι τὰς οἰκήσεις, Γαρεάτας καὶ Φυλακεῖς καὶ Καρυάτας τε καὶ Κορυθεῖς, ἔτι δὲ Πωταχίδας καὶ Οἰάτας Μανθυρεῖς τε καὶ Ἐχευήθεις· ἐπὶ δὲ Ἀφείδαντος βασιλεύοντος καὶ ἔνατός σφισι δῆμος προσεγένετο Ἀφείδαντες. viii. 4. 2. Ἀφείδας δὲ Τεγέαν καὶ τὴν προσεχῆ ταύτης ἔλαχεν· ἐπὶ τούτῳ δὲ καὶ ποιηταὶ καλοῦσιν Ἀφειδάντειον κλῆρον τὴν Τεγέαν. Ap. R. i. 162. Οἳ Τεγέην καὶ κλῆρον Ἀφειδάντειον ἔναιον ubi Schol. Ἀφείδας ὁ Ἀρκάδος, ἀρχαῖος ἥρως, ἐβασίλευσε Τεγέας. Cf. Meinekii Anal. Alex. p. 160. Nescio tamen an non praestet *Phialesia*. Phialus siue Phigalus aut Lycaonis filius aut Arcadiae autochthon habitus est Paus. viii. 39. 2. *Adimantum* quod habent plerique codices a nullo dum explicatum est. **329. Amastriacis.** Amastris urbs Ponti. Strab. 544 Ἄμαστρις ὁμώνυμος τῆς συνῳκικυίας πόλις· ἵδρυται δ' ἐπὶ Χεῤῥονήσου λιμένας ἔχουσα τοῦ ἰσθμοῦ ἑκατέρωθεν· ἦν δ' ἡ Ἄμαστρις γυνὴ μὲν Διονυσίου τοῦ Ἡρακλείας τυράννου, θυγάτηρ δ' Ὀξυάθρου, τοῦ Δαρείου ἀδελφοῦ τοῦ κατὰ Ἀλέξανδρον. **Lenaeus** quis sit incertum. Non potest esse *Dionysius* tyrannus Heracleae, maritus Amastris, quem Memnon ap. Photium fr. iv. Muelleri Fr. Hist. Graec. iii. p. 529 tradit imperasse annis 30, adeo adamatum a suis ut Χρηστὸς uocaretur; adeo autem pinguem ut ex lethargo aciculis excitari solitus sit. Burmanno potius adstipulor intelligi Mithridaten Magnum regem Ponti, qui Διόνυσος cognominatus est (App. Mithr. 10, 113), ab Asiaticis autem *Euhius Nysius Bacchus Liber nominatus* (Cic. Flac. xxv. 60). Hic *amisso exercitu, regno expulsus tamen in ultimis terris ab inuicta Cn. Pompeii manu*

Maeote et illis paludibus se defendebat (de leg. Agr. ii. 19. 52). Cf. App. Mithr. 101, 102 *Διώδευεν ἔθνη Σκυθικὰ καὶ πολεμικὰ καὶ ἀλλότρια*, in his Heniochos et Achaeos, donec ad Maeotin peruenit. Inde (App. 107) Panticapaeum urbem in extrema parte Tauricae Chersonesi sitam ex oriente occupauit, atque ibi derelictus a suis mortem sibi adiuuante Bituito quodam Celta consciuit. Poteris et de Philocteta interpretari legendo *Lemnaeus* (Lyc. 227). Nam Philoctetes redux **Amastriacis ab oris** h. e. ab litore Euxini maris quod cum Argonautis inuiserat (Val. Fl. i. 391, iii. 722, Philostr. Iun. Icon. 17) *Lemnaeus* iure suo appellandus erat, ut qui in insulam Lemnon bis appulisset, prius cum Argonautis (Val. Fl. ii), postea cum Grais petentibus Troiam, quo tempore Chrysae aram quaerens et ab angue morsus propter tetrum uulneris odorem ibi destitutus est. Hinc Val. Fl. i. 392 de Philocteta *Bis Lemnon uisure* dicit. **330. Nudus** Phil. 953 *ψιλὸς, οὐκ ἔχων τροφήν.* **Achillea humo** si de Mithr. intelligas, aut explices de *Ἀχιλλέως δρόμῳ* qui nauigantibus a Borysthenis ostio in orientem *paeninsula* est *ad formam gladi in transuersum porrecta exercitatione* Achillis *cognominata* (Plin. iv. 83), Tauricam Chersonesum spectans ex aduerso, aut de *Ἀχιλλείῳ κώμῃ*, quo loco angustissime se contrahit Maeotis ostium (Strab. 494). Poteris etiam latius interpretari de ora Scythica. Iam Alcaeus dixerat fr. 49 Bergk, *Ἀχίλλευ, ὃ τᾶς Σκυθίκας μεδείς.* Si de Philocteta capias, ex scriptura codicum Mutinensis, Holkhamici, Conradi de Mure elicies *Echidnaea* uel *Echinaea* h. e. Lemno, ubi et ipse Philoctetes ab angue morsus est et alii *ὀφιόδηκτοι* a sacerdotibus Hephaesti curabantur (Schol. Il. ii. 725), et noxium genus serpentum *κεγχρίνης* inhabitasse praecipue iuxta Mosychlum dicitur a Nicandro Ther. 463 sqq. **331. uel** opponitur **Vel** 333. Eurydamas, filius Medii, cum Thrasyllum, fratrem Simi Larisaei, occidisset, ab hoc ad currum ligatus et circa tumulum Thrasylli tractus est: quod narrarat Callimachus siue in Ibide (Bentl.) siue in Aetiis (Schneider Callim. ii. p. 627). Schol. Ven. Il. xxii. 397 *Διὰ τί Ἀχιλλεὺς θανόντα σύρει τὸν Ἕκτορα; ὁ δὲ Καλλίμαχός φησιν ὅτι πάτριόν ἐστι Θεσσαλοῖς τοὺς τῶν φιλτάτων φονέας σύρειν περὶ τοὺς τῶν φονευθέντων τάφους· Σίμωνα γάρ φησι Θεσσαλὸν τὸ γένος, Εὐρυδάμαντα τὸν Μειδίου σῦραι* (add. Schneid.) *ἀποκτείναντα Θράσυλλον τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἄρξασθαί τε τοῦ νόμου πρῶτον. τοῦτον γὰρ ἐξάψαι τοῦ δίφρου τὸν φονέα καὶ περὶ τὸν τοῦ τετελευτηκότος τάφον ἕλκειν.* Callimachi uersus de ea re citat Proclus ad Platon. Rep. p. 391 *πάλαι δ' ἔτι Θεσσαλὸς ἀνὴρ Ῥυστάζει φθιμένων ἀμφὶ τάφον φονέας.* (Schneider Callim. l. c.) **ter** toties et Hectorem Achilles raptarat Il. xxiv. 16. **332. Larisaeis.** Demosthenes Neaer. 1382 dicit Neaeram, meretricem famosam, rem habuisse *ἐν Θετταλίᾳ καὶ Μαγνησίᾳ μετὰ Σίμου τοῦ Λαρισαίου καὶ Εὐρυδάμαντος τοῦ Μηδίου*: neque a uero abhorret inimicitiam ortam ex amore. cf. Neaer. 1352. **333. qui** Hector. **Tutatus.** *οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ* Il. vi. 403. **334. lustrauit** dum ab Achille circum Troiae moenia raptatur Il. xxiv. 16, 755. **non diuturna** mox ruitura mortuo Hectore. Il. xxiv. 728 *πρὶν γὰρ πόλις ἥδε κατ' ἄκρης Πέρσεται· ἦ γὰρ ὄλωλας ἐπίσκοπος, ὅστε μιν αὐτὴν Ῥύσκευ, ἔχες δ' ἀλόχους κεδνὰς καὶ νήπια τέκνα*, quae uerba sunt plangentis Andromaches. Eodem modo Betin circa Gazam, quam frustra defenderat contra Alexandrum, cum *per talos spirantis lora traiecta sunt*, *religatum ad currum traxere equi*, *gloriante rege Achillen*, *a quo genus ipse deduceret*, *imitatum se esse poena in hostem capienda.* Curt. iv. 6. **335, 6.** Eadem fabula recurrit 459, 460, uideturque in Callimachi Ibide narrata fuisse, teste Schol. Aesch. Tim. 281. Heraclides *περὶ πολιτειῶν* fr. 3 (Muell. Fragm. Hist. Graec. ii. p. 208) *Ἱππομένης εἷς τῶν Κοδριδῶν λαβὼν ἐπὶ τῇ θυγατρὶ μοιχὸν, ἐκεῖνον μὲν ἀνεῖλεν ὑποζεύξας τῷ ἅρματι, τὴν δὲ ἵππῳ συνέκλεισεν, ἕως ἀπόληται.* **nouum genus poenae** Diodorus viii. 24 *τιμωρίαν ἀνήκεστον καὶ παρηλλαγμένην* eam uocat. **336. Erechthea** Athenis. M. viii. 547,

nisi forte respicitur gens regia unde Limone orta est: et sic sane dicta est *Erechthea domo* F. v. 204. **fertur** quem ad modum Troilus Aen. i. 476 *Fertur equis curruque haeret resupinus inani.* **338. turpe** 'dishonoured' *αἰκισθέν.* **339. Viscera.** Eur. Troad. 90 *αἱ* Καφήρειοί *τ' ἄκραι* Πολλῶν *θανόντων σώμαθ' ἕξουσιν νεκρῶν.* **figat** transfigat. **olim** dum reditus fit a Troia Graiorum. **340. sub** aut ad imminentem Caphareum refertur, aut ad undas quibus cautes teguntur. Prius uidetur significare Seneca Agam. 558–560 *Est humilis unda, scrupeis mendax uadis, Vbi saxa rapidis clusa uerticibus tegit Fallax Caphareus . . . Arx imminet praerupta.* Non est 'at the bottom of the Euboean gulf' uti vertit Henry ad Aen. i. 48. **Euboico.** Caphareus promunturium Euboeae ad meridiem. Mel. ii. 107. Sic Trist. i. 1. 84, v. 7. 35, Sil. xiv. 144. **Graia** Graiorum. **sinu** Tro. 85 *κοῖλον* Εὐβοίας *μυχόν.* **341. ferox raptor** Aiax Oileus qui *a uirgine* (Pallade) *uirgine* (Cassandra) *rapta* (Met. xiv. 468) poenam luit ictus fulmine, mox mersus pelago. **et fulmine et aequore** Sen. Med. 660 *Fulmine et ponto moriens Oileus.* Aen. i. 44, 45. **342. adiuuet ignis aquas** Ag. 650 Συνώμοσαν *γὰρ ὄντες ἔχθιστοι τὸ πρὶν* Πῦρ *καὶ θάλασσα.* Milton P. R. iv. 412 'Fierce rain with lightning mixt, water with fire In ruine reconcild.' **343. uecors agitetur** uecors fiat et agitetur. **344. Vnum qui.** Schol. de Marsya uel Pentheo intellexit: nam Marsyae *cutis est summos direpta per artus, Nec quicquam nisi uulnus erat* (M. vi. 388): Pentheus *trunca ostendit deiectis corpora membris* M. iii. 724. Sed rectius Ianus Parrhasius Epist. 44 interpretatus est de Aiace 'qui ferro dicitur fuisse impenetrabilis praeter sinistrum latus quod obiecto clypeo tegebat, uel ut alii tradunt iugulum.' Rem narrat Pindarus Isthm. v (vi). 35–54, ubi dicit Herculem, a Telamone inuitatum poculis, orasse ut huic ex coniuge Eriboea filius foret, corpore tam impenetrabili (*ἄρρηκτον φυὰν*) quam esset leonis pellis quam ipse gereret. Lyc. 454–459 de Aiace Τοῦ *λύσσαν ἐν ποίμνῃσιν αἰχματηρίαν* Χέαντος, *ὃν* Χάρωνος *ὠμηστοῦ δορὰ* Χαλκῷ *τορητὸν οὐκ ἔτευξεν ἐν μάχῃ,* Μίαν *πρὸς ᾅδην καὶ φθιτοὺς πεπαμένον* Κέλευθον, ubi Tzetzes Αὐξηθέντα *δὲ τῇ λεοντῇ τοῦτον* Ἡρακλῆς *ἐσκέπασε καὶ ταύτην αὐτῷ ἐχαρίσατο· ὑφ' ἧς σκεπόμενος, ὡς ληροῦσιν, ἄτρωτος ἦν, πλὴν μόνου τοῦ τόπου, κατά τινας, τοῦ σκεπομένου πρώην ὑπὸ τοῦ γωρυτοῦ, ὅτε ταύτην ἐφόρει ὁ* Ἡρακλῆς· *ὅτε δὲ ὁ* Αἴας, *ὑπὸ τοῦ σάκους.* Ἄλλοι *δέ φασιν περὶ τὴν κλεῖδα τρῶτον εἶναι τὸν* Αἴαντα. Secundum Aeschylum *ala* tantum uulnus admittebat, teste Schol. Ven. Il. xiv. 404. Vide Lobeckium ad Ai. 834. **uulnus** pro loco uulneris 'a vulnerable point.' Non dïssimilia sunt Prop. ii. 22. 7 *quaerunt sibi uulnus ocelli* h. e. unde uulnerentur, Luc. iv. 764 *oblato uulnere* h. e. data facultate uulnerandi. Sed *uulnus habere* ap. Ouidium alias est uulnerari. **habet** ut 312 de re praeterita cuius extat memoria. Sic *fertur* 336. **345. Dryantiadae** Lycurgo Il. vi. 130 Δρύαντος *υἱὸς κρατερὸς* Λυκόοργος. Idem a Sophocle Antig. 955 uocatur *παῖς ὁ* Δρύαντος Ἠδωνῶν *βασιλεύς.* **Rhodopeia regna**, cf. Her. 2. 113. Aiax et Lycurgus tamquam ob insaniam se ipsi interficientes coniunguntur etiam ab Hygino 242. **346**. Hyg. 132 *Lycurgus Dryantis filius Liberum de regno fugauit. quem cum negaret deum esse uinumque bibisset et ebrius matrem suam uiolare uoluisset, tunc uites excidere est conatus, quod diceret illud malum medicamentum esse, quod mentes immutaret. qui insania ab Libero obiecta uxorem suam et filium interfecit. ipsumque Lycurgum pantheris obiecit* in Rhodope, *qui mons est Thraciae, cuius imperium habuit.* hic traditur unum pedem sibi pro uitibus excidisse. Cf. Seru. ad Aen. iii. 14, Schol. Luc. i. 575, iii. 431. Hinc, quod altero crure amputato altero tantum crepidam gereret, *μονοκρηπῖδα* dictum fuisse putat Salu. in epigrammate Anthologiae xvi. 127 Duebner Τίς *τὸν* Θρήϊκα *τόνδε μονοκρηπῖδα* Λυκοῦργον Χάλκεον Ἠδωνῶν *ταγὸν ἀνεπλάσατο;* Βακχιακὸν *κατὰ πρέμνον ἴδ' ὡς ἀγέρωχα μεμηνὼς* Βριθὺν *ὑπὲρ κεφαλᾶς ἀντέτακεν χάλυβα.* Μανύει

μορφὰ τὸ πάλαι θράσος· ἁ δ' ἀγέρωχος Λύσσα καὶ ἐν χαλκῷ κεῖνο τὸ πικρὸν ἔχει et hoc esse **disparem cultum.** Contra Heynius in Excursu ad Aen. vii. 689 μονοκρηπῖδα sic interpretatus est quasi uno tantum crure ocreato fuerit Lycurgus atque ideo facilius alteri falcem inflixerit. **347. Oetaeo.** Herculi qui in Oeta monte periit. Furorem Herculis non eum intelligo quo correptus Lichan ex Oeta deiecit, sed priorem quo instinctus regiam Thebis tamquam Mycenae essent demolitus est, mox liberos et uxorem Megaram interfecit. Fabulam narrarunt Euripides in Ἡρακλεῖ Μαινομένῳ, Seneca in Hercule Furente. **generoque draconum** Athamanti, cui nupsit Ino filia Cadmi et Harmoniae. Hic *ab Iunone insania obiecta Learchum filium interfecit* Hyg. 2. Fast. iv. 489. **348. Tisamenique patri** Oresti. Paus. ii. 18. 6 Ὀρέστου δὲ ἀποθανόντος ἔσχε Τισάμενος τὴν ἀρχὴν Ἑρμιόνης τῆς Μενελάου καὶ Ὀρέστου παῖς. (Micyllus.) **Callirhoesque uiro.** Alcmaeoni, qui Eriphylae matris interfectae furiis actus ex Argis profugit in Arcadiam et inde ad Acheloum, ubi resipuit et Acheloi filiam Callirhoen duxit Paus. viii. 24. 4, Apollod. iii. 7. 5. Aliam Callirhoen memorat Pausanias vii. 21 (cf. Buecheler Mus. Rhen. a. 1879, p. 347) quam Coresus sacerdos Bacchi cum frustra amaret ac iussu oraculi Dodonaei pro Calydoniis, quibus hic deus diuinum furorem immiserat, ad aram uideret duci ut a se ipso mactaretur, ipse sua manu mori maluit. Sed Ouidium de Alcmaeone loqui patet ex Plauti Capt. iii. 4. 30 ubi Lycurgus Alcmaeon Orestes simili modo coniunguntur. **349. matrona** 'a consort' i. e. uxor adiuncta notione dignitatis sanctitatisque. Her. v. 83 *Non tamen ut . . . Hecubae fuerim dissimulanda nurus. Dignaque sum et cupio fieri* matrona *potentis.* **350. Qua** Aegiale uxore Diomedis. Tzetz. ad Lyc. 610 ὡς Μίμνερμος λέγει, ὑπὸ Διομήδους τρωθεῖσα ἡ Ἀφροδίτη, παρεσκεύασε τὴν Αἰγιάλειαν πολλοῖς μὲν μοιχοῖς μοιχευθῆναι· συγκοιμηθῆναι δὲ καὶ τῷ Ἱππολύτῳ καὶ Κομήτῃ τῷ Σθενέλου υἱῷ. Hinc Lycophron 612 Ὅταν θρασεῖα θουρὰς οἰστρήσῃ κύων Πρὸς λέκτρα. **351. Quaeque.** Ex Polyaen. viii. 57 primus interpretor de Arsinoe Lysimachi, mox Ptolemaei Cerauni, postremo Ptolemaei Philadelphi coniuge, quae ut Seleuci milites fugeret, Ephesi moenia, quo confugerat, destruentes, ancillam regali ueste indutam lecticae indidit, satellitesque circumdedit; quo artificio ancilla oppressa est, Arsinoe effugit. Ἀρσινόη Λυσιμάχου τοῦ ἀνδρος τελευτήσαντος, μεγάλης ταραχῆς οὔσης ἐν Ἐφέσῳ, καὶ τῶν σελευκιζόντων τὰ τείχη καταβαλλόντων καὶ τὰς πύλας ἀνοιγόντων, εἰς μὲν τὸ φορεῖον τὸ βασιλικὸν κατέκλινε θεράπαιναν στολὴν περιθεῖσα βασιλικήν, καὶ περιέστησε πολλοὺς τῶν ὑπασπιστῶν. αὐτὴ δὲ περιβαλομένη ῥάκια καὶ προσωπεῖον ἐρρυπωμένον, καθ' ἑτέραν θύραν ἐξῆλθε μόνη, καὶ δραμοῦσα ἐπὶ τὰς ναῦς ἀπέπλευσε. Μενεκράτης, εἷς τῶν ἡγεμόνων, τῷ φορείῳ προσπεσὼν κατεκέντησε τὴν θεράπαιναν, οἰόμενος Ἀρσινόην φονεύειν. **cum fratre mariti.** Philadelpho, fratre Ptolemaei Cerauni. Nam utrique pater Ptolemaeus Soter, sed huic ex Eurydica, illi ex Berenica. At ipsius Arsinoae frater fuit Philadelphus. Audio; sed nihil hoc ad rem. Nam in eo flagitiosa habetur Arsinoe, non quod fratri nupsit (nam etiam Ceraunus frater fuit) sed quod postquam Cerauno nupserat, cum huius nondum mortui fratre Philadelpho iterum matrimonium fecit. **352. Locris** Arsinoe dicta est etiam a Callimacho in Coma Berenices. Vide me ad Cat. lxvi. 54. **in ancillae dissimulata nece,** 'when she had been disguised in the person of a slaughtered maid-servant,' h. e. postquam per ancillam personata fuerat tamquam esset Arsinoe, et sic sub ficta specie necatae incolumis euaserat. Similis usus ap. Val. Fl. vi. 533 *inque dei latuit terrore Lycaei.* Et **dissimulata** recte dicitur: ancilla enim reginam et simulauit h. e. personauit et dissimulauit h. e. celauit. Menenium in bello ciuili seruus induta erili ueste et lecticam pro eo inscendens sic seruauit App. B. C. iv. 44. Aliam interpr. in Excursu addidi. **353. fideli.** Ag. 606 γυναῖκα πιστὴν

δ' ἐν δόμοις εὕροι μολὼν de Clytaemnestra. **354. Talai gener.** Amphiaraus, uir Eriphylae, filiae Talai regis Argiuorum. Apollod. i. 9. 13. **Tyndarei gener** Agamemnon, uir Clytaemnestrae. **355.** Idem uersus A. A. i. 73. **patruelibus** filiis Aegypti. M. iv. 462 *Molirique suis letum patruelibus ausae Assidue repetunt, quas perdant, Belides undas.* **356. assidua aqua,** 'by constant carriage of water,' aquam assidue ferendo, cum foratis urnis semper exeat. **357. Byblidos.** Hyg. 243 *Byblis Mileti filia propter amorem Cauni fratris ipsa se interfecit.* M. ix. 449 sqq. Parthen. Erot. xi. **Canaces.** Hyg. 243 *Canace Aeoli filia propter amorem Macarei fratris ipsa se interfecit.* Est inter Heroidas epistula Canaces Macareo (xi). **sicut facis.** M. xiii. 741 *Vtque facis, potes his inpune negare.* Pont. ii. 3. 48 *Vtque facis, lapso quam potes affer opem.* Vsitatius fuisset *sicut facit,* sequente *ardeat,* ut M. xiv. 491 *quod facit, oderit omnes Sub Diomede uiros.* Non adstipulor Merkelio **facis** genitiuum existimanti. **358. sit tibi fida** satisfaciat amori quem soror fratri debet, 'and prove that she is true to the love she owes you as a sister only by a crime.' **fida** 'caritatis aeque cognatorum, quam consuetudinis amantium appellatio est. Her. 4. 140; 5. 99.' Merkelius. Fidem suam in Caunum Byblis praestitit, dum *patriam inuisosque parentes Deserit, et profugi sequitur uestigia fratris* M. ix. 638–9, Canace dum fratris Macarei concubitum patitur, paritque infantem, qui ab Aeolo auo statim feris dilaniandus traditur. Her. xi. **359. Pelopea.** Lactantius ad Stat. Theb. i. 694 *Cum responsum accepisset Thyestes aliter malorum remedium inueniri non posse, nisi cum Pelopea filia concubuisset, paruissetque responsis, natus est ex ea Aegisthus Clytaemnestrae adulter, Agamemnonis parricida.* Incestum duplici modo narrat Hyginus 87 et 88. **360. Nyctimene.** Hyg. 204 *Nyctimene Epopei regis Lesbiorum uirgo formosissima dicitur fuisse. hanc Epopeus pater amore incensus compressit: quae pudore tacta siluis occultabatur.* **361. capiti.** Lusit in ambiguo sensu uocabuli. Nam in *capitis* crine stetit *caput* uel salus Pterelai ac Nisi. **362. Pterelae** regis Taphiorum siue Teleboarum, quem filia Comaetho, detonso aureo crine per quem immortalis factus est, occidit, amore incensa Amphitryonis aut, ut alii tradunt, Cephali. Tzetz. ad Lyc. 932. Hanc comam *αἰθὴν* fuisse testatur Eustathius ad Il. i. 197 (Potter). Apollod. ii. 4. 7 *Ἀμφιτρύων ἔχων ἐκ Θορικοῦ τῆς Ἀττικῆς Κέφαλον συμμαχοῦντα . . . τὰς τῶν Ταφίων νήσους ἐπόρθει. ἄχρι μὲν οὖν ἔζη Πτερέλαος, οὐκ ἐδύνατο τὴν Τάφον ἑλεῖν· ὡς δὲ ἡ Πτερελάου θυγάτηρ Κομαιθὼ ἐρασθεῖσα Ἀμφιτρύωνος τὴν χρυσῆν τρίχα τοῦ πατρὸς ἐκ τῆς κεφαλῆς ἐξείλετο, Πτερελάου τελευτήσαντος ἐχειρώσατο τὰς νήσους ἁπάσας.* Hunc Pterelam uocat Plautus Amphit. i. 1. 101. **Nise** quem filia sua Prop. iii. (iv.) 19. 21, 22 *Minoa uenumdata Scylla figura, Tondens purpurea regna paterna coma,* interfecit, ut in Ciri Vergiliana narratum est. **363. Infamemque.** Varro L. L. v. 159 *Exquilis uicus Africus . . . Vicus Cyprius a Cypro . . . Prope hunc* uicus sceleratus *dictus a Tullia Tarquini Superbi uxore quod ibi quom iaceret pater occisus, supra eum carpentum mulio ut inigeret iussit* (Paley ad F. vi. 609). Rem narrant Liu. i. 48, Ouid. F. vi. 587–610. **364. inductis.** F. vi. 608 *Duc, inquam, inuitas ipsa per ora rotas,* quae uerba sunt Tulliae aurigam incitantis. **rotis** carpenti, in quo uehiculo conspirant Varro Liuius Ouidius. **365–370.** Hyg. 84 *Oenomaus Martis et Asteropes Atlantis filiae filius habuit in coniugio Euareten Acrisii filiam, ex qua procreauit Hippodamiam uirginem eximiae formae, quam nulli ideo dabat in coniugium quod sibi responsum fuit a genero mortem caueret. itaque cum complures eam peterent in coniugium, simultatem constituit, se ei daturum qui secum quadrigis certasset uictorque exisset (quod is equos Aquilone uelociores habuit) uictus autem interficeretur. multis interfectis nouissime Pelops Tantali filius cum uenisset et* capita humana super ualuas fixa uidisset eorum qui Hippodamiam in uxorem peti-

erant (365, 6), *paenitere coepit regis crudelitatem timens. itaque Myrtilo aurigae eius persuasit regnumque ei dimidium pollicetur si se adiuuaret. fide data Myrtilus currum iunxit et clauos in rotas non coniecit: itaque equis incitatis,* currum defectum Oenomai equi distraxerunt. (367, 8). *Pelops cum Hippodamia et Myrtilo domum uictor cum rediret cogitauit sibi opprobrium futurum et* Myrtilo fidem praestare noluit eumque in mare praecipitauit, a quo Myrtoum pelagus est appellatum (369–370). **365. iuuenes** proci Hippodamiae. **uestigia** pedes Cat. lxiv. 162, Sen. Thy. 1039 *Rupta fractis cruribus uestigia.* **366. Brachia.** F. i. 557 de Caci antro *Ora super postes affixaque brachia pendent.* **369. Proditor** Myrtilus **saeui tyranni** Oenomai, nam tredecim (Schol. Ap. R. i. 752 ex Pindaro) uel duodecim (Tzetz. ad Lyc. 156) procos iam interfecerat. (Salu.) **370. nomina fecit.** Lyc. 164 de Myrtilo *φερωνύμους ἔδυψε Νηρέως τάφους.* **371. uelocem puellam.** Atalantam filiam Schoenei, *quae uirtute sua cursu uiros superabat* Hyg. 185. **372. Dum** donec tandem. **pomis tribus** Hyg. 185 *Plerosque cum superasset et occidisset nouissime ab Hippomene Megarei et Meropes filio uicta est. hic enim a Venere mala tria insignis formae acceperat, edoctus quis usus in eis esset. qui in ipso certamine iactando puellae impetum alligauit. illa enim dum colligit et ammiratur aurum, declinauit et iuueni uictoriam tradidit,* quae ex M. x. 560–680 Hyginum sumpsisse ostendit Maur. Schmidt. **373. qui.** Dicit *Electos iuuenes simul et decus innuptarum* quos *crudeli peste coactam Androgeoneae poenas exoluere caedis Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro* tradit Catullus lxiv. 76–80. **tecta** 'chambers,' Cat. lxiv. 115. **noui** ut *portentis nouis* Prop. iii. (iv.) 22. 28. **monstri** Cat. lxiv. 101. **374. caecae** cum sub terra esset, atque ideo sine fenestris uel lumine. Varro L. L. ix. 58 *si fenestram non habet, dicitur caecum.* Aen. v. 589 *Parietibus textum caecis iter.* **non redeunda** unde non erat reditus in lucem propter *inextricabilem exitum* Hyg. 40. Cosmas ad Greg. Naz. p. 621 Migne *σπηλαῖον ἀντρῶδες καὶ δύσκολον περὶ τὴν κάθοδον καὶ δυσχερὲς περὶ τὴν ἄνοδον.* **375. Aeacides** Achilles. **uiolentus** Horatius de Achille A. P. 121 *iracundus inexorabilis acer* ubi afferunt Il. xx. 467 *Οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν, οὐδ' ἀγανόφρων, Ἀλλὰ μάλ' ἐμμεμαώς.* **altum** Il. xxiii. 164 *Κηδεμόνες δὲ παρ' αὖθι μένον, καὶ νήεον ὕλην, Ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα.* **376. Corpora** duodecim Troianorum quos Patroclo mactauit. **cum senis altera sena** Il. xxiii. 175 *Δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς Χαλκῷ δηϊόων (ἐνέβαλλε).* **377. obscuri uictos ambagibus oris** quod aenigma soluere non possent. Soph. O. T. 130 *ἡ ποικιλῳδὸς Σφίγξ.* **378. infandae.** Phoen. 807 *Σφιγγὸς . . . Ἅ ποτε Καδμογενῆ τετραβάμοσι χαλαῖς Τείχεσι χριμπτομένα φέρεν αἰθέρος εἰς ἄβατον φῶς Γένναν.* **379–380.** Tzetz. ad Lyc. 987 *Μετὰ δὲ τὴν Ἰλίου πόρθησιν φυγόντων τῶν Τρώων εἰς Ἰταλίαν, Κροτωνιᾶται βοηθήσαντες τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ τούτοις φυγοῦσι Τρωσί, στρατεύουσι κατ' αὐτῶν κατὰ τῆς Σίριδος, καὶ πάντας τοὺς Ἴωνας τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ναῷ καταφυγόντας ἀνεῖλον, μεθ' ὧν συνανεῖλον καὶ τῆς ἱερείας τῆς Ἀθηνᾶς παῖδα, ὀνόματι Λήταρχον, γυναικείαν ἐσθῆτα ἐνδεδυμένον· διὸ ἡ Ἀθηνᾶ ὀργισθεῖσα ἤμυσεν, ὥστε μὴ βλέπειν.* Rem narrant Lycophron 988–992, Iustinus xx. 2 quem in scholiis citaui. **379. Bistoniae.** Et Siris et Lucania communia Italiae cum Thracibus nomina. Steph. B. *Σίρες ἔθνος Θράκης ὑπὲρ τοὺς Βυζαντίους* (Merkel). Heraclid. Pont. fr. xxi in Muelleri Fragm. Hist. Graec. ii. p. 218 *Ἡ Σαμοθράκη τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκαλεῖτο Λευκανία διὰ τὸ λευκὴ εἶναι· ὕστερον δὲ Θρακῶν κατασχόντων Θρακία.* Hinc in Siri Italica templum Thraciae Mineruae condiderant siue ipsi Siritani, siue inquilini Thraces Samothracesue, quemadmodum ap. Lyc. 958 Phoenodamantis filiae in Sicilia dicuntur templum Veneris Zerinthiae h. e. Samothraciae exstruxisse. Alii ad Troianos hanc Mineruae statuam referebant, ut Strabo quem mox citaturus sum. *Bistonius* Ouidio i. q. Thracius Pont. i. 3. 59, iv. 5. 35. **380.** Lyc. 988 *Γλήναις δ' ἄγαλμα ταῖς*

ἀναιμάκτοις μύσει Στυγνὴν Ἀχαιῶν *εἰς* Ἰάονας *βλάβην* Λεῦσσον, *φόνον τ' ἔμφυλον ἀγραύλων λύκων,* Ὅταν *θανὼν λήταρχος ἱερείας σκύλαξ* Πρῶτος *κελαινῷ βωμὸν αἱμάξῃ βρότῳ.* **nunc quoque.** Strab. 264 citatus a Meursio *τῆς δὲ τῶν* Τρώων *κατοικίας* (ad Sirim) *τεκμήριον ποιοῦνται τὸ τῆς* Ἀθηνᾶς *τῆς* Ἰλιάδος *ξόανον ἱδρυμένον αὐτόθι, ὅπερ καταμῦσαι μυθεύουσιν ἀποσπωμένων τῶν ἱκετῶν ὑπὸ* Ἰώνων *τῶν ἑλόντων τὴν πόλιν . . . δείκνυσθαι δὲ καὶ νῦν καταμῦον τὸ ξόανον. ἰταμὸν μὲν οὖν καὶ τὸ οὕτω μυθεύειν, ὥστε μὴ καταμῦσαι φάναι μόνον, καθάπερ καὶ τὸ ἐν* Ἰλίῳ *ἀποστραφῆναι κατὰ τὸν* Κασάνδρας *βιασμόν, ἀλλὰ καὶ καταμῦον δείκνυσθαι.* **tecta** uelamine, ut Minerua, cum in templo eius Neptunus Medusam uitiasset, *castos aegide uultus Texit* M. iv. 798. *Torta* quod habet codex Turonensis aut ad *auersum* (Stat. Theb. xi. 313) deae uultum referes sicut traditum est de Palladio cum Cassandram Aiax uiolaret Strab. 264, aut, quod praefero, ad faciem ira atque odio distortam, quo sensu Cicero Off. i. 36. 131 dicit *uultus mutantur, ora torquentur.* **381. Threicii** Diomedis *Efferus humana qui dape pauit equas* Her. ix. 68. **praesepia** M. ix. 195 *Quid cum Thracis equos humano sanguine pingues Plenaque corporibus laceris praesepia uidi?* **382. dapibus suis** 'the meat of their body.' M. xv. 105 *Corporeasque dapes auidam demersit in aluum:* dapes sunt caro quae comeditur. **383. Therodamanteos.** Therodamas a Scholiasta dicitur rex in Libya fuisse, qui homines leonibus obiecerit: certe uix alius potest esse atque is qui cum Atreo et Diomede tamquam crudelissimus coniungitur Pont. i. 2. 119 *Non tibi* Theromedon *crudusque rogabitur Atreus Quique suis homines pabula fecit equis.* An legendum *Phoenodamanteos?* Schol. Lyc. 952 Kinkel Φοινοδάμας *τις* Τρὼς *συνεβούλευσε τοῖς* Τρωσὶν *ἐκθεῖναι τὴν* Ἡσιόνην *τῷ κήτει, εὐλαβούμενος περὶ τῶν θυγατερῶν αὐτοῦ τῶν τριῶν μὴ αὐτὰς ἐκθῶσι, καὶ ἔπεισεν· ὁ δὲ* Λαομέδων *μηνίων τῷ* Φοινοδάμαντι *ἔδωκε τὰς τρεῖς αὐτοῦ θυγατέρας ναύταις, ἵνα ἐκθῶσιν αὐτὰς ἐν* Σικελίᾳ *θηρίοις βοράν. καὶ τούτου γενομένου κατὰ γνωμὴν* Ἀφροδίτης *ἐσώθησαν. ὧν τῇ μιᾷ εἰκασθεὶς κυνὶ ὁ* Κρίμισσος *ποταμὸς συνῆλθεν· ἡ δὲ ἔτεκε τὸν* Αἰγέστην, *ὃς ἔκτισε τρεῖς πόλεις ἐν* Σικελίᾳ, *τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ* Αἰγέσταν, Ἔρυκα, Στύλλαν· *ἔγημε δὲ οὗτος* Στύλλαν. *Phoenod. leones* intellige eos quibus Phoenodamas tres filias in Sicilia exposuit: **qui** generaliter dictum, quo difficilius aenigma esset. Sic Men. ii. 2. 74 *Videamus qui hinc egreditur* de Erotio muliercula, Hec. iv. 3. 2 *Vxor, Istuc est sapere qui ubi cumque opus sit animum possis flectere*, ubi tamen Donatus 'qui pro quae.' (Wagner ad loc. Holtze Synt. i. pp. 377, 378.) Prop. i. 15. 34 *Dicere* quo *pereas saepe in amore leuat* 'of indefinite gender.' Postgatus ad loc.* **384. Thoanteae** Thoas rex terrae Tauricae *quorum fuit institutum ut qui inter fines eorum hospes uenisset templo Dianae immolaretur* Hyg. 120, unde ap. Eur. I. T. 38 Iphigenia sacerdos dicit Θύω *γάρ, ὄντος τοῦ νόμου καὶ πρὶν πόλει,* Ὃς *ἂν κατέλθῃ τήνδε γῆν* Ἕλλην *ἀνήρ.* **385. aduersa** Od. xii. 235 Ἔνθεν *γὰρ* Σκύλλη, *ἑτέρωθι δὲ δῖα* Χάρυβδις. **386. Dulichiae** Vlixis, cui patria Dulichium, unde *Dulichius dux* uocatur Rem. 272. **pauidos** Od. xii. 243 *τοὺς δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει.* **eripuere** Od. xii. 245 Τόφρα *δέ μοι* Σκύλλη *κοίλης ἐκ νηὸς ἑταίρους* Ἓξ *ἕλεθ'.* **387. Polyphemus in aluum** Od. ix. 296 Κύκλωψ *μεγάλην ἐμπλήσατο νηδὺν* Ἀνδρόμεα *κρέ' ἔδων.* **388. Laestrygonias.** Unum ex sociis Vlixis Antiphates Laestrygonum rex deuorauit, alios populus Laestrygonum iniectis lapidibus occidit comeditque. Od. x. 124 Ἰχθῦς *δ' ὣς πείροντες ἀτερπέα δαῖτα φέροντο.* **389. dux Poenus.** Val. Max. ix. 6. 2 Ext. *Hannibal Acerranorum senatum extra moenia euocatum in profundum puteorum*

* Conuenit huic sententiae quod ad Pont. i. 2. 119 adscriptum est in cod. Canonic. Lat. I. *termodoon* (l. *Theromedon*) *quidam tirannus fuit* in Sicilia *qui homines dilacerabat et humanis carnibus uescebatur.* Nam Phoenodamantis filiae in Sicilia feris expositae sunt.

abiecit. App. Pun. 63 Ἀχεῤῥάνων δὲ τὴν βουλὴν ἐν σπονδαῖς ἐς τὰ φρέατα ἐνέβαλον (οἱ Καρχηδόνιοι) καὶ τὰ φρέατα ἐνέχωσαν (Const. Fanens.). **390. iacto** iniecto **puluere** in ludibrium mortuorum, quod erat insolentiae Punicae, qui captiuos ἐς τάφρους καὶ ποταμοὺς ἐμβαλόντες ὡς γεφύραις ἐπέβαινον App. Pun. 63 (Laur. Abstemius). Videtur respexisse hoc facinus Seneca de Ira ii. 5 *Hannibalem aiunt dixisse cum fossam sanguine humano plenam uidisset, O formosum spectaculum.* **391. Sex bis famulae** M. iv. 220. Od. xxii. 424 Τάων (δμωάων) δώδεκα πᾶσαι ἀναιδείης ἐπέβησαν. Potest etiam ad **proci** referri **sex bis**, si eos intelligas qui erant Ἐξ αὐτῆς Ἰθάκης δυοκαίδεκα πάντες ἄριστοι, quamquam totus numerus centum et octo fuit Od. xvi. 247–251. **Icaridos**. Penelope filia Icarii. **392. qui dabat arma** Melanthius Od. xxii. 143 Ἔνθεν δώδεκα μὲν σάκε' ἔξελε, τόσσα δὲ δοῦρα Καὶ τόσσας κυνέας χαλκήρεας ἱπποδασείας. Βῆ δ' ἴμεναι, μάλα δ' ὦκα φέρων μνηστῆρσιν ἔδωκεν. **393. iacet** ut *habet* 344. **Aonio** Boeotio: nam Hercules Thebanus. Sic *Aoniis Thebis* M. vii. 763 (Saluagn.). **luctator** Antaeus. **hospite** Hercules ex Graecia in Libyam uenerat. Luc. iv. 612 *Ille Cleonaei proiecit terga leonis, Antaeus Libyci. Perfudit membra liquore* Hospes, *Olympiacae seruato more palaestrae.* **394. mirum** interiectum ut M. vii. 790, xi. 51, F. ii. 413. Sic *indignum* M. v. 37. **uictor, cum cecidisset**, nam tacto solo fiebat ualidior. Luc. iv. 598 *Hoc quoque tam uastas cumulauit robore uires Terra sui fetus, quod, cum tetigere parentem, Iam defecta uigent renouato robore membra.* **395. pressere** secum luctantes. Apollod. ii. 5. 11 ταύτης (Λιβύης) ἐβασίλευε παῖς Ποσειδῶνος Ἀνταῖος, ὃς τοὺς ξένους ἀναγκάζων παλαίειν ἀνῄρει. **396. Lemnia turba.** Vnde hic Lemniades? Cetera enim serie rerum cohaerent, sicut in Apollod. ii. 5. 11, Antaeus Thrasius Busiris, a quo facilis fit transitus ad Diomeden: uel ut Her. ix. 67–74 coniunguntur Diomedes Busiris Antaeus. **ferae morti** Hyg. 15 *In insula Lemno mulieres Veneri sacra aliquot annos non fecerant, cuius ira uiri earum Thressas uxores duxerunt et priores spreuerunt. at Lemniades eiusdem Veneris inpulsu coniuratae, genus uirorum omne, quod ibi erat, interfecerunt, praeter Hypsipylen, quae patrem suum Thoantem clam in nauem inposuit. quem tempestas in insulam Tauricam detulit.* **397. post longum** post annos nouem. A. A. i. 647 *Dicitur Aegyptus caruisse iuuantibus arua Imbribus atque annos sicca fuisse nouem. Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari Hospitis effuso sanguine posse Iouem. Illi Busiris, Fies Iouis hostia primus, Inquit, et Aegypto tu dabis hospes aquam.* Callim. fr. 182 Schneider Αἴγυπτος προπάροιθεν ἐπ' ἐννέα κάρφετο ποίας. Claudian. in Eutrop. i. 159–162 *Sic multos fluuio uates arente per annos, Hospite qui caeso monuit placare Tonantem, Inuentas primus Busiridis imbuit aras Et cecidit saeui, quod dixerat, hostia sacri.* **sacri mostrator iniqui** Phrasius (Apollod. ii. 5. 11) siue ut est ap. Hyg. 56 et Ouid. A. A. i. 647 Thrasius. Rem sic narrat Apollod. ii. 5. 11 Μετὰ Λιβύην δὲ Αἴγυπτον διεξῄει. ταύτης ἐβασίλευε Βούσιρις Ποσειδῶνος παῖς καὶ Λυσιανάσσης τῆς Ἐπάφου. οὗτος τοὺς ξένους ἔθυεν ἐπὶ βωμῷ Διὸς κατά τι λόγιον· ἐννέα γὰρ ἔτη ἀφορία τὴν Αἴγυπτον κατέλαβε, Φράσιος δὲ ἐλθὼν ἐκ Κύπρου, μάντις τὴν ἐπιστήμην, ἔφη τὴν ἀφορίαν παύσασθαι, ἐὰν ξένον ἄνδρα τῷ Διὶ σφάξωσι κατ' ἔτος. Βούσιρις δὲ ἐκεῖνον πρῶτον σφάξας τὸν μάντιν τοὺς κατιόντας ξένους ἔσφαζε. συλληφθεὶς οὖν καὶ Ἡρακλῆς τοῖς βωμοῖς προσεφέρετο, τὰ δὲ δεσμὰ διαῤῥήξας τόν τε Βούσιριν καὶ τὸν ἐκείνου παῖδα Ἀμφιδάμαντα ἔκτεινε. Eadem Hyginus 56, a quo Thrasius Pigmalionis filius, fratris Busiridis, appellatur. Canterus (ad Lyc. 158) locum intellexit de Molpide Eleo (τοῦ Ζηνὶ δαιτρευθέντος Ὀμβρίῳ δέμας Lyc. 159) qui ut famem procuraret qua Elis premebatur ipse se ex oraculo immolandum praebuit, quo facto εὐθέως ἐρράγη ὑετός· οἱ δὲ Ἠλεῖοι ἐποίησαν Ὀμβρίου Διὸς ἱερὸν, ἐν ᾧ ἐστιν ἀνδριὰς τοῦ Μόλπιδος. (Schol. Marcianus ad Lyc. 159.) **398. uictima caesus** pro uictima. Hyg. 56 de Thrasio *promissis fidem* ipse immola-

tus *exhibuit*. **399. Frater ut Antaei** Busiris. Vterque enim ex Neptuno procreati. **quo sanguine debuit** suo, non aliorum quos innocentes *non debuerat* mactare. **400. exemplis occidit ipse suis.** Sic sacerdos Nemorensis *perit exemplo quisque suo* F. iii. 272 cum qui est priorem semper occiderit atque ipse postea ab alio occidatur. **401. qui** Diomedes. **gramen habentibus herbis** quibus inest gramen (Saluagn.) Burm. attulit M. i. 633 *terrae non semper gramen habenti.* Gramen hic est esca equorum ut M. iv. 215. **402.** Her. ix. 67 *crudi Diomedis imago Efferus humana qui dape pauit equas.* **403. uindice** Hercule. **404. Nessus Dexamenique gener** Hyg. 31 *Centaurum Nessum quod Deianiram uiolare uoluit, occidit. Eurytionem Centaurum, quod Deianiram Dexameni filiam speratam suam uxorem petiit occidit.* Eurytion **gener** dicitur, quod Dexamenus *uim* eius *timens pollicitus est se daturum* Deianiram: atque ipse Eurytion *die constituto uenit cum fratribus ad nuptias*, tamquam eam ducturus Hyg. 33. **405–412** ab Hercule transit ad Theseum. Narrarat de Peripheta Sinide Scirone Cercyone Polypemone siue Procrusta Callimachus in Hecale, ut retur Schneiderus Callim. ii. p. 186. **405. pronepos, Saturne, tuus** Corynetes uel Periphetes (Hesych.), filius Vulcani (Apollod. iii. 16. 1, Paus. ii. 1. 4, Hyg. 158, Met. vii. 437) uel Neptuni (Hyg. 38), qui ambo ex Ioue, filio Saturni. **quem reddere uitam** exspirare (Lucr. vi. 1198, Met. x. 203). **406. Coronides** Aesculapius, filius nymphae Coronidis (Paus. ii. 26. 6, H. Hom. 16. 2). **Vrbe uidit ab ipse sua** Epidauro. Apollod. iii. 16. 1 *Πρῶτον μὲν οὖν Περιφήτην τὸν Ἡφαίστου καὶ Ἀντικλείας ὃς ἀπὸ τῆς κορύνης ἣν ἐφόρει Κορυνήτης ἐπεκαλεῖτο ἔκτεινεν ἐν Ἐπιδαύρῳ· πόδας δὲ ἀσθενεῖς ἔχων οὗτος ἐφόρει κορύνην σιδηρᾶν, δι' ἧς τοὺς παριόντας ἔκτεινε. ταύτην ἀφελόμενος Θησεὺς ἐφόρει.* Met. vii. 436 *Tellus Epidauria per te Clauigeram uidit Vulcani occumbere prolem.* **Coronides** et **reddere uitam** Ouidius similiter coniunxit F. vi. 744–7 *Hippolytus lacero corpore raptus erat, Reddideratque animam multum indignante Diana. Nulla, Coronides, causa doloris, ait, Namque pio iuueni uitam sine uulnere reddam.* An ut illic lusit in duplici sensu *reddendi uitam*, sic hic in *Coronide* allusit ad *Coryneten?* Cf. *teli genus, Telegonus* 567. **407. Sinis** plerumque idem est qui Πιτυοκάμπτης dicitur, uide 409: sed cf. Eustath. 158 *ὡς δὲ καὶ Σίνις Σίνιδος ὕστερον λῃστὴς δίχα τοῦ τ̄, αἱ ἱστορίαι δηλοῦσι περιᾴδουσαι καὶ αὐτὸν, καθὰ καὶ τὸν Σκείρωνα καὶ τὸν Πιτυοκάμπτην καὶ τὸν Κάκον καὶ τὸν Λίβυν Ἀνταῖον καὶ τοὺς τοιούτους.* Eur. Hipp. 977 *Οὐ μαρτυρήσει μ' Ἴσθμιος Σίνις ποτε Κτανεῖν ἑαυτόν*, quae uerba sunt Thesei. **Sciron** Hyg. 38 *Scironem qui ad mare loco quodam praerupto sedebat et qui iter gradiebatur cogebat eum sibi pedes lauare et ita in mare praecipitabat, hunc Theseus pari leto in mare deiecit ex quo Scironis petrae sunt dictae.* Plut. Thes. 10, Paus. i. 44. 8 qui addit haec *Χελώνη δὲ ὑπενήχετο ταῖς πέτραις τοὺς ἐσβληθέντας ἁρπάζειν· εἰσὶ δὲ αἱ θαλάσσιαι, πλὴν μεγέθους καὶ ποδῶν, ὅμοιαι ταῖς χερσαίαις, πόδας δὲ ἐοικότας ἔχουσι ταῖς φώκαις.* **cum Polypemone natus.** Procrusten significat, incertum quem secutus. Nam Pausanias i. 38. 5 Polypemonem eundem fuisse tradit qui Procrustes cognominatus sit: Apollodorus iii. 16. 2 et Schol. Hippol. 977, Polypemonem Sinidos, Probus ad Geor. i. 399, Scironis, patrem faciunt. Hyginus 38 Polypemonem omittit, Procrusten filium facit Neptuni, Plutarchus Thes. xi Procrusti uerum nomen Damastis tribuit. Polypemonis natum Procrusten significari patet ex M. vii. 436 sqq. ubi Periphetes Procrustes Cercyon Sinis Sciron pari modo iunguntur, Her. ii. 69, 70 ubi Sciron Procrustes Sinis Minotaurus. Legerat fortasse Πολυπημονίδαο Προκρούστεω. Diod. iv. 59. 5 *Οὗτος τοὺς παριόντας ὁδοιπόρους ἠνάγκαζεν ἐπί τινος κλίνης ἀναπίπτειν, καὶ τῶν μὲν μακροτέρων τὰ προέχοντα μέρη τοῦ σώματος ἀπέκοπτε, τῶν δὲ ἐλαττόνων τοὺς πόδας προέκρουεν· ἀφ' οὗπερ Προκρούστης ὠνομάσθη.* **408. Minotaurus** *tauri mixtaque forma uiri* Her. ii. 70, Isoc. Hel. Encom. 31 φύσεως

ἐξ ἀνδρὸς καὶ ταύρου μεμιγμένης. **409. trabes pressas.** Pityocamptes, quem Pausanias ii. 1. 4, Diodorus iv. 59. 3, Plutarchus Thes. viii, Schol. Hippol. 977, Apollod. iii. 16. 1, Prop. iii. 22. 37, ipse Ouidius M. vii. 440–442, eundem cum Sinide faciunt. Cum scriptore Ibidis consentire uidentur Hyginus 38, Eustath. 158, Hyg. 38 *Pityocampten Neptuni filium qui iter gradientes cogebat ut secum arborem pinum ad terram flecterent, quam qui cum eo prenderat, ille eam uiribus missam faciebat: ita ad terram grauiter elidebatur et peribat.* **410. huius et huius aquas** sinus Corinthiaci et Saronici. Sen. Thy. 111 *Qui fluctibus* Illinc *propinquis Isthmos atque* illinc *fremit.* Flor. ii. 16. 1 *Corinthus Achaiae caput, Graeciae decus, inter duo maria, Ionium et Aegaeum, quasi spectaculo exposita.* Her. iv. 105, 6, Met. vii. 405 *bimarem Isthmon.* Prop. iii. (iv.) 21. 22 *Isthmos qua terris arcet utrumque mare*, ad quem uersum omnia congessit Passeratius. **411. Ceres uidit laeto pereuntia uultu Corpora** Cercyonis qui Eleusina adeuntes infestabat. M. vii. 439 *Cercyonis letum uidit Cerealis Eleusin.* **412. Corpora** corpus, ut alias non raro. Drägerus (Latein. Synt. i. p. 6) comparat σώματα Soph. El. 1232. **Cercyonea** Cercyonis ut *Apollineas medullas* Apollinis M. i. 473. Diod. iv. 59. 5 Ἀνεῖλε δὲ καὶ περὶ τὴν Ἐλευσῖνα Κερκύονα τὸν διαπαλαίοντα τοῖς παριοῦσι καὶ τὸν ἡττηθέντα διαφθείροντα. Schol. Plat. Leg. 796 Τὴν μὲν ἀπὸ χειρῶν πάλην ἐξεῦρε Θησεύς, τὴν δὲ ἀπὸ σκελῶν Κερκύων Βρόγχου καὶ Ἀργιόπης νύμφης. πρὸς τοῦτον τὸ πέμπτον ἆθλον ἐν Ἐλευσῖνι παλαίων διηγωνίσατο Θησεύς. Cf. Paus. i. 39. 3. **413.** Incerta lectio. Quod scripsi compares cum 95 *Illum ego deuoueo quem* mens *intelligit Ibin Qui scit se* factis *has meruisse preces.* Sic enim **ira** et **mentis** et **iustissima** est. Sed et *quae meritis precibus mea d. ira* potest legi, ut *iustis* tamquam glossa fuerit additum, quo *meritis* explicaretur. Sed non infitior id nimis languere mihi uideri. **415. Achaemenides.** Sumpsit hoc ex Aeneide iii. 587–691. Fuit *patria ex Ithaca, comes infelicis Vlixi* (Aen. iii. 613) *Troiam genitore Adamasto Paupere profectus* (614, 5). Qui cum a sociis ad Siciliam appulsis in Polyphemi antro desertus esset, profugus illinc ad litus Teucros cum Aenea deueneratus est ut saluum se facerent, ab iisque in naues receptus est. **Sicula desertus in Aetna.** Cyclopes ubi habitabant, *horrificis iuxta tonat Aetna ruinis* (Aen. iii. 571), Achaemeniden autem *dum trepidi crudelia limina lincunt Inmemores socii uasto Cyclopis in antro* Deseruere (iii. 616–618). **416. Troica cum uidit uela uenire.** Aen. iii. 590 *e siluis macie confecta suprema Ignoti noua forma uiri, miserandaque cultu Procedit . . . Dira inluuies inmissaque barba, Consertum tegumen spinis.* Fabulam Achaemenidae Ouidius narrarat Met. xiv. 160 sqq. **417. fortuna** ut mendices et a fortiore aliquo pugnis caesus humi inpingaris, sicut Irus ab Vlixe Od. xviii. 95–100. **binominis Iri.** Etiam Arnaeus appellatus est. Od. xviii. 1–7 Ἦλθε δ' ἐπὶ πτωχὸς πανδήμιος, ὃς κατὰ ἄστυ Πτωχεύεσκ' Ἰθάκης, μετὰ δ' ἔπρεπε γαστέρι μάργῃ Ἀζηχὲς φαγέμεν καὶ πιέμεν· οὐδέ οἱ ἦν ἲς, Οὐδὲ βίη, εἶδος δὲ μάλα μέγας ἦν ὁράασθαι. Ἀρναῖος δ' ὄνομ' ἔσκε, τὸ γάρ θέτο πότνια μήτηρ Ἐκ γενετῆς· Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες, Οὕνεκ' ἀπαγγέλλεσκε κιών, ὅτε πού τις ἀνώγοι. **418. Quique tenent pontem** mendici. Iuuen. xiv. 134 *Inuitatus ad haec aliquis de ponte negabit*, iv. 116 *dirusque a ponte satelles Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes*, v. 8. Mart. x. 5. 3–5 *Erret per urbem pontis exsul et cliui Interque raucos ultimus rogatores Oret caninas panis inprobi buccas.* Vide Mayor ad Iuuen. iv. 116. **qui tibi maior erit.** Turnebus ix. 25 rettulit ad uerba **Quique tenet**, sic enim legit, hoc sensu 'quem prae te magnum dices, quamuis aliis sit infimus et abiectissimus'; alii ad **pontem**, ut T. Vnderdown 'qui pons tibi extendetur et plures mendicos habebit, quo ipse minus accipias.' 'He wisheth Ibis to be a beggar in company with a grëate sorte, that his part of the almes may be very small.' Ad Irum si referatur **qui**, pos-

sis explicare (1) 'et hic Irus **tibi maior** accrescente syllaba erit' Ἶρος ἄϊρος Od. xviii. 73, h. e. non Irus solum, sed Irus cum infortunio, uel (2) 'et hic Irus *maior* superior tibi et tamquam dominus habebitur, cum ipse sis *inter raucos ultimus rogatores*,' uel (3) 'qui tibi Irus *maior*, ut tu Irus *minor* eris' eodem sensu quo Seneca dixit H. O. 1787 *Si quis minor Busiris aut si quis minor Antaeus* h. e. cognominis sis Iro Vlysseo, cuius tu quasi filius uel nepos sis, eumque *maiorem* siue seniorem prae te iuniore uindices 'and you shall hold him your senior in the name:' uel (4) quod elicias ex Rosc. Am. 35. 100 *habeo etiam dicere quem contra morem maiorum minorem annis sexaginta de ponte in Tiberim deiecerit* 'qui **tibi** in tuum infortunium **maior** erit annis lx ideoque in flumen deicietur,' quod melius sane ad **Quique tenet** quam ad **Iri** referatur. 'And may you have besides the luck of Irus the double-named, and of the beggar that haunts the bridge; and *your* beggar shall be old enough to be in danger of being thrown over it and drowned.' Ingeniose Ad. Neubauer **qui** (pons) **tibi mabor** מעבר **erit**, h. e. quem tu patrio nomine non ut Romani pontem, sed ut unus e plebe Iudaeorum Hebraico uocabulo מעבר appellabis. Quod si uerum est, aut Iudaeus fuit Ibis aut certe ex regione Orientis, fortasse Aegyptius. **419. Filius Cereris** ut primus intellexit Ant. Urceus Codrus, teste Const. Fanensi, est Plutus deus diuitiarum. Hes. Theog. 969 Δημήτηρ μὲν Πλοῦτον ἐγείνατο, δῖα θεάων, Ἰασίῳ ἥρωϊ μιγεῖσ' ἐρατῇ φιλότητι Νειῷ ἔνι τριπόλῳ, Κρήτης ἐν πίονι δήμῳ. Diodorus v. 77 duas causas nominis Pluti adfert, siue τὸ πλεῖον τῶν ἱκανῶν, siue quod coaceruatis diuitiis *plus* semper fiat. **frustra ametur** frustra a te inuocetur ut in tuam domum ἐπείσοδον (Soph. fr. 252) faciat: de qua re cf. Aristophanis Plutum et Luciani Timonem. Tim. 26 Πῶς τυφλὸς ὢν . . . τοσούτους ἐραστὰς ἔχεις; οἶδα γοῦν τινας οὐκ ὀλίγους αὐτῶν οὕτω σου δυσέρωτας ὄντας ὥστε καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον φέροντες ἔῤῥιψαν αὐτούς. **420. Destituat opes** 'leave your fortune in the lurch' alio se semper conferat nec te adeat: mira locutio quam uidetur adsimulasse ad notius *spem destituere*. Hes. Theog. 973 τῷ δὲ τυχόντι καὶ οὗ κ' ἐς χεῖρας ἵκηται, Τόνδ' ἀφνειὸν ἔθηκε, πολύν τέ οἱ ὤπασεν ὄλβον. Huiusmodi uotum sed ratum extat in Epigrammate quod edidit Kaibelius 1133 Ὦ Ζεῦ πάτερ, αἴθε πλούσιος γεν[οίμαν]. Ἤδη μὲν ἤδη πλέον. [ἀ]π' ἄρα βέβακε. De Pluti cultu disputauit Dilthey in Gotting. Ind. Schol. 1879, qui laudat Hom. H. Cer. 486 et Homericae Iresionae initium. **421.** Verba sic construe, **Vtque unda labente per alternos recursus** h. e. reciproco allapsu aestus recursuque 'while the wave glides on ebbing and flowing alternately.' Prop. iii. (iv.) 12. 28 *alternas scissa Carybdis aquas.* **422. presso** singulis passibus in harenam sidente. Minucius Octau. 2 *molli uestigio cedens harena subsideret.* Henry Aeneidea iii. p. 67 'The soft sand is withdrawn from the pressure of the foot, i. e. affords no *point d'appui* to the foot.' **423. nescio qua** nescio quomodo, ut uix sentias. Sic *qua* Aen. i. 680, *nequa* Aen. i. 682. **liquescat** 'still melt away And slip between thy fingers day by day' I. Iones (1658). **424. per medias manus.** Prop. iv. (v.) 4. 22 *Interque oblitas excidit urna manus.* **effluat.** Sen. Thy. 536 Atr. *Quis influentis dona Fortunae abnuit?* Thy. *Expertus est quicumque quam facile effluant.* **425. pater** Erysichthon **solitae uarias mutare figuras** Mestrae, quae ut patrem sustentaret inexplebili fame laborantem, Neptuni dono a quo compressa erat, in uarias figuras equae alitis bouis cerui se transformabat, atque hoc modo nouis semper dominis uenumdata pretio sui parentem alebat (Met. viii. 847–874). Hinc παντόμορφος dicitur Lyc. 1393. **uarias mutare figuras** 'to shift from one form to another.' **426. Plenus** quamquam satur. **inextincta fame** qua eam Ceres ultus est quod in Dotio Cariae sacrum deae lucum deuastasset Callim. H. Cer. 25–65, Met. viii. 741. Eam famem salse describit Callimachus

Cer. 67–115, quem modo *χαλεπόν τε καὶ ἄγριον λιμὸν, Αἴθωνα κρατερόν*, modo *κακὰν βούβρωστιν* uocat. 105–110 Χῆραι *μὲν μάνδραι, κενεαὶ δέ μοι αὔλιες ἤδη* Τετραπόδων· *ἤδη γὰρ ἀπηρνήσαντο μάγειροι*. Ἀλλὰ *καὶ οὐρῆας μεγαλᾶν ὑπέλυσαν ἁμαξᾶν*, Καὶ *τὰν βῶν ἔφαγεν, τὰν* Ἑστίᾳ *ἔτρεφε μάτηρ*, Καὶ *τὸν ἀεθλοφόρον καὶ τὸν πολεμήϊον ἵππον*, Καὶ *τὰν αἴλουρον, τὰν ἔτρεμε θηρία μικκά*. Ipse Erysichthon *Αἴθων* cognominatus est *ὅτι ἦν ἄπληστος βορᾶς* Athen. 416. **427. dapis humanae**. Eurip. Meleag. fr. 541 Nauck Εἰς *ἀνδροβρῶτας ἡδονὰς ἀφίξεται* Κάρηνα *πυρσαῖς γένυσι* Μελανίππου *σπάσας*. **quaque Parte potes** ore, non manu. Nam Tydeus manu fortissimus, ore corrosit caput Menalippi, ut iterum narratur 515. **428. Tydeus temporis huius** Mart. xii. 32. 9 *Irus tuorum temporum*. Shakspere Cymb. ii. 5 *The Dian of that time*. **429. aliquid** cum emphasi dictum, *grande quiddam* (Sen. Thy. 270) quale fuit Atrei facinus *qui cupiens a Thyeste fratre suo iniurias exequi in gratiam cum eo rediit et in regnum suum eum reduxit, filiosque eius infantes Tantalum et Plisthenem occidit et in epulis Thyesti apposuit. qui cum uesceretur Atreus imperauit brachia et ora puerorum afferri. ob id scelus etiam sol cursum auertit* Hyg. 88. Filios Thyestis Aglaon Orchomenon Kaleon nominat Schol. Orest. 812 (Muncker). **430. Cur** propter quod **solis equi exsternati** conterriti (Met. i. 641, xi. 77) **agantur a uespere** ex occidente **rursus** retroacto itinere **ad ortus**. Multus est in hac re describenda Seneca Thyest. 776 sqq. 784 *uerterit currus licet Sibi ipse Titan obuium ducens iter Tenebrisque facinus obruat tetrum nouis Nox missa ab ortu tempore alieno grauis*, et in choro 789 sqq. Praeiuerat Eurip. Orest. 1001–1004 ubi Schol. *ὁ ἥλιος μὴ στέρξας τὸ παράνομον μίαν ἡμέραν ἐκ δυσμῶν πρὸς ἕω διφρεύει*. **431. Lycaoniae**. Hyg. 176 *Lycaonis filii Iouem tentare uoluerunt deusne esset et carnem humanam cum cetera carne commiscuerunt idque in epulo ei apposuerunt. qui postquam sensit iratus mensam euertit, Lycaonis filios fulmine necauit*. Versus ex Met. i. 165 sumptus. **433. posito** ad comedendum ut *posito cibo* F. ii. 566. **uim temptet** iram prouocet. **434. Tantalides** Pelops ut Trist. ii. 385. Hyg. 83 *Pelops Tantali et Diones Atlantis filiae filius cum esset in epulis deorum a Tantalo caesus, brachium eius Ceres consumpsit*. **Telei puer**. Hyg. 206 *Clymenus Schoenei filius rex Arcadiae amore captus cum Harpalyce filia sua concubuit. ea cum peperisset, in epulis filium apposuit patri. Clymenus pater re cognita Harpalycen interfecit*. Hic Clymenus a Parthenio Erot. 13 Κλύμενος ὁ Τελέως dicitur; unde *puer Telei* poterit hic uocari siue *παππωνυμικῶς* ut Perseus Met. iv. 771 a proauo Agenorides, Protesilaus et Aiax ab auo Phylacides, Aeacides (Euphor. fr. 36) nominantur (Mein. Anal. Alex. p. 70), siue quod Telei filius, non Clymeni traditus fuerat ab eo quem hic sequitur Ouidius. Rem ter narrat Hyginus 206, 238, 246, quo in ultimo loco simul commemorantur qui filios suos in epulis consumpserunt Tereus Thyestes Clymenus. *Tereides puer* et a grammatica abhorret et a MSS. **435. latos** idem est fere quod *late* ut Georg. iv. 522 *Discerptum latos iuuenem sparsere per agros*. **437. quae** Absyrti. **patrias** Aeetae patris. Cic. de N. D. iii. 26. 67 *Medea patrem patriamque fugiens* postquam pater Adpropinquat iamque paene ut conprehendatur parat, Puerum interea optruncat membraque articulatim diuidit, Perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia, Vt, dum nati dissipatos artus captaret parens, Ipsa interea effugeret, illum ut maeror tardaret sequi Sibi salutem ut familiari pareret parricidio. **437. Aere** abl. instrum. 'May you counterfeit veritable bullocks with the brazen engine of Perillus' ut M. xiv. 521 *saltuque imitatus agresti* (*choreas*), A. A. i. 611 *imitandaque uulnera uerbis*. Aliud est *Perilleo in aere* Trist. v. 1. 53. Perillus (A. A. i. 653) auctor fuit Phalaridi ut tauro aheneo quem ipse fabricauerat uiuos includeret. Perilaus est Diodoro

Excerpt. 32. 25, qui tradit inter statuas inuentas Carthagine fuisse hunc taurum, Ἐν δὲ τούτοις ὑπῆρχε καὶ ὁ περιβόητος ταῦρος ἐξ Ἀκράγαντος, ὃν κατασκευάσας Περίλαος Φαλάριδι τῷ τυράννῳ, καὶ πρῶτος τὴν ἀπόδειξιν τῆς ἰδίας τέχνης ἐν τῇ καθ' αὑτὸν τιμωρίᾳ δικαίως ὑπομείνας ἀνῃρέθη. **438. conueniente** Am. i. 1. 2 *materia conueniente modis.* **439. Phalaris.** Bentleius ad Phal. p. 240 ed. Dyce allato fragm. Heraclidis Pontici (37 Müller, Fragm. Hist. Graec. ii. p. 223) Ὅνπερ ὁ δῆμος ἐτιμωρήσατο· ἐνέπρησε δὲ καὶ τὴν μητέρα καὶ τοὺς φίλους, censet Heracliden significasse Phalarin ipsum in tauro suo combustum quemadmodum mater eius et amici in eo periissent; hoc enim uelle additum καί. Sed nusquam alias id uidetur traditum. **resecta** abscisa ut 538: sic *resecare capillos barbam.* **440. More bouis.** Met. i. 745 *ne more iuuencae Mugiat.* Sil. xiv. 214 de tauro Phalaridis *Ille ubi torreret subiectis corpora flammis Mutabat gemitus mugitibus, actaque ueras Credere erat stabulis armenta effundere uoces.* **Paphio** pro *Cyprio* positum censet Saluagnius. Nam *in Cypro prima aeris inuentio* (Plin. H. N. xxxiv. 2), et *aerosam appellauerunt antiqui insulam Cyprum, quod in ea plurimum aeris nascatur* (Paul. p. 20 Müller). Inscript. Argis reperta Kaibel 846. 3–5 Εἰμὶ δὲ Νικοκρέων, θρέψεν δέ με γᾶ περίκλυστος Κύπρις θειοτάτων ἐκ προγόνων βασιλῆ. Στᾶσαν δ' Ἀργεῖοί με χάριν χαλκοῖο τίοντες: nam Nicocreon uasa aenea Argiuis certaminum praemia miserat (Kaibel). Omne aes Cyprium ductile fuisse tradit Plinius xxxiv. 94. Cf. Lyc. 484. **441. aeui melioris** iuuentae. Trist. iv. 10. 93 *Iam mihi canities pulsis melioribus annis Venerat.* **442. Admeti socer** Pelias. Hyg. 24 *Ipsa* (Medea) *ad Peliae filias pro sacerdote Dianae uenit: eis pollicetur se patrem earum Pelian ex sene iuuenem facturam. id quia* Alcestis maior filia *negauit fieri posse, Medea quo facilius eam perduceret ad suam uoluntatem caliginem eis obiecit, et ex uenenis multa miracula fecit, quae uerisimilia esse uiderentur arietemque uetulum in aenum coniecit, unde agnus pulcerrimus prosiluisse uisus est. eodemque modo Peliades, id est Alcestis Pelopia Medusa Pisidice Hippothoe, Medeae inpulsu patrem suum occisum in aeno coxerunt.* **decipiare.** Plerique Peliades non Pelian deceptum tradidere, Apollod. i. 9. 27, Paus. viii. 11. 2, Ouid. M. vii. 310, 323, Sen. Med. 478. Sed Diodorus (iv. 51) a uulgari fabula aliquantum discedens dicit Medeam Peliae persuasisse, ut crederet Dianam in eius sedes tamquam sanctissimi omnium regum aduenisse, sibi autem deam mandasse ut senectutem Peliae potentiis quibusdam abigeret, quarum uim cum per sui mutationem ex anus specie in uirginem monstrasset, mox priuatim monuisse Pelian ut in manus se filiarum traderet. tum Peliades per arietem delusas patrem sopitum concidisse, praeter unam Alcestin. Huiusmodi narrationem Ouidium hic secutum credo: quamquam **decipiare** etiam sic licebit interpretari, ut Peliades quod fieri posse Medeae credebant idem persuaserint patri. **443. eques** ut Curtius, de quo duplex historia narrata est a Varrone L. L. v. 148 *A Procilio relatum, in eo loco dehisse terram et id ex S. Con. ad aruspices relatum esse; responsum deum Manium postilionem postulare id, ciuem fortissimum eo demitti. tum quendam Curtium ciuem fortem armatum ascendisse in equum et a Concordia uersum cum equo eo praecipitatum; eo facto locum coisse atque eius corpus diuinitus humasse ac reliquisse genti suae monumentum.* 149. *Piso in Annalibus scribit, Sabino bello quod fuit Romulo et Tatio, uirum fortissimum Metium Curtium Sabinum, quom Romulus cum suis ex superiore parte impressionem fecisset, Curtium in locum palustrem, qui tum fuit in foro, antequam cloacae sunt factae, secessisse atque ad suos se in Capitolium recepisse; ab eo lacum inuenisse nomen.* Ambas fabulas etiam Liuius vii. 6. cf. i. 13 exhibuit. **mergare uoragine caeni.** In his poeta Pisonem secutus uidetur, et sic Liu. i. 13 *Monumentum eius pugnae, ubi primum ex* profunda emersus palude equus *Curtium in uado statuit, Curtium lacum appellarunt.*

Stat. S. i. 1. 66 *sacrata uorago Famosique lacus* nomen memorabile seruant, 82 dicit Curtius Domitiano *Quod si te nostra tulissent Saecula temptasses me non audente* profundo Ire lacu. Nisi forte Ouidius utramque fabulam permiscuit. **444. Nomina nulla.** Nam notissimus fuit lacus Curtius. Hinc colligitur uere locum de Curtio interpretati Const. Fanensis et Passeratius ad Prop. iii. 11. 61: nam in obscuro erat nomen Aegistaei eius qui Celaenis in urbe Phrygiae cum terra in magnum hiatum et aquas diducta esset, quae multas domos cum familiis obrueret, iusso Mida patre per oraculum eo deicere quod inter homines esset maximi pretii, equo insidens in cauum insiluit, teste Callisthene ap. Apostolium Cent. i. 58[b] Leutsch, s. u. Αἰγιστέου πήδημα. Hunc Stobaeus Flor. 7. 69 et Plutarchus Parall. 5 Anchurum uocant. **445. de dentibus orti Sparti.** Hyg. 178 *Cadmus sorte audita* (ut oppidum conderet ubi iuuenca decubuisset) *cum imperata perfecisset et aquam quaereret, ad fontem Castalium uenit, quem draco Martis filius custodiebat. qui cum socios Cadmi interfecisset a Cadmo lapide est interfectus;* dentesque *eius Minerua monstrante* sparsit *et arauit, unde Spartoe sunt enati. qui inter se pugnarunt, ex quibus quinque superfuerunt.* **446. Sidonia** Cadmus Phoenix Cilix Europa ex Agenore nati qui regnauit Sidone. **447, 8.** Vide Excursum. **449. quibus** uotis. **exiguo libello.** Hinc O. Schneiderus (Callim. ii. p. 278) colligit Callimachum Ibidi suae historias non intexuisse quales Ouidius suo carmini interposuit; *libellum* enim epigramma non nimis magnum fuisse. **deuota** a Callimacho. **450. proiecta aqua** Plin. viii. 97 *Ibis rostri aduncitate per eam partem se perluens qua reddi ciborum onera maxime salubre est.* Isid. Orig. xii. 7. 33. Georgius Pis. Hexaem. 1120 Τῆς γὰρ κάτωθεν ἐμφραγείσης ἐξόδου Ἀμηχανοῦσα πῶς ἀνοίξει τὴν θύραν, Τὸν μακρὸν ἐκτείνασα λοξῶς αὐχένα Σίφωνα γοργὸν τεκτονεύει τὸ στόμα. Καὶ χυλὸν ἅλμης ἐμβαλοῦσα τοῖς ἔσω Τὰ ξηρὰ ῥευστροῖς ἐξεφόρτωσεν βάρη. (Saluagnius.) Sed cum Callimachi Ibis perierit, incertum est num hanc is foeditatem uolucris insectatus sit: neque id in Ouidii uerbis inest. Nam aquam proicere qua corpus lauetur munditiae est, aquam uero nonnisi puram ibes bibere testatur Aelianus H. A. vii. 45. **451. ille.** Scholiasta dicit Menedemum quendam heroa Troianum pluribus cultris ibi interfectum fuisse: idque narrasse Callimachum. Plerique post Domitium de Osiri locum intelligunt qui in quattuordecim (Plut. de Isid. 18) uel uiginti sex partes a Typhone discerptus fuerit (Diod. i. 21): sed ab huius sacris cultros abfuisse auctorem non afferunt, quamquam id uero similius fit quod nomen Osiridis in tali re proferre relligio fuit, Hdt. ii. 132, 171. An Neoptolemus potius significatur quem Delphis ante aram Apollinis sacrificantem populus Delphicus uel sacerdos Machaereus cultris interfecit? Schol. Pind. N. vii. 62 Φασὶ τοῦ Νεοπτολέμου θύοντος τοὺς Δελφοὺς ἁρπάζειν τὰ θύματα, ὡς ἔθος αὐτοῖς· τὸν δὲ Νεοπτόλεμον δυσανασχέτως ἔχοντα διακωλύειν· αὐτοὺς δὲ διαχρήσασθαι αὐτὸν ξίφη ἔχοντας. Certe ab inferiis eius qui cultris perierat (μαχαίραις) merito amouendus erat culter. **452. culter.** Spartianus Vit. Hadrian. 13 *Et in Achaia quidem etiam illud obseruatum ferunt quod cum in sacris multi cultros haberent cum Hadriano nullus armatus ingressus est.* Philostrat. Vit. Apollon. 342 Οὔπω ὑπὲρ αὐτῶν ἔθυσα, οὐδ' ἂν θύσαιμι οὐδὲν, οὐδ' ἂν θίγοιμι ἱερῶν ἐν οἷς αἷμα, οὐδ' ἂν εὐξαίμην ἐς μάχαιραν βλέπων ἢ θυσίαν. **453. Attonitus** furore percitus 'with fury rapt' T. Vnderdown. **454. uilia membra** (F. iv. 244, Tib. i. 4. 70), per euphemismum posuit ut significaret *uirilia.* Lact. v. 11 *in obscenam prorumpere uilitatem.* Galli, sacerdotes Cybelae, dum uirilitatem sibi exsecant, **uilia membra** h. e. in contemptu se habere testabantur. **modos** tibiarum. **455. Deque uiro** exuta uirilitate quae tibi prius fuit. M. ix. 744 *puerum de uirgine,* A. A. ii. 564 *De duce terribili factus amator erat.* **nec femina nec uir.** Cat. lxiii. 27 *notha mulier* 69 *ego mei pars, ego uir*

sterilis ero, eunuchus et ἡμίθηλυς. Val. Max. vii. 7. 6 de Gallo. *Genucium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus* neque uirorum neque mulierum *numero haberi debere* [Saluagn.], ubi locum Ouidii fortasse recordatus est. Gloss. Bodl. Auct. T. ii. 24 *Androgyneca hermafroditus hoc est* nec uir nec mulier. 'That thou of man (as Atis did) ne man nor mayd mayst stand: And that thou mayest learn to play on Timbrelles with thy hand' T. Vnderdown. **457. pecus** leones famulos Magnae matris. Hinc ταυροκτόνων λεόντων ἔφεδρος dicitur Ge Soph. Phil. 400. Vide me ad Cat. lxiii. 76. **parentis**. Aen. x. 252 *Alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi.* **458. Victor** Hippomenes. **uicta** Atalanta. Hyg. 185 *Hanc cum in patriam duceret* (Hippomenes), *oblitus beneficio Veneris se uicisse grates ei non egit. irata Venere in monte Parnaso cum sacrificaret Ioui uictori, cupiditate incensus cum ea in fano concubuit. quos Iuppiter ob id factum in leonem et leam conuertit, quibus dii concubitum Veneris denegant.* Idem sacrilegium Comaetho et Melanippum in templo Dianae Triclariae fecisse tradit Pausanias vii. 19. 2. **pede** struendum cum **uictor uictaque** h. e. qui uicit pedum pernicitate et ea quam sic uicit. **459.** Eadem supra 335, 6. Rem narrant Aeschines Timarch. 182, Heraclides Ponticus Πολιτ. fr. 3, Diod. viii. 24, Apostol. ix. 7, xiv. 10, Diogen. iii. 1, Arsen. xxxi. 53, Nicolaus Damasc. fr. 51 Müller, Suidas s. u. Ἱππομένης et πάριππον. Schol. Aeschin. Timarch. 281 haec dicit Ἱππομένης ἀπὸ Κοδροῦ καταγόμενος· ἡ δὲ θυγάτηρ Λειμωνίς· οὕτω Καλλίμαχος. **Limone** sic uocata est ap. Heraclid. Pont. fr. 3: Callimacho Limonis. **ne senserit** cum tu post eam sis idem sensurus. **illam.** In prouerbium abierat Ἱππομένους ἀσεβέστερος. **460. carpat** laniet. Aesch. Tim. 182 Ἀνὴρ εἷς τῶν πολιτῶν εὑρὼν τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα διεφθαρμένην καὶ τὴν ἡλικίαν οὐ καλῶς διαφυλάξασαν μεχρὶ γάμου, ἐγκατῳκοδόμησεν αὐτὴν μεθ' ἵππου εἰς ἔρημον οἰκίαν, ὑφ' οὗ προδήλως ἔμελλεν ἀπολεῖσθαι διὰ λιμὸν συγκαθειργμένη. **461. Cassandreus** quisquis est idem uidetur esse qui cum Alexandro Pheraeorum tyranno iungitur Pont. ii. 9. 43 *Non tibi Cassandreus pater est gentisue Pheraeae Quiue repertorem torruit arte sua.* Vtrobique *Cassandrus* in optimis codd. scriptum est. Sed Cassandrus, quamquam crudelissime saeuiit in domum Alexandri, morbo, non ui, exstinctus est, ἐπλήσθη γὰρ ὑδέρῳ, καὶ ἀπ' αὐτοῦ ζῶντι ἐγένοντο εὐλαί (Paus. ix. 7. 2) Heinsius ad Pont. ii. 9. 43 *Cassandreus* et ibi et in hoc Ibidis loco legit, quod interpretatur de Apollodoro, tyranno Cassandreae, qui tamquam crudelissimus cum Phalaride et Hieronymo apud Polyb. vii. 7, cum Dionysio Nabide Clearcho ap. Aelian. H. A. v. 15, cum Phalaride ap. Senecam de Ira ii. 5, de Benef. vii. 19, Cic. de N.D. iii. 33. 82 numeratur. Cf. Polyaen. vi. 7, Diod. xxii. 5, Plut. de Sera Num. Vind. xi οἱ καταθύοντες ἀνθρώπους ἐπὶ τυραννίσι καὶ συνωμοσίαις ὡς Ἀπολλόδωρος: nam Apollodorus firmamentum tyrannidis Callimelen iuuenem dis immolarat eiusque uiscera, simul sanguinem uino mixtum coniurantibus secum hauriendum obtulerat, quo magis sibi fidos adtineret. **Cassandreus** est ὁ Κασσανδρεὺς, quo nomine uidetur dictus a Polyaeno vi. 7: cf. Ael. H. A. v. 15 τὸν Κασσανδρέων λευστῆρα. Hic qua morte perierit, non constat: nam ex Plutarchi uerbis De Sera Num. Vindicta x φασὶν Ἀπολλόδωρόν ποτε κατὰ τοὺς ὕπνους ὁρᾶν ἐκδερόμενον ἑαυτὸν ὑπὸ Σκυθῶν, εἶτα καθεψόμενον, τὴν δὲ καρδίαν ἐκ τοῦ λέβητος ὑποφθεγγομένην καὶ λέγουσαν· Ἐγώ σοι τούτων αἰτία, nihil elicias, cum haec de somnio tantum dicantur. Licebit tamen uersum et de Ptolemaeo Ceranno interpretari. Nam hic Cassandreae dominus cum dolo factus esset, ac sororis Arsinoae filios *in gremio eius inter ipsa oscula* trucidasset (Justin xxiv. 3), *dis inmortalibus tot periuria et tam cruenta parricidia uindicantibus breui post a Gallis* in acie *multis uulneribus saucius capitur* (ib. 5). Cuius etsi *caput amputatum et lancea fixum* est (ib.) potuit tamen saucium corpus *ingesta humo contumulari.* Et sane melius sic dicitur **Cassandreus** h. e. Ptolemaeus,

et ipse dominus Cassandreae, **domino non mitior illo** h. e. noto illo et infami Apollodoro, qui praeter ceteros meruit Cassandreus uocari. **462. ingesta** supra cumulata. M. v. 346 *Vasta Giganteis ingesta est insula membris Trinacris.* **463. Abantiades** Perseus filius Danaes, cui pater Acrisius, auus Abas, Apollod. ii. 2. 1. Danaen *pater ob stuprum inclusam in arca cum Perseo in mare deiecit. ea uoluntate Iouis delata est in insulam Seriphum* Hyg. 63. Fabulam narrauit Simonides notissimo carmine fr. 37 Bergk Ὅτε λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ κ.τ.λ. **Cygneius** uel ut alii codd. **Lyrnesius heros** est Tenes. Diod. v. 83. 4 Κύκνον φασι τὸν πατέρα πιστεύσαντα γυναικὸς διαβολαῖς ἀδίκοις τὸν υἱὸν Τένην εἰς λάρνακα ἐνθέντα καταποντίσαι· ταύτην δὲ ὑπὸ τοῦ κλύδωνος φερομένην προσενεχθῆναι τῇ Τενέδῳ, καὶ τὸν Τένην παραδόξως σωθέντα θεῶν τινος προνοίᾳ τῆς νήσου βασιλεῦσαι. Heraclid. Pontic. p. 213 Müller. Tenedos Lyrnesos dicta Plin. v. 140. Pausanias ubi rem narrat x. 14 dicit Tenen cum sorore Hemithea, fraude nouercae Phylonomes, quae Tenen frustra amaret, in arcam coniectos: et sic Lycophron 231, cf. 235 λαρνακοφθόρους ῥιφάς. **465. Victima macteris** cf. 398 *uictima caesus.* Liu. xxxix. 10 *Vt quisque introductus sit* (in Bacchanal) *uelut uictimam tradi sacerdotibus.* ib. 13 *Si qui minus patientes dedecoris sint . . . pro uictimis immolari.* **sacras** 'of sacrifice,' ubi sacrificatur. Sic *uictoria sacra* Pont. iv. 9. 30. **466. saeuo** proprie de tyrannis. Iuuen. x. 307 *saeua castrauit in arce tyrannus.* **hoste** Apollodoro, qui ut Cassandreae tyrannidem securius occuparet μειράκιον Καλλιμέλη συναρπάσας καὶ θύσας ἐπέστησεν αὐτῷ μάγειρον Λεοντομέλη. Οὗτος δειπνοποιήσας τὰ σπλάγχνα παρέθηκε τοῖς συνωμόταις· ὧν δειπνησάντων καὶ πιόντων τὸ αἷμα οἴνῳ μέλανι μεμιγμένον, ἔδειξεν αὐτοῖς τὸ σῶμα, τῇ κοινωνίᾳ τοῦ μιάσματος ἐμπεδῶν τὸ πιστὸν τῆς ἐπιθέσεως. Polyaen. vi. 7, cf. Diod. xxii. 5. Hunc iuuenem Theodotum poeta appellat, facili errore. Nam Theodotus in eodem loco Polyaeni dicitur is qui auctor fuerat ut Apollodorus satellites a populo acciperet, ipso obstante: unde nomen ad Callimelen tralatum existimo. Nisi forte, quod Saluagnius opinatus est, et Callimelen et Theodotum mactauit Apollodorus. Alii Theodotum intelligunt cuius mentionem fecit Liuius xxiv. 5. Cum aliis coniurauerat in Hieronymum, Siciliae per tredecim menses tyrannum, *traditusque Andranodoro torquendus, postremo cum omnibus intolerandis patientiae humanae cruciatibus laceraretur, uictum malis se simulans auertit ab consciis in insontes iudicium.* Hunc Theodorum Val. Maximus appellat iii. 3. 5. *Rupit etiam uerbera, fidiculas laxauit, soluit eculeum, laminas extinxit prius quam efficere potuit ut tyrannicidii conscios indicaret.* Sed hunc ad aras Phoebi mactatum fuisse nemo tradidit: certe idem postea tamquam uiuus memoratur cum Soside Liu. xxiv. 21. Non credo intelligi Theodotum illum Pythagoreum de quo Clem. Alex. Strom. 213 S. dicit cum tormentis adigeretur ut arcanum aliquid proderet στρεβλούμενον καρτερῆσαι, nec Ciceronianum illum Theodorum Tusc. Disp. i. 43. 102. **467. deuoueat certis Abdera diebus.** De hoc more Abderitarum de quo scripserat Callimachus, si fides Scholiastae, nihil aliunde compertum habuit K. F. Hermann in libello quem de Abdera peculiarem scripsit (Gesammelte Abhandlungen p. 109) ita tamen ut crederet ad Apollinis cultum, cuius figura in numis Abderitanis exstet, posse eum pertinere. Lactantius ad Stat. Theb. x. 793, citatus a Const. Fanensi, *lustrare* inquit *ciuitatem humana hostia Gallicus mos est. nam aliquis de egentissimis pelliciebatur praemiis ut se ad hoc uenderet. qui anno toto publicis sumptibus alebatur purioribus cibis. denique* certo *et* sollemni die *per totam ciuitatem, ductus ex urbe, extra pomeria* saxis *occidebatur a populo:* idem de Massiliensibus tradit Seruius ad Aen. iii. 57. Vide Buechelerum ad Petron. fr. i. Athenis autem φαρμακοὺς duos sacrificatos fuisse Thargeliis constat ex Arist. Eq. 1140, Ran. 733: cf. Suid. et Hesych. s. u. Φαρμακοί,

Tzetz. Chil. v. 726, Harpocrat. s. u. Φαρμακός: idque usitatum fuisse apud Ionas liquet ex Hipponactis fragm. 4–9, fortasse etiam 85, sicut de Macedonibus idem significat Curt. viii. 7. 28. Equidem suspicor fuisse qui dicerent Democritum Abderitanum, ciuibus suis peste correptis hoc modo opitulatum isse. Nam Apollonius Tyaneus cum Ephesios morbo diu laborantes sic sanasset ut senem egenum in theatro tamquam dis inuisum iuberet interficere, hic autem sub monte quodam lapidum obrutus in canis Molossi mortuam speciem abisset, accusatus Apollonius apud Philostratum haec dicit § 339 ed. Kayser *Τίς δ' ἂν σοφὸς ἐκλιπεῖν σοι δοκεῖ τὸν ὑπὲρ πόλεως τοιαύτης ἀγῶνα, ἐνθυμηθεὶς μὲν Δημόκριτον ἐλευθερώσαντα λοιμοῦ ποτε Ἀβδηρίτας, ἐννοήσας δὲ Σοφοκλέα τὸν Ἀθηναῖον, ὃς λέγεται καὶ ἀνέμους θέλξαι τῆς ὥρας ὑπερπνεύσαντας, ἀκηκοὼς δὲ τὰ Ἐμπεδοκλέους, ὃς νεφέλης ἄνεσχε φορὰν ἐπ' Ἀκραγαντίνους ῥαγείσης*; ubi quae de Democrito Sophocle Empedocle leguntur alibi non commemorari confirmat Kayserus. **468. grandine plura.** Pont. iv. 7. 34 *Saxaque brumali grandine plura subis.* Nux 132 *Saxa nouos fructus grandine plura petunt.* M. v. 158 *tela uolant hiberna grandine plura.* **470. satus Hipponoo** Capaneus *Hipponoi filius* Hyg. 70. id. 68 *Capaneus quod contra Iouis uoluntatem Thebas se capturum diceret cum murum ascenderet, fulmine est percussus.* Sept. contra Theb. 444, Antig. 135, Phoen. 1180 *Ἤδη δ' ὑπερβαίνοντα γεῖσα τειχέων Βάλλει κεραυνῷ Ζεύς νιν.* **Dexionesque pater** Aesculapius. Etym. M. 434. 15 *Ἤπιος· οὕτως πρότερον ἐκαλεῖτο ὁ Ἀσκληπιός· ᾧ καὶ γυναῖκα παραδίδωσιν* (?*παραδιδόασιν*) *Ἠπιόνην, ἐξ ἧς αὐτῷ γενέσθαι Ἰάσονα, Πανάκειαν, Δεκτιόνην·* (libri *Δεκτίων ἐν*) *ὑπομνήματι Λυκόφρονος.* Nam Dectionen siue Dexionen nomen tertiae Aesculapii filiae esse recte intellexit Kinkel Lycoph. p. iv: cui rei etiam illud suffragari iudico quod Sophocles, teste eodem Etymologo 256. 6, cum Aesculapium hospitio excepisset, post mortem *ἡρῴῳ* sub nomine Dexionis colebatur, quasi filius ac Dexiones frater. Merito autem cum Capaneo coniungitur Aesculapius, nam Aesculapium fulminauit Iuppiter quod in uitam Capaneum et Lycurgum reduxisset, uti tradiderat Stesichorus ap. Apollod. iii. 10. 3, Philodem. *περὶ Εὐσεβείας* p. 52, Gompertz (Bergk ad Stesich. fr. 16). Hesiod. fr. 101 Markscheffel *πατὴρ δ' ἀνδρῶν τέ θεῶν τε Χώσατ' ἀπ' Οὐλύμπου δὲ βαλὼν ψολόεντι κεραυνῷ Ἔκτανε Λητοΐδην.* (2) Anonymus in Westermanni Mythographis p. 374 haec habet *Φόρβας Θέσπρωτος Δημητρὸς ἐρασθεὶς καὶ βιαζόμενος τὴν θεὸν ὑπὸ Διὸς ἐκεραυνώθη.* At Achelous uocatus est is amnis qui ante Phorbas fuit (Cephalion fr. 8, Mueller Hist. Graec. Fragm. iii. p. 631); et Phorbas nomen Aetolum (Apollod. i. 7. 7, Steph. B. s. u. *Δεξαμεναί*). Iam Acheloi filiae Sirenes, quarum una Thelxiopeia (Eustath. 1709, Tzetz. ad Lyc. 712) siue Thelxiope (Hyg. 1, Schol. Ap. R. iv. 892) siue denique Thelxinoe (Schol. Ap. R. l. c. Anonym. de Vlixis error. 7 in Westerm. Mythog. p. 337 *Σειρῆνας ὑποληπτέον τὰς θελξίνους καὶ ἀπατηλὰς ἡδονάς*) quod nomen in *Dexione* quod habet G latere potuit. Patrem autem Sirenum a quibusdam fulminatum dici quis miretur, qui meminerit eas ex matre *Sterope* natas esse (Schol. Od. xii. 39, Eustath. 1709, Apollod. i. 7. 10), *σειρῆνας* autem Eustathium secutus reuocet ad *σειριᾶν ἀστράπτειν λάμπειν*? Prior tamen explicatio praeferenda est. **471. soror Autonoes** Semele Hyg. 179. **cui matertera Maia** Iasion filius Electrae, sororis Maiae. (Alciatus Parerg. vi. 21.) Apollod. iii. 12. 1 *Ἠλέκτρας δὲ τῆς Ἄτλαντος καὶ Διὸς Ἰασίων καὶ Δάρδανος ἐγένοντο. Ἰασίων μὲν οὖν, ἐρασθεὶς Δημητρὸς, καὶ θέλων καταισχῦναι τὴν θεόν, κεραυνοῦται.* Od. v. 125 *ὡς δ' ὁπότ' Ἰασίωνι εὐπλόκαμος Δημήτηρ, Ὧι θυμῷ εἴξασα, μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ Νειῷ ἔνι τριπόλῳ· οὐδὲ δὴν ἦεν ἄπυστος Ζεὺς, ὅς μιν κατέπεφνε βαλὼν ἀργῆτι κεραυνῷ.* Dionys. i. 61 *Ἴασος ἐν τῇ νήσῳ (Σαμοθράκῃ) κεραυνῷ πληγεὶς τελευτᾷ Δήμητρος εὐνὴν ὀριγνώμενός οἱ ἔχειν.* Vide Heynium ad Apollod. l. c. et Lobeckii Aglaoph. 1222. Potest etiam de Oenomao explicari, Martis et

Steropes Atlantidis filio, cuius domus fulmine arsit, unde Ceraunii Iouis ara in Olympia dicta est Paus. v. 14. 7 (Alciatus l. c.). **472. qui male rexit equos** Phaethon. Plat. Tim. 22 Ὡς ποτε Φαέθων Ἡλίου παῖς τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας διὰ τὸ μὴ δυνατὸς εἶναι κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν τά τ' ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε καὶ αὐτὸς κεραυνωθεὶς διεφθάρη. **473. Aeolides** Salmoneus. Hyg. 61 *Salmoneus Aeoli filius Sisyphi frater cum tonitrua et fulmina imitaretur Iouis, sedens quadrigam faces ardentes in populum mitteret et ciues, ob id a Ioue fulmine est ictus.* Aen. vi. 585–594, Val. Fl. i. 662–665. **sanguine natus eodem** uidetur esse unus ex filiis Lycaonis, cui ἐπὶ τῷ γένει πάντι τῷ ἄρσενι θυγάτηρ ἐγένετο Καλλιστώ (Paus. viii. 3. 6), fortasse is qui natu maximus erat, Maenalus: huius enim consilio (Apollod. iii. 8. 1, Tzetz. Lyc. 481) Lycaon et filii *Iouem tentare* uolentes *deusne esset carnem humanam cum cetera carne commiscuerunt idque in epulo ei apposuerunt. qui postquam sensit iratus mensam euertit, Lycaonis filios fulmine necauit. eo loco postea Arcas oppidum communiuit quod* Τραπεζοῦς *nominatur.* Hyg. 176. Quibus ex uerbis Hygini apparet cur poeta mentionem Callistus iniecerit: Callisto enim mater Arcadis, qui oppidum Trapezunta in monumentum auiti facinoris exstruxit. Vide tamen Scholia et quae ibi adnotaui. **474. liquidis quae caret Arctos aquis.** Hyg. 177 *Callisto Lycaonis filia ursa dicitur facta esse ob iram Iunonis quod cum Ioue concubuit. Postea Iouis in stellarum numerum retulit, quae Septentrio appellatur, quod signum loco non mouetur neque occidit. Tethys enim Oceani uxor nutrix Iunonis prohibet eam in Oceanum occidere.* **475, 6.** Historia ignota, nec multum prosunt scholiastae, quamuis Nicandrum testificentur, fr. 116 ed. O. Schneider. Hos si sequimur, ad Telchinas redit narratio: sed nihil de Macelone dicit Lobeckius in iis quae de Telchinibus scripsit Aglaoph. pp. 1181 sqq., neque a Scholiis probabilem historiam elicias. Ne illud quidem constat fueritne uerum nomen mulieris *Macelo:* quamquam enim sic scriptum est in G T, ceteri *Macedo* exhibent, et *iactus* uel *ictus*, non *icta est.* Putauit Burmannus ad Lycaonis stirpem etiam Macedonem reuocandum esse, atque est *Macednus* inter filios Lycaonis quos recenset Apollodorus iii. 8. 1. Sed nihil de hoc cum coniuge combusto inueni: neque Ouidii uerba illustrant quae de alterius Lycaonis, regis Emathiae, filio Macedone tradunt Aelianus H. A. x. 48, Steph. B. s. u. Ὤρωπος. Erat ubi crederem Orpheum significatum. Nam Orpheus Macedoniae rex dicitur a Conone 45 et a quibusdam ferebatur fulmine periisse. Paus. ix. 30 Εἰσὶ δὲ οἵ φασι κεραυνωθέντι ὑπὸ τοῦ θεοῦ συμβῆναι τὴν τελευτὴν Ὀρφεῖ· κεραυνωθῆναι δὲ αὐτὸν τῶν λόγων ἕνεκα ὧν ἐδίδασκεν ἐν τοῖς μυστηρίοις οὐ πρότερον ἀκηκοότας ἀνθρώπους. Ἄλλοις δὲ προειρημένον ἐστὶν ὡς προαποθανούσης οἱ τῆς γυναικὸς ἐπὶ τὸ Ἄορνον δι' αὐτὴν τὸ ἐν τῇ Θεσπρωτίδι ἀφίκετο. Anth. P. vii. 617 Θρήϊκα χρυσολύρην τῇδ' Ὀρφέα Μοῦσαι ἔθαψαν, Ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει, quod ad u. 470 citat Zarottus. *Macedon* pro *uir Macedon* potuit sic dici ut a Lucano viii. 694 *Macedon* Alexander Magnus uocatus est. Coniugem cum Orpheo ideo fingas peremptam, quod mysteria cum eo simul diuulgauerit. Quod si uoluit poeta, duos Orphei nomine, priorem Oeagri filium Eurydicae maritum (482, 600), qui fuit πολλῷ προγενέστερος τοῦ ὑστέρου (Eustath. ad Il. 359, cf. Schol. Ap. R. i. 23), alterum hunc Macedonem, finxit: quod sane non est uerisimile. Melius fortasse conicias Macedonem quem γηγενῆ Scymnus 630 appellat additque Macedoniam rexisse, cum ceteris Gigantibus bellum dis inferentem fulmine percussum fuisse: certe in Phlegra Macedoniae, quae postea Pallene fuit, Gigantas fulminatos tradunt Apollod. i. 6. 1–3, Pind. Nem. i. 67, Lyc. 127, 1404, 1408, Val. Fl. ii. 16 sqq. **rapidis flammis** ut Pont. iv. 8. 29 *tura feram rapidis sollemnia flammis* h. e. celeriter corripientibus et ui sua haurientibus. **476. uindicis igne.** Pont. iv. 8. 59 *Gigantas Ad Styga nimbifero* uindicis igne *datos.* **477. illis canibus.**

Canes circa templa et τεμένη deorum alebantur ut in Aetna Siciliae (Ael. H. A. xi. 3) et Adrano (Ael. H. A. xi. 20), ubi in templo dei cognominis alebantur non minus mille, qui interdiu blandiebantur adeuntibus, noctu ebrios uel aberrantes ducebant, furantes nonnunquam dilaniabant. **478. Ante diem rapto Traso** quod Trasum inmatura morte absumpserunt : sic enim constanter *ante diem* usurpauit Ouidius Her. ii. 8, A. A. i. 184, M. i. 148, Nux 94 ; idque iam olim monuit Domitius. 'sith they kilde Thrasus before his time' T. Vnderdown. Schol. tamen de nocte interpretatur, tamquam Trasus lumen accendens in templo a canibus deuoratus fuerit, idque uidetur probare Meinekius Anal. Alex. p. 17. Cf. quae ad 595 attuli. Hyg. 247 inter eos qui a canibus consumpti sunt ponit Thasium. *Thasius Delo, Anii sacerdotis Apollinis filius; ex eo Delo nullus canis est.* Strab. 486 οὐκ ἔξεστι δὲ οὐδὲ κύνα ἐν Δήλῳ τρέφειν. **479. speculantem** Actaeona. Hyg. 181 *Diana cum in ualle opacissima cui nomen est Gargaphia aestiuo tempore fatigata ex assidua uenatione se ad fontem cui nomen est Parthenius perlueret, Actaeon Cadmi nepos, Aristaei et Autonoes filius, eundem locum petens ad refrigerandum se et canes quos exercuerat feras persequens, in conspectum deae incidit: qui ne loqui posset, in ceruum ab ea est conuersus. ita pro ceruo laceratus est a suis canibus.* **labra** balneum. F. iv. 761 *Nec Dryadas, nec nos uideamus labra Dianae.* **480. Crotopiaden** Κροτωπιάδην Callim. fr. 315 nepotem Crotopi, Psamathes ex Phoebo filium. Stat. Theb. i. 570 sqq. **diripuere** Stat. Theb. i. 587 *uiridi nam caespite terrae Proiectum temere et patulo caelum ore trahentem Dira canum rabies mortu depasta cruento Dissicit.* Rem narrat Conon 19: cf. Welcker Gesammelte Schriften i. p. 16. **481. angue.** Verg. G. iv. 457 *Illa quidem* (Eurydice) *dum te fugeret per flumina praeceps Inmanem ante pedes hydrum moritura puella Seruantem ripas alta non uidit in herba.* **482. senis** τοῦ παλαιοῦ, nescio an respectu iunioris Oeagri qui ἐγένετο ποιητὴς μετ' Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον Ael. V. H. xiv. 21. Sic ap. Statium S. v. 3. 151 Hesiodus ac Theocritus uocantur *Ascraeus Siculusque senex:* cf. O. Iahn ad Pers. i. 124. Prior ille Oeagrus ad heroica redit tempora, et cum una Musarum concubuit (Prop. ii. 30. 35). **Oeagri Calliopesque** Anth. P. vii. 10. 1 Καλλιόπης Ὀρφῆα καὶ Οἰάγροιο. Hyg. 14 *Orpheus Oeagri et Calliopes Musae filius.* Apoll. R. i. 23 Πρῶτά νυν Ὀρφῆος μνησώμεθα, τόν ῥά ποτ' αὐτὴ Καλλιόπη Θρήικι φατίζεται εὐνηθεῖσα Οἰάγρῳ σκοπιῆς Πιμπληίδος ἄγχι τεκέσθαι. **483. puer Hypsipyles.** Hyg. 74 *Septem ductores qui Thebas oppugnatum ibant deuenerunt in Nemeam ubi Hypsipyle Thoantis filia in seruitute puerum Archemorum siue Ophelten Lyci regis filium nutriebat. Cui responsum erat, ne in terra puerum deponeret, antequam posset ambulare. ergo ductores septem, qui Thebas ibant, aquam quaerentes deuenerunt ad Hypsipylen eamque rogauerunt ut eis aquam demonstraret. illa timens puerum in terra deponere, apium altissimum erat ad fontem, in quo puerum deposuit. quae dum aquam eis tradit, draco fontis custos puerum exedit.* Stat. Theb. iv. 719–722. **caua.** Homerus equum durateum κοῖλον λόχον appellat Od. iv. 277. **primus** Laocoon Aen. ii. 41, 50. **484. suspecti** Aen. ii. 36 *Danaum insidias suspectaque dona.* **robora** Aen. ii. 229 *scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide* robur Laeserit. **485. gradus** κλίμακος. **Elpenore.** Od. x. 552 Ἐλπήνωρ δέ τις ἔσκε νεώτατος, οὔτε τι λίην Ἄλκιμος ἐν πολέμῳ οὔτε φρεσὶν ᾗσιν ἀρηρώς, Ὅς μοι ἄνευθ' ἑτάρων ἱεροῖς ἐν δώμασι Κίρκης, Ψύχεος ἱμείρων, κατελέξατο οἰνοβαρείων. Κινυμένων δ' ἑτάρων ὅμαδον καὶ δοῦπον ἀκούσας Ἐξαπίνης ἀνόρουσε, καὶ ἐκλάθετο φρεσὶν ᾗσιν Ἄψορρον καταβῆναι ἰὼν ἐς κλίμακα μακρήν, Ἀλλὰ καταντικρὺ τέγεος πέσεν· ἐκ δέ οἱ αὐχὴν Ἀστραγάλων ἐάγη, ψυχὴ δ' Ἀϊδόσδε κατῆλθεν. **486.** Elpenor de se dicit Od. xi. 61 Ἀσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος. **487. quisquis** ad

arma uocantem. Apollod. ii. 7. 7 Διεξιὼν δὲ Ἡρακλῆς τὴν Δρυόπων χώραν, ἀπορῶν τροφῆς, ἀπαντήσαντος Θειοδάμαντος βοηλατοῦντος τὸν ἕτερον τῶν ταύρων λύσας εὐωχήσατο. ὡς δὲ ἦλθεν εἰς Τραχῖνα πρὸς Κήυκα, ὑποδεχθεὶς ὑπ' αὐτοῦ Δρύοπας κατεπολέμησεν. αὖθις δὲ ἐκεῖθεν ὁρμηθεὶς Αἰγιμίῳ βασιλεῖ Δωριέων συνεμάχησε. Idem narrat Apollonius i. 1213–1219, ubi scholiasta rem sic explicat: Herculem cum in Dryopiam uenisset, quae regio est contermina Maliis, ut Hyllo filio et Lichae fame confectis suppetias iret, a Thiodamante cibum petiisse, neque ab eo tulisse. qua re indignatum unum ex bubus Thiodamantis mactasse, mox Thiodamantem uenisse cum suis et in tantum periculi adduxisse Herculem ut uxor eius Deianira arma pro uiro contra Dryopas sumeret: donec uicti tandem sedes mutarent, Thiodamas autem filium Hylan obsidem Herculi daret. **488. inhumanum** 'churlish,' inhospitalem quia Hercules βοῦν ἀρότην ἤνωγε παρασχέμεν οὐκ ἐθέλοντα. Ap. R. i. 1217. **Dryops** nomen gentis, ut Aethiops. *Dymans* quod exhibet Conr. de Mure fortasse ex uet. codice, licet ex Steph. Byz. s. u. Δυμᾶνες interpretari. Αἰγίμιος ἦν τῶν περὶ τὴν Οἴτην Δωριέων βασιλεύς. ἔσχε δὲ δύο παῖδας Πάμφυλον καὶ Δυμᾶνα, καὶ τὸν τοῦ Ἡρακλέους Ὕλλον ἐποιήσατο τρίτον, χάριν ἀποδιδοὺς ἀνθ' ὧν Ἡρακλῆς ἐκπεπτωκότα κατήγαγεν. *Dymans* i. q. Dymanes, h. e. tribus uel natio eorum qui a Dymane orti sunt. Hi finguntur *uidisse* (sic enim legit Mure) **Thiodamanta in arma uocantem** suos, atque ipsi bellum pro Hercule cientes **domiti** fuisse: neque id sane abhorret ab iis quae a Schol. Apollonii traduntur. **489. ferus.** Aen. viii. 194 *semihominis Caci*, 267 *semiferi*. Ouidius *monstrum* appellat F. i. 554. **mactatus** claua F. i. 575, Prop. iv. 9. 15, 17. **antro** Aen. viii. 217, Prop. iv. 9. 9. Speluncam dicunt Vergilius Aen. viii. 192, Ouidius F. i. 555. **490. inclusae** Aen. viii. 217 *Reddidit* una boum *uocem* uastoque sub antro *Mugiit et Caci spem custodita fefellit*. **ab ore** ut *uiolatus ab arcu* Pont. iii. 5. 45, *tabulae feriuntur ab undis* Trist. i. 2. 47 et saepius ap. Ouidium (Dräger i. p. 508). **491. qui** Lichas. **dona** Deianirae ad Herculem. **Nesseo.** Hyg. 36 *memor* Nessei *praecepti* (Deianira) *uestem* tinctam *Centauri sanguine Herculi qui ferret, nomine Licham famulum misit*. **ueneno.** Moriens Nessus Deianiram iusserat semen ab ipso humi profusum, cum eam iam iam uiolaturus esset, sanguine uulneris miscere quo ab Hercule affectus esset. Apollod. ii. 7. 6 Εἶπεν εἰ θέλοι φίλτρον πρὸς Ἡρακλέα ἔχειν, τόν τε γόνον ὃν ἀφῆκε κατὰ τῆς γῆς καὶ τὸ ῥυὲν ἐκ τοῦ τραύματος αἷμα συμμῖξαι. Cf. Diod. iv. 36, Soph. Trach. 714–717, 831–833: et uide Wunderum ad Trach. p. 40. **492. nomine fecit** ex G restitui. Ablatiuus uidetur esse is qui in F. iii. 88 *Mensis in his etiam nomine Martis erit*, ii. 436 *Iunonis magnae nomine lucus erat*. Intelligitur Lichas petra (M. ix. 226, Hyg. 36) siue Lichades insulae (Strab. 426, Plin. iv. 62). **493. praecipiti saxo.** Callimachus dicit ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος, Agathias A. P. xi. 354. 18 τεγέων, Cicero Pro Scauro § 4 *ex altissimo muro*, Tusc. Disp. i. 34. 84 *e muro in mare*, Lactantius iii. 18 *praecipitem se dedit*. **494. qui** Cleombrotus. Callimachus in A. P. vii. 471 Εἴπας Ἥλιε χαῖρε Κλεόμβροτος ὡμβρακιώτης Ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς Ἀίδην, Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακόν, ἢ τὸ Πλάτωνος Ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος. Agathias A. P. xi. 354. 17 Εἰ δ' ἐθέλεις, τὸν παῖδα Κλεόμβροτον Ἀμβρακιώτην Μιμοῦ, καὶ τεγέων σὸν δέμας ἐκχάλασον. Cic. Tusc. Disp. i. 34. 84 *Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est: quem ait, quom ei nihil accidisset aduersi, e muro se in mare abiecisse lecto Platonis libro.* Pro Scauro § 4 *At Graeculi quidem multa fingunt, apud quos etiam Cleombrotum Ambraciotam ferunt se ex altissimo praecipitasse muro, non quo acerbitatis accepisset aliquid, sed, ut uideo scriptum apud Graecos, cum summi philosophi Platonis grauiter et ornate scriptum librum de morte legisset, in quo, ut opinor, Socrates illo ipso die, quo erat ei moriundum, permulta disputat, hanc esse mortem quam nos uitam putaremus,*

cum corpore animus tamquam carcere saeptus teneretur, uitam autem esse eam, cum idem animus uinclis corporis liberatus in eum se locum unde esset ortus retulisset. **opus** Platonis Phaedonem. Suidas s. u. Ἄρατος dicit Aratum scripsisse Ἐπικήδειον Κλεομβρότου. **495. qui**, Aegeus, Cat. lxiv. 241–244, Stat. Theb. xii. 624–6, Diod. iv. 61, Paus. i. 22, Hyg. 242. **496. puer**, Astyanax, quem de Troiae muris praecipitauit Hector, ut narrauit Lesches in Parua Iliade fr. 18 Kinkel Αὐτὰρ Ἀχιλλῆος μεγαθύμου φαίδιμος υἱὸς Ἑκτορέην ἄλοχον κάταγεν κοίλας ἐπὶ νῆας· Παῖδα δ' ἑλὼν ἐκ κόλπου ἐϋπλοκάμοιο τιθήνης Ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ πύργου· τὸν δὲ πεσόντα Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταίη. Cf. Sen. Troad. 1069–1118. **497, 498.** 'Or she who aunt and nurse was bothe to Bacchus youthfull boye, Or he to whom thinuented sawe, was losse of lyuely Joy.' T. Vnderdown. **497. teneri** infantis. **nutrix eadem matertera Bacchi** Ino soror Semeles Hyg. 179, quae, cum Semele fulmine periisset, filium eius Bacchum accepit nutriendum; propter quod irata Iuno insaniam ei ac marito Athamanti iniecit, ut hic natum suum Learchum tamquam ceruum necaret, Ino alterum natum Melicertam incenso lebeti imponeret, dein cum eo in mare desiliret: unde ipsa Leucothea, natus Palaemon uocitati, Apollod. iii. 4. 2. **498. cui** Perdix (Hyg. 39, 244, 274, Seru. ad G. i. 143) siue Talos (Apollod. iii. 15. 9, Diod. iv. 76. 4) filius sororis Daedali. Apollod. iii. 15. 9 οὗτος (Δαίδαλος) ἐξ Ἀθηνῶν ἔφυγεν, ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως βαλὼν τὸν τῆς ἀδελφῆς Πέρδικος υἱὸν Τάλω, μαθητὴν ὄντα, δείσας μὴ διὰ τὴν εὐφυΐαν αὐτὸν ὑπερβάλῃ· σιάγονα γὰρ ὄφεως εὑρὼν ξύλον λεπτὸν ἔπρισε. Ouidius ubi rem narrat M. viii. 236–259 filium germanae Daedali eum uocat, nomen tamen omisit. Idem circinum repperit M. viii. 247–249, Hyg. 274. **499, 500.** Plerique secuti Ian. Parrhasium (Epist. 49) intelligunt de Aglauro Cecropis filia, quae Mercurium accedentem ad Hersen exclusit, nimiam fortunam sorori inuidens, unde *Liuida* siue *Inuida* **uirgo** dici potuit. Nam Aglauros et Herse ap. Hyg. 166, 238, Paus. i. 18. 2, quia cistulam aperuerant in qua seruabatur Erichthonius, insania a Minerua obiecta, ab Acropoli, uel ut Hyginus docet, in mare se praecipitauerunt. Sed codices habent **Lindia** uel **Lidia**; Aglauron autem Ouidius in loco ubi hanc fabulam narrat (M. iii. 708–832) dicit a Mercurio in saxum conuersam fuisse. Itaque aut (1) **Lindia** ex G retinendum, et **inuicto deo** de Hercule intelligendum, explicatio autem petenda ex iis quae Conon xi, Hesych. s. u. Λίνδιοι τὴν θυσίαν, Apostol. x. 71, Diogen. vi. 15, Zenob. iv. 95, Origen. contra Cels. vii. 54, Lact. i. 21, Philostr. Imagin. ii. 24 tradiderunt. Sic enim Zenobius: Λίνδιοι τὴν θυσίαν· παροιμία ἐπὶ τῶν δυσφήμως ἱερουργούντων. Ἀπὸ Ἡρακλέους ἐν Λίνδῳ βοῦν ἀποσπάσαντος γεωργοῦ καὶ θοινησαμένου, τοῦ δὲ γεωργοῦ λοιδορουμένου αὐτόν. ὅθεν καὶ Λίνδιοι κατὰ χρησμὸν οὕτω θύουσιν Ἡρακλεῖ λοιδορούμενοι. Virgo Lindia aut ipsa cibum negarat Herculi cum conuiciis aut importuna eius fame incensa quod aratori bouem eripuisset ac comedisset, effusius maledixerat. Hoc alterum tradit Schol. G; uix enim potest uerum esse quod habet schol. P, uirgines Lindias, cum uno anno sacrum populare Herculis intermissum esset, furore correptas in mare se praecipitasse, nisi forte id ex Diod. v. 55 elici posse existimaris. **inuicto deo** bene ad Herculem refertur, qui καλλίνικος proprie uocatus fuerit, Archil. fr. 119 Bergk, Apollod. ii. 6. 4, cf. Eur. H. F. 180, 581 οὐκ ἄρ' Ἡρακλῆς Ὁ καλλίνικος ὡς πάροιθε λέξομαι, 680, 961, Romanis autem Hercules Victor siue Inuictus (Preller Röm. Myth. 650–652, Mommsen C. I. L. i. 541, Zangemeister Inscr. Pomp. 733, Wordsworth Fragm. and Specim. p. 473, Macrob. iii. 6. 9–11, Seru. ad Aen. viii. 362). Aut (2) **Lidia uirgo** quae fuerit, collatis Diod. v. 62, Parthen. Erot. 1 elicias, quos locos in Excursu addidi. **501. Feta** quae nuper peperit M. xiii. 803 *feta truculentior ursa.* **popularis** recte uidetur Saluagn. ad Libycos leones (Cat. xlv. 6) referre, ut qui Ibidis populares essent. Sic *popularia flumina* Penei dicuntur amnes Thessalici

M. i. 577. Sed tamen in simili loco de leone Plut. de Fluuiis xviii. 4 quem in Apparatu Critico citaui, Apesantus Argiuus dicitur *ποιμήν τις τῶν ἐγχωρίων*, ut uocabulum illud ex eodem fonte et Ouidius et Plutarchus potuerint inferre, si recte conieci hic legendum esse *Apesanteae*. **502. Phalaeceae** an *Phayleae* eruendum sit ex corrupto codicum *Paphagee* incertum est. Fabulam seruarunt Scholiastae: nomen diuerse traditur. Antoninus Liberalis qui Nicandri Metamorphoses et Athanadae Ambracica secutus est, Phalaecum appellat Met. iv. *Ἄρτεμις δὲ τὸ μὲν νεῖκος κατέπαυε τὸ πρὸς τὸν Ἀπόλλωνα, παρ' ἑκόντος δ' ἠξίου τὴν Ἀμβρακίαν ἔχειν· ἐφίεσθαι γὰρ τῆς πόλεως κατὰ πρόφασιν τοιαύτην· ὅτε Φάλαικος ἐτυράννευε τῆς πόλεως, οὐδενὸς αὐτὸν δυναμένου κατὰ δέος ἀνελεῖν αὐτὴ κυνηγετοῦντι τῷ Φαλαίκῳ προφῆναι σκύμνον λέοντος, ἀναλαβόντος δὲ εἰς τὰς χεῖρας ἐκδραμεῖν ἐκ τῆς ὕλης τὴν μητέρα, καὶ προσπεσοῦσαν ἀναῤῥῆξαι τὰ στέρνα τοῦ Φαλαίκου, τοὺς δ' Ἀμβρακιώτας ἐκφυγόντας τὴν δουλείαν Ἄρτεμιν Ἡγεμόνην ἱλάσασθαι, καὶ ποιησαμένους ἀγροτέρης εἴκασμα παραστήσασθαι χάλκεον αὐτῷ θῆρα.* Aelianus H. A. xii. 40 Phaylum nominat. **503. Qui . . aper** talis aper, qualis. Notandus hic usus relatiui. Sic *quo orbe* 588. **Lycurgiden** Ancaeum Argonautam *τὸν μέν ῥα πατὴρ Λυκόοργος ἔπεμπε* Ap. R. i. 164: Hyg. 14 *Ancaeus Lycurgi filius, alii nepotem dicunt*, *Tegeates*, cf. 138. Grat. Cyn. 66 *flet adhuc et porro flebit Adonin Victa Venus ceciditque suis Ancaeus in armis Vt praedexter erat geminisque securibus ingens.* Hic ap. Ouidium M. viii. 391 *bipennifer Arcas* audit; a Calydonio apro interfectus est. *Lycurgiden* ī producta Ouidius scripsisse propter accentum Graecum *Λυκουργίδης* uidetur Birtio de Halieuticis p. 116, qui comparat *Belīdes pompīlus*, quibus adcensendum est *Coronīdes*, nisi hoc a *Coroneus* ductum est. **letauit.** M. viii. 400 *Summa ferus geminos direxit ad inguina dentes. Concidit Ancaeus, glomerataque sanguine multo Viscera lapsa fluunt, madefactaque terra cruore est.* *Letare* rarius inuenitur, M. iii. 55 *letataque corpora uidit.* Pausanias viii. 45 dicit Tegeae in fastigio templi Athenes Aleae insculptam fuisse uenationem Calydonii; in his *Ἀγκαῖον ἔχοντα ἤδη τραύματα καὶ ἀφέντα τὸν πέλεκυν ἀνέχων ἐστὶν Ἔποχος.* **arbore natum** Adonin, filium Smyrnae quae *patre nesciente per nutricem cum eo concubuit, ex quo concepit; idque ne palam fieret pudore stimulata in siluis se abdidit. cuius Venus postea miserta est et in speciem arboris eam commutauit, unde myrrha fluit, ex qua natus est Adonis, qui matris poenas a Venere est insecutus* Hyg. 58. Bion Eid. i. 7 *Κεῖται καλὸς Ἄδωνις ἐν ὤρεσι μηρὸν ὀδόντι, Λευκῷ μηρὸν ὀδόντι τυπείς.* **504. Idmona** cum Adonide et Ancaeo recenset inter eos qui ab apro percussi interierunt Hyginus 248 *Idmon Apollinis filius qui stramentatum exierat cum Argonautis apud Lycum regem.* Vates fuit Argonautarum, *μαντοσύνῃσι κεκασμένος* Ap. R. ii. 818, fatumque sibi iam ante prospexerat (Ap. R. i. 140 *δεδαὼς τὸν ἑὸν μόρον οἰωνοῖσιν Ἤιε.* Hyg. 14 *Quamuis praedicentibus auibus mortem sibi denuntiari intellexit, fatali tamen militiae non defuit.* Val. F. i. 360 *adest quamuis arcentibus Idmon Alitibus; sed turpe uiro timuisse futura*) unde **audax** hic dicitur. Mortem eius ab apro apud Mariandynos narrat Ap. R. ii. 817–836. Aliter Val. F. v. 2, 3, Sen. Med. 652, 3. **rumpat** 'rend.' Am. iii. 9. 16 de Adonide *Quam iuueni rupit cum ferus inguen aper.* Turnebus Aduers. xxiv. 21 comparat *frangere*, ut in Hor. C. i. 23. 10 *Non ego te tigris ut aspera Gaetulusue leo frangere persequor.* **505. Isque** aper **uel exanimis** etiam mortuus **faciat tibi uulnus** incidendo in caput **ut illi** factum est uulnus (Dräger i. pp. 203, 204). **506. Ora.** Diod. iv. 22 *Ἐντεῦθεν δὲ ἀναζεύξας κατήντησε τῆς Ποσειδωνιατῶν χώρας πρός τινα πέτραν, πρὸς ᾗ μυθολογοῦσιν ἴδιόν τι γενέσθαι καὶ παράδοξον. τῶν γὰρ ἐγχωρίων τινὰ κυνηγὸν ἐν τοῖς κατὰ τὴν θήραν ἀνδραγαθήμασι διωνομασμένον ἐν μὲν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις εἰωθέναι τῶν ληφθέντων θηρίων τὰς κεφαλὰς καὶ τοὺς πόδας ἀνατιθέναι τῇ Ἀρτέμιδι καὶ προσηλοῦν τοῖς δένδρεσι· τότε δ' οὖν ὑπερφυῆ κάπρον χειρωσάμενον καὶ τῆς θεοῦ καταφρονήσαντα, εἰπεῖν ὅτι τὴν*

κεφαλὴν τοῦ θηρίου ἑαυτῷ ἀνατίθησι, καὶ τοῖς λόγοις ἀκολούθως ἐκ τινος δένδρου κρεμάσαι ταύτην, αὐτὸν δὲ καυματώδους περιστάσεως οὔσης, κατὰ τὴν μεσημβρίαν εἰς ὕπνον τραπῆναι· καθ' ὃν δὴ χρόνον τοῦ δεσμοῦ λυθέντος αὐτομάτως, πεσεῖν τὴν κεφαλὴν ἐπὶ τὸν κοιμώμενον καὶ διαφθεῖραι. Hunc Scholiastae Thoantem siue Thoonem appellant: sed neque hoc nomen nec quod ap. Mure reperitur, Driamas, aliunde uidetur cognitum. Posidoniates ager in Lucanis fuit. **fixi.** Mos erat uenantibus, si bona fortuna usi essent, ferarum cornua uel προτομὰς interdum delubris, praecipue Dianae, interdum arboribus antefigere. Prop. ii. 19. 19 *Incipiam captare feras et reddere pinu Cornua.* Met. xii. 266 *in alta Quae fuerant pinu uotiui cornua cerui.* Schol. Aristoph. Plut. 943. Anth. P. vi. 110. 3 τὰ δ' ὀκτάρριζα μετώπων Φράγμαθ' ὑπὲρ τανααν ἅλος ἔπαξε πίτυν. Longi Pastor. ii. p. 57 Villoison τὸ δὲ δέρας κέρασιν αὐτοῖς ἐνέπηξαν τῇ πίτυι, quos locos attulit Hertzbergius ad Prop. ii. 19. 19: quibus adde A. P. vi. 111. 5, 6, 112. 1, 2. **507, 8.** Merkelius sic explicat. **Siue** uel potius **idem** tu, utriusque personam gerens, **sis is quem pinus simili morte peremit Phryx** Marsyas (Stat. Theb. i. 704) in pinu excoriatus (Nicand. Alex. 301 et Schol.) et Attis **uenator Berecyntiades** qui sub pinu *nomine spoliauerat se uiri* (Arnob. v. 7). Sane Marsyan Phryga comitem facit Attinis Diodorus iii. 58. Ouidium tamen **Phrygem** alium quam Attin intellexisse, praesertim sequente **uenator Berecyntiades** uix est uero simile. Et *duo* Attines diserte memorantur a Plutarcho Sert. i. et Pausania vii. 17. Itaque sic potius interpretor: *sis Phryx idem peremptus morte simili* eius qui sub pinu iacens exstinctus est (506), *et uenator Berecyntiades*, h. e. sis Attis qui idem Phryx sub pinu exsectis uirilibus periit et uenator Berecyntiades ab apro confossus est (Plut. Sert. i, Paus. vii. 17. 9). 'Or else may you have the fate of him that was at once the Phrygian, slain like the Posidoniat under a pine, and the huntsman sprung from Berecyntus.' Quibus uerbis hoc significat, inprecari se inimico suo duplex genus mortis quo ferebatur Attis periisse, castrationem sub pinu et uulnus ab apro acceptum: quod post *apri* mentionem (504) quam cum arbore mox coniunxit (505, 6) recte uidetur subnexum. Vix tamen dubito quin uerius scripserim id quod habet Conradus de Mure **Venator Phrygia sis Berecyntiades** eodem sensu, structura paulum immutata. **507. Siue** pro *uel* rarius inuenitur apud poetas teste Muellero ap. Dräger Hist. Synt. ii. p. 148: et cod. Vindobonensis hic habet *Atque.* **508. Phryx** Attis, F. iv. 223; subest uocabulo mollitiae uel castrationis significatio, Cat. lxiii. 22, Stat. x. 170 ubi uide Lactantium, Mart. viii. 46. 4 *Te Cybele totum mallet habere Phryga*, h. e. non castratum Attin. Cf. Aen. xii. 99, Stat. Ach. ii. 363, Eur. Orest. 1528. *Venator Phrygia* si scribas, ablatiuus originis erit ut Plautina illa *hospitem Zacyntho* Merc. v. 2. 99, *Rhodo mercator* Asin. ii. 4. 92 (Dräger i. p. 458). Similia sunt Hesiodi Μοῦσαι Πιερίηθεν, Theocriti Ἀργόθεν ἄνδρες xxiv. 110, Callimachi Δωδώνηθε Πελασγοὶ Del. 284, Nicandri φύτον Κρήτηθεν Alex. 235, Λιβύηθε ῥίζας ib. 368, ceteraque quae congessit Schneiderus Nicand. p. 95. **Berecyntiades.** Pers. i. 93 *Berecyntius Attis.* Patronymicum de eo qui de Berecynto monte originem traxit, ut *Taenarides* x. 183, *Borysthenidae* Prop. ii. 7. 18. *Berecyntum*, non *Berecynthum*, scribendum esse iam ex Steph. B. enotarat Const. Fanens. Hecatost. 81. **509. Minoas** Cretae, quae ipsa *Minoia* dicitur F. iii. 81. Sed et hic et in uersu Her. vi. 114 *Minoo nata Thoante feror* ipse Minos respicitur. **510. Corcyraeum** hostem, quales Corcyraeos experti erant Cretes, cum Minois ossa ex Sicilia referentes Corcyraeis quorum ad litus appulerant uexabantur. Hinc ira Cretum in Corcyraeos, si qui ad se adplicuerant. Haec Scholiastae, incertum quo auctore. Mortem Minois (289, 290) narrarant Callimachus in Aetiis et Philostephanus (Schol. Il. ii. 145, Grote Hist. of Greece i. p. 308): ex eodem fonte fortasse et hoc petiit, cf. Schneid. Callim. ii.

p. 109. In hospites plerumque φιλάνθρωποι Cretes erant, teste Heraclide Pontico iii. 6. **511. Lapsuramque domum subeas.** Cic. de Orat. ii. 86 *Dicunt enim cum cenaret Crannone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa poetarum more in Castorem scripta et Pollucem fuissent* (carmen uidetur esse illud nobilissimum cuius relliquias seruauit Plato in Protagora Ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι Simon. fr. 5 Bergk, cf. Schneid. Callim. ii. p. 224) *nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium eius ei quod pactus esset pro illo carmine daturum; reliquum a suis Tyndaridis quos aeque laudasset peteret si ei uideretur. paullo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret: iuuenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magnopere euocarent: surrexisse illum prodisse uidisse neminem. hoc interim spatio conclaue illud ubi epularetur Scopas concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse.* Eadem ap. Val. Max. i. 8. 7, Phaedr. iv. 25 (Burm.) Rem narrarat Callimachus (fr. 71 Schneider) ap. Suid. s. u. Σιμωνίδης. Ὅπως ἐτίμησάν τε καὶ ἐφίλησαν οἱ Διόσκουροι τὸν μελοποιὸν Σιμωνίδην, καὶ πῶς ἐῤῥύσαντο, καλέσαντες ἔξω τοῦ ἄνδρωνος, ἔνθα κατώλισθεν, ἐρῶ ἀλλαχόθι. ἄξιον δὲ μηδὲ ταῦτα παραλιπεῖν. Ἀκραγαντῖνος στρατηγὸς ἦν ὄνομα Φοῖνιξ. Συρακοσίοις δὲ ἐπολέμουν οὗτοι· οὐκοῦν ὅδε ὁ Φοῖνιξ διαλύει τὸν τάφον τοῦ Σιμωνίδου μάλα ἀκηδῶς τε καὶ ἀνοίκτως καὶ ἐκ τῶν λίθων τῶνδε ἀνίστησι πύργον· καὶ κατὰ τοῦτον ἑάλω ἡ πόλις· ἔοικε δὲ καὶ Καλλίμαχος τούτοις ὁμολογεῖν· οἰκτίζεται γοῦν τὸ ἄθεσμον ἔργον, καὶ λέγοντά γε αὐτὸν ὁ Κυρηναῖος πεποίηκε τὸν γλυκὺν ποιητήν· Οὐδὲ τὸ γράμμα Ἠιδέσθη τὸ λέγον μ' υἷα Λεωπρεπέος Κεῖσθαι Κήιον ἄνδρα. κἀτ' εἰπὼν ἄττ' ἐπιλέγει. Οὐδ' ὑμέας, Πολύδευκες, ὑπέτρεσεν, οἵ με μελάθρου Μέλλοντος πίπτειν ἐκτὸς ἔθεσθέ ποτε Δαιτυμόνων ἄπο μοῦνον, ὅτε Κρανώνιος αἶ αἶ Ὤλισθεν μεγάλους οἶκος ἐπὶ Σκοπάδας, sic enim correxit Bentleius. Similia de Pindaro traduntur et Theramene Ael. V. H. ix. 21. **domum.** Quintil. xi. 2. 11 tradit fuisse magnam inter auctores dissensionem Pharsaline fuerit haec domus an Crannone. Alciphr. Epist. iii. 68 Μήποτε οἱ σωτῆρες ἄνακες, ὡς Σιμωνίδη τὸν Λεωπρέπους τοῦ Κρανωνίου συμποσίου ἐξήρπασαν; **sanguis Aleuae** Scopas ex Aleuadarum familia: Scopadae Crannone, Aleuadae Larisae habitabant. Schol. Theocr. xvi. 36 Οἱ Σκοπάδαι Κρανώνιοι τὸ γένος. Κράνων δὲ πόλις Θεσσαλίας ὅθεν Σκόπας ὁ Κρανώνιος Κρέοντος καὶ Ἐχεκρατείας υἱός. καὶ Σιμωνίδης ἐν Θρήνοις. Idem Schol. et Clemens Alex. Strom. i. p. 389 S. tradunt Euphorionem de Aleuadis scripsisse; unde Meinekius Anal. Alex. p. 66 opinatus est ab eo etiam hanc de Simonide seruato fabulam expositam fuisse. Cf. Buttmann de Aleuadis, Abhandlungen der Berlin. Akadem. der Wissenschaften pp. 194, 5. **512. Stella** Dioscurorum. **Leoprepidae** Simonides de se bis dicit fr. 146, 147 Bergk Ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος. **aequa** propitia. **uiro** cum **Leoprepidae** coniunctum patris laudem laudi filii adnectit; quod ipse fecerat Simonides. Fuitque ipse Leoprepes uir egregius ut ex Aelian. V. H. iv. 24 apparet. 'Leoprepes' famous son.' **513. Euenus.** Plut. de Flu. viii. Λυκόρμας ποταμός ἐστι τῆς Αἰτωλίας· μετωνομάσθη δ' Εὔηνος δι' αἰτίαν τοιαύτην. Ἴδας, ὁ Ἀφαρέως παῖς, δι' ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν Μάρπησσαν ἁρπάσας ἀπήνεγκεν εἰς Πλευρῶνα. κατηχηθεὶς δὲ περὶ τῶν συμβεβηκότων ὁ Εὔηνος, ἐπεδίωκεν τὸν ἐπίβουλον τῆς ἰδίας θυγατρός· γενόμενος δὲ κατὰ Λυκόρμαν καὶ τῆς συλλήψεως ἀπελπίσας, ἑαυτὸν εἰς ποταμὸν ἔβαλεν· ὃς ἀπ' αὐτοῦ Εὐήνος μετωνομάσθη. Similia ap. Plut. Parall. xl ubi ex Dosithei Italicis sumpta dicuntur, Apollod. i. 7. 8, Schol. Ven. Il. ix. 557, Stob. Flor. 100. 15. Hyg. 242 *Euhenus Herculis filius in flumen Lycormam se praecipitauit.* **514. Tiberinus.** Liu. i. 3 *Capeto Tiberinus (ortus) qui in traiectu Albulae amnis summersus celebre ad posteros nomen flumini dedit.* Excerpt. Diod. vii (Schoenii Chron. Euseb. i. p. 287) *Tiberius Siluius uero annis octo. Hic aduersus Tyrenos exercitum mouens, cum per Albam amnem copias*

traduceret, in gurgitem lapsus obiit; unde et fluuius appellatus est Tiberis. Hanc historiam tradiderat L. Cincius, teste eo qui scripsit de Orig. Gent. Rom. 18. Met. xiv. 614 *Regnum Tiberinus ab illis Cepit, et in Tusci demersus fluminis undis* Nomen fecit aquae. **515. Astacidaeque modo defixa cadauera sunto.** Sic uersum ex Conr. de Mure restitui; uide me in *Journal of Philology* vii. p. 250. Tydeus pugnantibus septem ad Thebas cum a Menalippo Astaci filio uulneratus paene ad mortem esset, eique Athena medicamentum ferret ex quo immortalis futurus esset Amphiaraus, caput Menalippi abscisum Tydeo, quem oderat, adportauit. Is cerebrum exsorbuit; quod ob facinus auersata eum Athena non iam passa est uiuere. Apollod. iii. 6. 8. Stat. Th. viii. 753 *ut singultantia uidit Ora trahique oculos seseque agnouit in illo, Imperat abscisum porgi, laeuaque receptum Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis Lumina torua uidens et adhuc dubitantia figi.* Hinc Lyc. 1066 κρατόβρως Tydeus dicitur (Saluagn.). **defixa.** Corpus hasta ad terram defixum fingitur, dum caput abscisum esset. **cadauera** de unius cadauere, ut supra *corpora.* **Sunto,** Neue Formenl. ii. p. 364: sic *dicta esto* M. vi. 138, *estote rogati* M. iv. 154. Quod Merkelius et Riesius exhibent *decisa cadauere trunco* ideo non probo (1) quod in nullo bono reperitur codice, (2) quod mire dicitur *esca decisa cadauere* 'may your head be the food of a human being, cut away from the mutilated carcase, a food such as wild beasts might eat,' a quo caput potius abscidendum erat. De re cf. Tac. Hist. iv. 42 *Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eo usque progressus ut . . . datam interfectori Pisonis pecuniam a Regulo* adpetitumque morsu Pisonis caput *obiectaret.* Val. Max. iii. 2. 11 *Eiusdem temporis et notae miles . . . cum ad retinenda arma inutiles uulneribus manus haberet, spoliare se conantis Numidae ceruicem complexus os naribus et auribus corrosis deforme reddidit, inque plenae ultionis morsibus exspirauit.* **517, 518** uidetur recte interpretatus Leopardus Emendat. i. 10 de Biothea (Athen. 349) siue Axiothea, uxore Nicocreontis siue Nicotheontis, regis Cyprii. Neque tamen uerum potest esse quod scribebat Leopardus *Biothean*, quam synizesin nullo modo admissurus erat Ibidis scriptor: sed *Biothean* lingua Cypriorum in *Brothean* uel *Brotean* uidetur corrupisse, quemadmodum Cypriis τρέμιθος erat quod Graecis τερέβινθος (Steph. B. s. u. Τρεμιθοῦς, Schol. Nicand. Ther. 844), ἀθρίζειν i. q. αὐρίζειν (Hesych.). Simili contractione Tyana Dana, Triocala Tricala uocabantur: sed ex mero scribae errore uidetur *Braciden* pro *Biaciden* positum fuisse Hyg. P. A. ii. 20, ubi Bursianus coni. *Ladicen*, uix satis probabiliter. Sic Ἀρηίλυκος Homeri Il. xiv. 451 Ἀρχίλυκος est Diodoro iv. 67. Certe non erat cur in Machonis uersibus (Athen. 349) Βιοθέα eiceretur a Wesselingio ad Diod. xx. 21 et Meinekio in Anal. Critic. ad Athen. l. c. Rem narrant Diod. xx. 21, Polyaen. viii. 48. Cum Nicocles siue Nicocreon*, et frater eius iussu Ptolemaei primi sese interfecissent, Axiothea conuocatis horum sororibus matribusque ac coniugibus auctor fuit ut secum morerentur potius quam uitam Ptolemaeo acceptam referrent. Itaque clausis foribus in tecta ascendebant; dein his incensis, sese in ignem coniciebant: nouissime Axiothea postquam gladio iugulum transegisset in flammas praeceps data est.

* 'Notandum hic est Nicocreontem eundem esse cum Nicocle, quem eundem Origenes contra Celsum (vii. 54) Aristocreontem uocat. Testantur hoc Athenaeus et Diodorus Siculus. Nam quum hic Machon (Athen. 349 f. ἐν τῷ πελάγει διέλυσε τὴν παῤῥησίαν) scribat Stratonicum occisum a Nicocreonte, eum Phanias (Athen. 352 c.) a Nicocle interfectum est auctor. Rursus quem Diodorus Siculus Nicoclem uocat, hunc is qui indicem Graecum in eum edidit, Nicocreontem nominat.' Leopardus l. c., cui adstipulatur Wesselingius ad Diod. xx. 21: nec multum moror Droysenum Nicoclem Paphium a Nicocreonte quem Salaminis regem fecit Ptolemaeus distinguentem (Hellenismus i. p. 404 not.) cum hic ipse fateatur quae de Nicocle et Axiothea narrentur optime in Nicocreontem cadere.

Similia de uxore Hasdrubalis tradunt Flor. ii. 15, Val. Max. iii. 2. 8. Sed tamen uix satisfactum sic censeo uerbis **cupidine mortis**, cum potius uitae contemptu Axiothea perierit; praeterea **succensae pyrae** melius de morte interpreteris qualis fuit Euadnes ac Semiramis ap. Hyg. 243. Vide Excursum. **519. Inclususque necem cauea.** Recte Laurentius Abstemius et ante eum Scholiasta P de Callisthene locum intellexerunt. De eo omnia collegit C. Muellerus in Fragm. Historicorum qui de Alexandro scripserunt. Iustin. 15. 3 *Cum Alexander magnus Callisthenen philosophum propter salutationis Persicae interpellatum morem, insidiarum, quae sibi paratae fuerant, conscium fuisse iratus finxisset, eumque truncatis crudeliter omnibus membris abscisisque auribus ac naso labiisque deforme ac miserandum spectaculum reddidisset, insuper in cauea cum cane clausum ad metum ceterorum circumferret; tunc Lysimachus, audire Callisthenen et praecepta ab eo uirtutis accipere solitus, miseratus tanti uiri non culpae, sed libertatis poenas pendentis, uenenum ei in remedia calamitatium dedit.* Diog. L. v. 5 Δόξας Ἑρμολάῳ συμμετεσχηκέναι τῆς εἰς Ἀλέξανδρον ἐπιβουλῆς ἐν σιδηρᾷ περιήγετο γαλεάγρᾳ, φθειριῶν καὶ ἀκόμιστος· καὶ τέλος λέοντι παραβληθεὶς οὕτω κατέστρεψεν. Similia Suidas s. u. Καλλισθένης. Sed Plutarchus Alex. 55, Arrianus iv. 14, Curtius viii. 8 alia et ueriora tradunt, Callisthenen aut post tormenta suspensum fuisse, aut uinctum et cum exercitu huc illuc circumlatum, donec morbo perierit. Grote Hist. of Greece xii. p. 302. Idem supplicium caueae siue γαλεαγρᾶς perpessus est a Lysimacho Telesphorus Plut. de Exil. xvi, Athen. 616, Sen. de Ira iii. 17. **ut ille.** Celebris inter scriptores mors Callisthenis. Fuit Theophrasti liber singularis Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους (Diog. L. v. 44, Tusc. Disp. iii. 10. 21, v. 9. 25). Sen. N. Q. vi. 23 *Si quid apud te profectura testium turba est: hanc enim Callisthenes probat, non contemptus uir. fuit enim illi nobile ingenium et furibundi regis impatiens. hic est Alexandri crimen aeternum quod nulla uirtus, nulla bellorum felicitas redimet.* **520. Non profecturae** quominus moreretur. M. vi. 261 *Vltimus Ilioneus non profectura precando Brachia sustulerat*, xiii. 411. **conditor** Tr. ii. 416 *Eubius inpurae conditor historiae.* **historiae** Alexandri rerum gestarum, τῶν κατ' Ἀλέξανδρον. Cic. de Orat. ii. 14. 58 *Post ab Aristotele* (*profectus*) *Callisthenes comes Alexandri scripsit historiam. Et hic quidem rhetorico paene more.* (Abstemius). **521. repertori.** Recte Archilochum intelligunt, qui *iambicum metrum primus inuenit*, Acron ad Hor. A. P. 79 *Archilochum proprio rabies armauit iambo*, cf. Plut. de Mus. xxviii; quamuis etiam Simonidi Amorgino id a nonnullis adtributum dicat Suidas s. u. Σιμωνίδης, Anonym. ap. Welcker in Mus. Rhen. 1835 p. 354 (Mure Crit. Hist. of Greece iii. p. 173); Aristoteles autem Poet. iv iambum naturale quiddam et ex loquendo quasi sponte ortum censeat. **pugnacis.** Hor. Epod. 6. 11 *in malos asperrimus Parata tollo cornua Qualis Lycambae spretus infido gener.* Sic Catullus xl. 2. 4 monet Rauidum ne actus praeceps in suos iambos *Vecordem paret excitare rixam.* **522. in exitium** neque de Archilocho hoc traditum neque Simonide: nam de Simonidis morte non constat, Archilochum in pugna necauit Calondas, cognomine Corax, teste Suida, h. e. ut uidetur, Aeliano, cf. Plut. de Sera Num. Vind. xvii. Sed fortasse recordatus est poeta notum illud Archilochi τέττιγα τοῦ πτεροῦ συνείληφας (Lucian. Pseudol. i) quod is in maledicentem sibi ob nimiam asperitatem carminum fertur dixisse: nam ut cicada si alas prehenderis quamuis sit natura loquacissima, fit apprehensa loquacior, sic Archilochus, cum natura esset acerbissimus, etiam acerbior corripienti fiebat; quae proteruitas linguae non mirum si in exitium ipsius a nonnullis fingebatur exarsisse, quemadmodum cicada prehendentis iram in se irritat magis magisque obstrepens. Et Pindarus dicit Pyth. ii. 55, quem locum attulit Saluagn. Εἶδον γὰρ ἑκὰς ἐὼν τὰ πόλλ' ἐν ἀμαχανίᾳ ψογερὸν

'Αρχίλοχον βαρυλόγοις ἔχθεσιν Πιαινόμενον. Ad exilium uix retulerim; quod librorumne *quos Lacedaemonii e ciuitate exportari iusserunt, quia domum sibi inuisam obscenis maledictis lacerauerat* (Val. Max. vi. 3. 1 Ext.), an ipsius Archilochi fuerit (Plut. Lacon. Instit. xxxiv) in dubio est. **523. parum stabili** Alciatus (Parerg. Iur. v. 18) interpr. de Hipponacte qui *parum stabili carmine* h. e. ischiorrogico uel scazonte laesit *Athenin* (sic enim legit Alc.) et Bupalum statuarios, quia imagines eius in ludibrium fecerant, teste Suid. s. u. Ἱππῶναξ: et hoc placuit Turnebo ix. 25, Ten Brink in Philolog. vi. p. 68, Bergkio Poet. Lyr. p. 755. Sane de paupertate sua saepius questus est Hipponax, ut fr. 17 B Δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι, κάρτα γὰρ ῥιγῶ Καὶ βαμβακύζω, fr. 19 Ἐμοὶ γὰρ οὐκ ἔδωκας οὔτε κω χλαῖναν Δασεῖαν, ἐν χειμῶνι φάρμακον ῥίγευς, Οὔτ' ἀσκέρῃσι τοὺς πόδας δασείῃσιν Ἔκρυψας, ὥς μή μοι χίμετλα ῥήγνυται. Sed Hipponactem fame periisse non constat (Weichert Poet. Lat. Rell. p. 320) nec *Athenin* habent MSS sed *Athenas*. Mihi uidetur significari Euboeus Parius de quo Athenaeus 698 haec habet Πολλοί τινες παρῳδιῶν ποιηταὶ γεγόνασιν, ἐνδοξότατος δ' ἦν Εὔβοιος ὁ Πάριος, γενόμενος τοῖς χρόνοις κατὰ Φίλιππον. οὗτός ἐστιν ὁ καὶ Ἀθηναίοις λοιδορησάμενος, καὶ σῴζεται αὐτοῦ τῶν παρῳδιῶν βιβλία τέσσαρα. Cum Boeoto, et ipso parodiarum scriptore, comparatur ab Alexandro Aetolo ap. Athen. 699, cuius uerba de Boeoto Φλύων ἀνθηρῇ σὺν κακοδαιμονίῃ egestatem significant qualis etiam in Euboeo, simili scriptore et qui in Athenienses inuectus fuerit, potuit esse. Nec male de parodiis dicitur *parum stabili*, h. e. non in longum duraturo. Vel (2) Menippus, qui σπουδογέλοια scripsit, *parum stabile carmen*, ut docet Lucianus Bis Accus. xxxiii citatus a Riesio Varron. Sat. p. 11 Κρᾶσίν τινα παράδοξον κέκραμαι καὶ οὔτε πεζός εἰμι οὔτε ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα, ἀλλὰ ἱπποκενταύρου δίκην σύνθετόν τι καὶ ξένον φάσμα τοῖς ἀκούουσι δοκῶ. Hic pannis uelatus inducitur a Luciano (Dial. Mort. i. 2) et ad summam inopiam redactus suspendio uitam finiuit (Diog. L. vi. 100). An est (3) Diagoras Melius, contemptor deorum philosophus, idem poeta lyricus? (Suid. s. u.) Hic enim cum Athenis agens multa de Eleusiniis probrosa effudisset, accusatus tamquam impius, Pallenen Achaiae in exilium se recepit, postremo Corinthum, ubi mortuus est (Suid. s. u., Hesych. Milesius ap. Muelleri Fragm. Hist. Graec. iv. p. 160). Nam si dithyrambicis quae scripsisse fertur (Schol. Ar. Ran. 320) contumeliosius dixerat de sacris uel dis Atheniensium, merito poterat dici *parum stabili carmine laesisse Athenas*. Cf. Lys. in Andoc. 17 Τοσούτῳ δ' οὗτος Διαγόρου τοῦ Μηλίου ἀσεβέστερος γεγένηται· ἐκεῖνος μὲν γὰρ λόγῳ περὶ τὰ ἀλλότρια ἱερὰ καὶ ἑορτὰς ἠσέβει, οὗτος δὲ ἔργῳ περὶ τὰ ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει. ὀργίζεσθαι οὖν χρή, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς ἀστοῖς ἀδικοῦσι μᾶλλον ἢ τοῖς ξένοις περὶ ταῦτα τὰ ἱερά. Qui quamquam a nullo, quod sciam, dicitur **periisse inuisus deficiente cibo**, quanto odio fuerit Atheniensibus testatur decretum quod ex Crateri Συναγωγῇ ψηφισμάτων citat Schol. Arist. Au. 1073 Τῷ μὲν ἀποκτείναντι αὐτὸν τάλαντον λαμβάνειν, τῷ δὲ ἄγοντι δύο: cf. Diod. xiii. 6; neque a uero abhorret huiusmodi mortem fictam postea fuisse ab iis qui ἄθεον uocatum Diagoran meminissent. Ceterorum coniecturas uide ap. Weichert. Poet. Lat. p. 319. **525. lyrae uates fertur periisse seuerae.** Hic quis fuerit, incertum. Si ex Saluagnii sententia **dextera laesa** fides uiolata intelligenda est, equidem de Timocreonte potius quam de Alcaei minacibus Camenis (Hor. C. iv. 9. 7) interpretor, quamuis id nemo ante me uideatur coniecisse. Plut. Them. xxi Τιμοκρέων δ' ὁ Ῥόδιος μελοποιὸς ἐν ᾄσματι καθάπτεται πικρότερον τοῦ Θεμιστοκλέους, ὡς ἄλλους μὲν ἐπὶ χρήμασι φυγάδας διαπραξαμένου κατελθεῖν, αὐτὸν δὲ ξένον ὄντα καὶ φίλον προεμένου δι' ἀργύριον. λέγει δ' οὕτως (post laudes Aristidis) ἐπεὶ Θεμιστοκλῆ' ἤχθαρε Λατώ, Ψεύσταν ἄδικον, προδόταν, ὃς Τιμοκρέοντα ξεῖνον ἐόντ' ἀργυρίοισι κυβαλικοῖσι πεισθεὶς οὐ κατᾶγεν Ἐς πατρίδ' Ἰάλυσον, λαβὼν δὲ Τρί' ἀργύρου τάλαντ' ἔβα πλέων εἰς ὄλεθρον, Τοὺς μὲν κατάγων ἀδίκως, τοὺς δ' ἐκδιώκων, τοὺς δὲ καίνων,

'Αργυρίων ὑπόπλεως (Bergk P. L. p. 1202). Πολὺ δ' ἀσελγεστέρᾳ καὶ ἀναπεπταμένῃ μᾶλλον εἰς τὸν Θεμιστοκλέα βλασφημίᾳ κέχρηται μετὰ τὴν φυγὴν αὐτοῦ καὶ τὴν καταδίκην ὁ Τιμοκρέων ᾆσμα ποιήσας, οὗ ἐστιν ἀρχή· Μοῦσα τοῦδε τοῦ μέλεος Κλέος ἀν' Ἕλλανας τίθει Ὡς ἐοικὸς καὶ δίκαιον. Cf. Suidas s. u. Τιμοκρέων· εἰς ὃν (Themistoclem) καὶ ἐξύφανε ψόγον δι' ἐμμελοῦς τινὸς ποιήματος. Timocreon poeta lyricus (uide Bernhardium ad Suid. ii. p. 1143) exul de patria Ialyso, urbe Rhodia, quod Medis faueret, cum amicum Themistoclem frustra implorasset ut in patriam reuocaretur, poema scripsit quo eum arguebat tamquam spreta amicitia pecuniam accepisset ne sibi reditum efficeret. Diciturque Themistocles ipse suffragium contra Timocreontem de medismo reum tulisse. Nec semel tantum Timocreon eum lacessiuit, sed alia etiam scripsit postquam Themistocles exul ipse factus est. Quam asperae linguae fuerit testatur epigramma ap. Athen. 415 Πολλὰ φαγὼν καὶ πολλὰ πιὼν καὶ πολλὰ κάκ' εἰπὼν Ἀνθρώπους κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος. **526. dextera laesa** a Themistocle uiolata fides amicitiae, cf. Aen. iv. 597 *En dextra fidesque.* Quod sane durius. Vide Excursum. **527.** Steph. B. s. u. Ὀρέσται· Θεαγένης ἐν Μακεδονικοῖς φησιν ὅτι ἐπεὶ ἀφείθη τῆς μανίας Ὀρέστης, φεύγων διὰ τὴν αἰδῶ μετὰ τῆς Ἑρμιόνης εἰς ταύτην ἦλθε τὴν γῆν καὶ παῖδα ἔσχεν Ὀρέστην, οὗ ἄρξαντος ἐκλήθησαν Ὀρέσται· αὐτὸς δὲ ὑπὸ ἐχίδνης δηχθεὶς θνήσκει εἰς χωρίον τῆς Ἀρκαδίας, τὸ λεγόμενον Ὀρέστειον. Eadem habet Schol. Eurip. Orest. 1645, Tzetz. ad Lyc. 1374. **528. uirus habente** Trist. iv. 1. 84 *telo uirus habente perit.* **529. coniugii nox prima.** Sen. Controu. i. 2. 22 Burs. *Nouimus istam maritorum abstinentiam, qui etiamsi* primam uirginibus timidis remisere noctem, *uicinis tamen locis ludunt.* **nouissima** ultima. **530. Eupolis.** A. P. vii. 298 Αἰαῖ τοῦτο κάκιστον, ὅταν κλαίωσι θανόντα Νυμφίον ἢ νύμφην· ἡνίκα δ' ἀμφοτέρους, Εὔπολιν ὡς ἀγαθήν τε Λυκαίνιον, ὧν ὑμέναιον Ἔσβεσεν ἐν πρώτῃ νυκτὶ πεσὼν θάλαμος, Οὐκ ἄλλου τόδε κῆδος ἰσόρροπον, ὡς σὺ μὲν υἱόν, Νῖκι, σὺ δ' ἔκλαυσας, Θεύδικε, θυγατέρα (Const. Fanensis). Etiam Anth. P. ix. 422 Diogenes quidam dicitur nouum iniens coniugium prima nocte cum nupta periisse. **531. cothurnatum** tragicum poetam Am. ii. 18. 18: sic *cothurnatum uatem* dicit Euripidem 595. **Lycophrona** Tzetz. Schol. Lyc. p. 263 Müller Ὁ Λυκόφρων τῷ μὲν γένει ἦν Χαλκιδεὺς υἱὸς Σωκλέους, ἢ Λύκου τοῦ ἱστοριογράφου κατά τινας. ἦν δὲ εἷς τῶν ἑπτὰ ποιητῶν, οἵτινες διὰ τὸ ἑπτὰ εἶναι τῆς πλειάδος ἐλέγοντο. ἦσαν δὲ οὗτοι ἐν χρόνοις Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου καὶ Βερενίκης. Idem dicit Lycophrona 64 uel 46 tragoedias scripsisse praeter Alexandram (p. 270), ex quibus 19 nomina habent ap. Suidam (Clinton F. H. iii. p. 502). **532. Haereat fixa** figat se et haereat. **fibris** siue iecoris siue pulmonis. Hoc ab alio nemine uidetur traditum. Sed non sine causa *Lycophronis atri* (Stat. S. v. 3. 157) mentionem fecit poeta Ibidis, carminis uix minus tenebricosi. Qui quod *cothurnatum* eum uocat, respexit credo Alexandram quae sola dicta est ἡ τραγῳδία (Schol. Lyc. 1226), cf. Welckeri Griech. Trag. iii. p. 1259. **533. lacer spargare.** Sic de eadem re M. iii. 522, 3 *Mille lacer spargere locis, et sanguine siluas Foedabis matremque tuam matrisque sorores.* **534. angue creatus auo** Pentheus, filius Echionis, nepos Cadmi Apollod. iii. 4. 1, iii. 5. 2, qui a matre et materteris discerptus est. Eur. Bacch., Theoc. xxvi. **535. feros** 'rude.' Verg. E. 5. 21 *montesque feri siluaeque locuntur.* Sic *mare ferum* Cat. lxiii. 40, *feris Scythiae Sarmatiaeque iugis* Trist. i. 8. 40. **536. coniunx** Dirce. Hyg. 7 *Lycus Dircen in matrimonium duxit, cui suspicio incidit uirum suum clam cum Antiopa concubuisse: itaque imperauit famulis ut eam in tenebris uinctam clauderent. cui postquam partus instabat, effugit ex uinculis Iouis uoluntate in montem Cithaeronem: cumque partus premeret et quaereret ubi pareret, dolor eam in ipso biuio coegit partum edere. quos pastores pro suis educarunt et appellarunt Zethon* ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον, *alterum autem*

Amphionem ὅτι ἐν διόδῳ ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν αὐτὸν ἔτεκεν *id est quoniam in biuio eam edidit. qui postquam matrem agnouerunt Dircen ad taurum indomitum deligatam uita priuarunt.* **inperiosa.** Prop. iii. 15. 13 *A quotiens pulcros ussit regina* (Dirce) *capillos* (Antiopes) *Molliaque inmites fixit in ora manus. A quotiens famulam pensis onerauit iniquis Et caput in dura ponere iussit humo. Saepe illam inmundis passa est habitare tenebris, Vilem ieiunae saepe negauit aquam.* **Lyci** regis Thebanorum Apollod. iii. 5. 5. Varie tradita est historia, ut ex Hygino 7, 8 apparet. **537. paelex inuita sororis** Philomela quam Tereus, maritus Procnes sororis eius, *inuitam in morte compressit* (Hyg. 45), *Luctantemque loqui, comprensam forcipe linguam, Abstulit ense fero* (M. vi. 556). Haec ab Hygino *paelex Terei*, ab Ouidio *paelex sororis* bis uocatur (M. vi. 537, 606). **538. ante pedes tuos** te ipso inspectante. **539, 540.** Recepi emendationem Leopardi, etsi codicum scripturam ipse tutatus fueram in Diario Philologiae Cantabrig. vii. pp. 252, 3. Fons uitii in corrupta uoce *lesus* quod uerum non esse indicio est *leius*, quod habet Conradus de Mure. **Conditor tardae Cyrae** est Battus, qui Cyrenas condidit, sed post multos annos quibus in uarias regiones orbis diuagatus est, ut narrant Herodotus iv. 153–158, Iustinus xiii. 7. **539. Conditor.** Iustin. xiii. 7 *Cyrene condita fuit ab Aristaeo,* cui nomen Batto propter linguae obligationem *fuit.* Herod. iv. 156 συγκτίζουσι Βάττῳ Κυρήνην. Heraclid. Pont. p. 212 Müller Κυρήνην ᾤκισε Βάττος. **Conditor Cyrae** sic dictum uidetur ut Graeci non solum πόλιν κτίζειν, sed κόλπον μυχὸν et similia dixerunt. (Vit. Herodot. ii.) Sic *uastare exscindere hostem* ap. Tacitum. (Shilleto ad Thuc. ii. 61.) Pari modo Statius S. iv. 3. 72 *Camporum bone conditor meorum* dixit de Domitiano Vulturnum alueo continente et pontem super struente. **tardae** Secundum Herodotum Battus cum Theraeis Platean per duos annos, Azirin per sex incolebat priusquam in Cyrenaicam uenit (iv. 157, 158). Sed et post acceptum a Pythia responsum, quo iussi erant Africam petere, interiectum tempus fuisse, nec statim rem adgressos tradit Iustinus xiii. 7. **Blaesus.** Sic Romano nomine uocat *Battum*, tamquam ἰσχνόφωνον καὶ τραυλὸν (Herod. iv. 155). Hesych. Βάττος Λίβυες· τραυλόφωνος ἰσχνόφωνος. Orta uidetur haec interpretatio nominis ex oraculo Βάττ᾽, ἐπὶ φωνὴν ἦλθες: quamquam reuera *Battus* Libycum nomen *regis* fuit teste Herod. iv. 155. **Cyrae** fontis (Steph. B. s. u. Κυρήνη, Schol. Pind. Pyth. iv. 523, Callim. H. Apoll. 88 et Schol.) uel montis (Iust. xiii. 7 *pulsis accolis montem Cyran et propter amoenitatem loci et propter fontis ubertatem occupauere*) in quo condita est Cyrene. Quod *Cyrae* priore syllaba producta posuit, id non ex Callim. H. Apoll. 88 excuses (nam ibi scribendum est cum O. Schneidero ex Pindari Schol. P. iv. 523 Οἱ δ᾽ οὔπω πηγῇσι Κύρης ἐδύναντο πελάσσαι, non πηγῇς (codd. πηγῆς), sed ex pari inconstantia qua Κυρήνη primam syllabam modo longam, modo correptam habet, ut fusius docet Schneiderus in loc. **540.** Notandum triplex sonus *in*, quod in Ouidio sane rarius. Ad sententiam similiter Lycophron de Menelao Al. 823 Ποίους θαλάσσης οὐκ ἐρευνήσει μυχούς; Ποίαν δὲ χέρσον οὐκ ἀνιχνεύσει μολών; Val. F. iv. 447 *Nec mihi diuersis erratum casibus orbem Amissas aut flere domos aut dulcia tempus Lumina.* **541.** 'And that the busy Bee in th' Eyes hir hurtfull stinge may sticke: As with the same in times agoe they did Acheus pricke.' T. Vnderdown. **opifex,** ἐργοφόρος Ael. H. A. v. 42. Nescio an genus apum siluestre respexerit quae *multo iracundiores sed opere ac labore praestantes* dicuntur a Plinio xi. 59. Aristot. H. A. ix. 40 αἱ ἀπὸ τῶν ὑλονόμων δασύτεραι καὶ ἐλάττους καὶ ἐργατικώτεραι καὶ χαλεπώτεραι. **uati quod fecit** 'as it treated the seer.' Cf. 574. Hic datiuus rarissimus dicitur Drägero Hist. Synt. i. p. 519, qui citat Ter. Andr. i. 1. 85, Cic. pro Caec. xi. 30. **Achaeo** quis fuerit, incertum. Scholiastae poetam huius

nominis intelligunt. Sane duos Achaeos Suidas commemorat, tragicos utrosque; quorum prior aequalis Euripidi, alter recentior fuit: sed nihil de horum morte constat. Mihi *uates Achaeus* uidetur Aristaeus esse: hic enim et *χρησμολόγος* dicitur Clem. Strom. 144 S. et *Achaeus* suo iure uocandus erat, ut pote Thessalus (Schol. Ap. R. i. 177, 284, iii. 775, iv. 1329), et contra apum morsus operimentum quoddam oculorum inuenit. Nonn. Dionys. v. 243 *Κεῖνος ἀνὴρ ἐνόησε πολυτρήτων στίχα σίμβλων Πλαζομένης δ' ἔστησεν ἐρημάδος ἔργα μελίσσης.* 247 *Καὶ λινέαις ἀψῖσι πολυπλέκτοιο χιτῶνος Γυῖα περισφίγξας ὀνύχων ἄπο μέχρι κομάων Φρικτὰ κορυσσομένης ἐφυλάσσετο κέντρα μελίσσης*, quod non fecisset nisi apum aculeos ipse expertus esset. Neque a uero abhorret Aristaeum a nonnullis dictum esse sic oculis caruisse, nam secundum Plut. Amat. xiv *Εὔχονται δ' Ἀρισταίῳ δολοῦντες ὀρύγμασι καὶ βρόχοις λύκους καὶ ἄρκτους, Ὃς πρῶτος θήρεσσιν ἔθηκε ποδάγρας.* Apum uulnera interdum letifera fuisse docent non solum Nicander Ther. 805–9, Anth. P. ix. 302, et 548, sed etiam quae de Rhauciis Cretensibus ex Antenoris Creticis sumpsit Aelianus H. A. xvii. 35. Aristaeum uero hic significari etiam haec persuadent (1) quod a Batto, cui cognomen *Aristaeo* fuit, transitus sic fit ad cognominem Aristaeum, uelut uu. 457-460 ab Hippomene transitur ad Hippomenem, uu. 555–558 tres Glauci propter simile nomen simul inducuntur, (2) quod fabula de Cyrene eiusque Aristaeo filio quasi perpetuo uinculo cum Batto atque eius urbe Cyrenis cohaeret. Vide Pind. P. v, Iustin. xiii. 7. 7–11, (3) quod ab Aristaeo non temere transitur ad Prometheum. Nam Hydrochoeus siue Aquarius teste Schol. Germanici Arat. p. 55 Breysig nonnullis *Pyrrhae* (544) maritus Deucalion, ab antiquis Aristaeus filius Cyrenes habebatur. **542. spicula** aculeos ut *spicula crabronum* M. xi. 335. **condat** 'bury' 'sheathe,' M. xiii. 458 *iugulo uel pectore telum Conde meo*, 561 *digitos in perfida lumina condit.* **543. carparis uiscera,** uulturium feras laniantem uiscera. **544. Vt cui,** ut is qui fratrem habuit genitorem Pyrrhae; quibus ambagibus *αἰνίττεται* Epimetheum, fratrem Promethei. Nam *ex Iapeto et Clymene Atlas Epimetheus Prometheus* (Hyg. Praef.), *Pyrrha Epimethei filia* (Hyg. 155). **545. Vt puer Harpagides** filius Harpagi. 'Harpagus, a quo Harpagides patronymicum trahitur, fuit amicus Astyagis Medorum regis; cui rex iratus, quod Cyrum ex filia nepotem uiuere comperisset, quem illi, ut fido et arcanorum participi necandum tradiderat, proprium filium epulandum apposuit.' Laurentius Abstemius, qui primus locum recte interpretatus est. Rem narrant Herodotus i. 117–119, Iustinus i. 5. **referas exempla Thyestae,** et Thyestae et Harpago apposita sunt corpora filiorum praeter caput pedes manus (Aesch. Ag. 1594, Herod. i. 119). **546. uiscera patris.** Ag. 1097 *Ὀπτάς τε σάρκας πρὸς πατρὸς βεβρωμένας.* **547. Trunca,** sc. membra. **mutilatis,** 'hacked in pieces.' **partibus** quid sit docet M. xiv. 61 *primo non credens corporis illas Esse sui* partes, 64 *Et corpus quaerens femorum crurumque pedumque Cerbereos rictus pro* partibus *inuenit illis.* xiv. 541 *nemorum partes et membra meorum.* **548. Mamertae.** Sic Merkelium secutus scripsi, non ut plerique *Mimnermi.* Hunc Mamertam eundem habeo qui Mamercus a Plutarcho Timol. xiii, xxxi, xxxiv, Diod. xvi. 69, Corn. Nep. Tim. ii, a Polyaeno v. 12 Milarchus dicitur. Fuit tyrannus Catanensium, et cum aliis Timoleontem aggressus est, mox ab eo uictus ad flumen Abolum Lucaniam cum classe aduehebatur ut inde auxilia asportaret, cum retroactis triremibus qui cum eo erant in Siciliam reuertuntur et Catanam Timoleonti produnt. Mamercus Messenen ad Hipponem, eius tyrannum, confugit: quo capto et per tormenta interempto ipse se Timoleonti tradidit. Ab hoc missus Syracusas, in theatro conatus se oratione defendere, cum strepitu audientium exciperetur, illiso capite in subsellium mortem sibi inferebat, sed uiuus abductus piratae more exstinctus

est (Timol. xxxiv). Scripsit carmina, ex quibus epigramma extat ap. Plut. Timol. xxxii, Bergk P. L. p. 638, cf. Grote Hist. of Greece xi pp. 259, 260. **membra.** Mamercus ἥνπερ οἱ λῃσταὶ δίκην ἔδωκε (Plut. Tim. xxxiv). Qualis ea mors fuerit docet Anth. P. xi. 280. 1, 3 ubi Hegemon quidam piratas concidere (κατατέμνειν) dicitur. Suid. s. u. Κιλίκιος ὄλεθρος dicit piratas ἐπ' ὠμότητι διαβεβλῆσθαι unde non mirum si ipsi crudelibus suppliciis afficiebantur. **549. Syracosio.** Scholiastae Theocritum intelligunt, qui in epigrammate Anth. P. ix. 434. 2 de se loquens Εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν, ait, εἰμὶ Συρηκοσίων, et sic Vergilius Ecl. vi. 1 *Syracosio uersu* se ludere *id est imitari Theocritum Syracusanum* (Seru. ad loc.) profitetur. Sed hunc laqueo periisse apud neminem constat, quamquam non absurde Alciatus Parerg. ix. 23 coniecit allusisse Ouidium ad eum amatorem qui ap. Theocritum Id. xxiii se ipsum amore dilecti pueri suspenderit (49–52): idque eo ueri similius fit quod hoc carmen, ut inter Theocriti idyllia locum habet, ita a Theocrito nullo modo scribi potuit, uide Wordsworthium p. 173: nam siue ab antiquis cum Theocriteis legebatur, satis ad hoc causae fuit quod Theocriti mortem credebatur narrare; siue a recentiore aliquo Theocriti idylliis adnumeratum est, fecit id quia ad poetae fatum pertinere carmen antiquitus traditum uiderat. Certe non potest significari Antiphon, ut post Bonannum * Syracus. Antiq. ii. 2, Welckero (Griech. Tragöd. iii. p. 1041) placuit. Hic enim etsi Syracusis uixit cum Dionysio tyranno eiusque tragoedias refingebat, atque adeo mortem sibi peperisse dicebatur quod eas acerbius reprehenderet, laqueo non est interemptus, sed aut tormentis (Plut. de Stoic. Repugn. xxxvii) aut fuste (μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι Arist. Rhet. ii. 6). Neque uero est Empedocles, quamuis eum Demetrius Troezenius ap. Diog. L. viii. 74 narret 'Αψάμενον βρόχον αἰπὺν ἀφ' ὑψηλοῖο κρανείης Αὐχέν' ἀποκρεμάσαι: nam Empedocles dicitur uu. 597, 8 in Aetnam insiluisse. An est Philoxenus? Huic enim siue propter helluationem qua polypum δίπηχυν fertur degluttisse precatusque ut tria colla haberet quibus omnia et sine fine uoraret (Athen. 341, Ael. V. H. x. 9), siue ob epistulam quam Dionysio postquam euaserat ex latomiis Syracusanis, quo a tyranno damnatus erat, rescripsit, nihil continentem praeter unum ου siue υ, h. e. simul imaginem restis, simul recusandi signum, huiusmodi mors per laqueum merito adfingi potuit. Suidas Φιλοξένου γραμμάτιον· ἐπὶ τῶν μὴ πειθομένων ἐφ' οἷς παρακαλοῦνται, ἀλλ' ἀπαγορευόντων μᾶλλον. Φιλόξενος γὰρ ὁ Κυθήριος διαφυγὼν τὰς εἰς Συρακούσας λιθοτομίας, εἰς ἃς ἐνέπεσεν, ὅτι τὰς Διονυσίου τοῦ τυράννου τραγῳδίας οὐκ ἐπῄνει, διέτριβεν ἐν Τάραντι τῆς 'Ιταλίας. μεταπεμπομένου δὲ Διονυσίου αὐτὸν καὶ ἀξιοῦντος διὰ γραμμάτων ἐλθεῖν, Φιλόξενος ἀντιγράψαι μὲν οὐκ ἔγνω, λαβὼν δὲ βιβλίον τὸ ου̅ στοιχεῖον ἔγραψε μόνον πολλάκις ἐν αὐτῷ διὰ τούτου δηλώσας ὅτι τὴν παράκλησιν διωθεῖται. Cf. Scaligeri Auson. Lect. ii. 20. Quamquam huic suam uoracitatem exitium tulisse, testis est Athenaeus 341. **praestricta fauce** 'by strangulation,' Plin. H. N. xvii. 234 *crassescens* (*cortex*) *praestringit et strangulat.* **550. animae** genitiuum credo, cf. *uocis iter* 570. **551. Nuda pateant**, i. q. nudentur et pateant. **direpta pelle** 'by stripping away the skin.' M. vi. 387 *Clamanti cutis est summos*

* Bonannus (Syracus. Antiq. ii. 2) in disputatione quam de hoc loco Ibidis scripsit, negauit significari posse Theocritum Syracusanum, qui epoto ueneno periisse dicatur in Idyllio quod de eo sub Bionis nomine scripserit Moschus (iii. 111); idemque suspicatus est ad Syracusanum tralata fuisse quae de Chio uerius narrentur; sed in nullo loco ex iis quos de Theocrito Chio citant Bernhardius ad Suidam s. u. Müllerus in Fragm. Hist. Graec. ii. pp. 86, 87 constat hunc *strangulatum* fuisse, sed tantum ab Antigono necatum; nisi forte ex uerbis Antigoni ap. Plut. Mor. 11 τοιγαροῦν, ἔφη, τὴν κεφαλὴν οὐχ ἕξεις compresso per laqueum spiritu periisse iudicabitur. Vide Macrob. Sat. vii. 3. 12.

direpta per artus. Nicand. Al. 302 Μαρσύου ἦχί τε Φοῖβος ἀπὸ φλόα δύσατο γυίων. **552. cuius nomina** Marsyas. Hyg. 165 *Quas* (Mineruae abiectas tibias) *Marsyas Oeagri filius unus e Satyris inuenit. quibus assidue commeletando sonum suauiorem in dies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharae cantum in certamen prouocaret. quo ut Apollo uenit, Musas iudices sumpserunt: et cum iam Marsyas inde uictor discederet, Apollo citharam uersabat, idemque sonus erat; quod Marsya tibiis facere non potuit. itaque Apollo uictum Marsyan ad arborem religatum Scythae tradidit, qui eum membratim separauit. reliquum corpus discipulo Olympo sepulturae tradidit: e cuius sanguine flumen Marsya est appellatum.* M. vi. 400 *Marsya nomen habet, Phrygiae liquidissimus amnis,* quem locum attulit Mauricius Schmidt ad Hyg. 165. **553. Saxificae Medusae.** M. v. 216 *Vincis, ait, Perseu; remoue tua monstra, tuaeque* Saxificos uultus, *quaecunque ea, tolle* Medusae. **554. Cephenum** Aethiopum. Tzetzes ad Lyc. 834 docet a stultis (μωροὶ) tantummodo *Cephenas* Aethiopas dici. Sed iam Deinias ap. Phot. p. 443 Bekker narrarat ἐξ Ἄργους εἰς Αἰθιοπίαν, ἐκαλεῖτο δὲ τότε Κηφηνία, παραγεγονότα ἐπὶ λύσει τῆς Κηφέως θυγατρὸς τὸν Περσέα: Alexander Polyhistor ap. Steph. B. s. u. Λιβύη inter Libyae nomina retulerat Κηφηνίαν: ut non sine causa Ouidius Met. iv. 763, v. 97 Cephenas uocarit eos de quibus ante (iv. 668) dixerat *Aethiopum populos Cepheaque conspicit arua.* Historia extat ap. Apollod. ii. 4. 3, Met. v. 1 sqq. Hyg. 64 *Cassiope filiae suae Andromedae formam Nereidibus anteposuit. ob id Neptunus expostulauit, ut Andromeda Cephei filia ceto obiceretur. quae cum esset obiecta Perseus Mercurii talaribus uolans eo dicitur uenisse et eam liberasse a periculo. quam cum abducere uellet, Cepheus pater cum Agenore, cuius sponsa fuit, Perseum clam interficere uoluerunt. ille cognita re caput Gorgonis eis ostendit, omnesque ab humana specie sunt informati in saxum.* **multos.** M. v. 207 *Nomina longa mora est media de plebe uirorum Dicere. Bis centum restabant corpora pugnae. Gorgone bis centum riguerunt corpora uisa.* **555. Potniadum.** Potniae urbs Boeotiae. Probus ad Verg. G. iii. 267, p. 67 Keil *Potnia urbs est Boeotiae ubi Glaucus Sisyphi filius et Meropes, ut Asclepiades* in Τραγῳδουμένων *libro primo ait, habuit equas, quas adsueuerat humana carne alere, quo cupidius in hostem irruerent et perniciosius. ipsum autem, cum alimenta defecissent, deuorauerunt in ludis funebribus Peliae.* Alii aliter rem narrant Hyg. 250, 273, Seru. ad G. iii. 267, Philargyr. ibid., Schol. Eur. Orest. 1124, Pausanias vi. 20. 19 ubi Ταράξιππος nominatur. Aelianus H. A. xv. 25 tradit fontem fuisse Potniis quem bibentes equi insanirent. **556. Glaucus ut alter,** ὁ Ἀνθηδόνιος ἁλιευτὴς (Athen. 679). De eo quidquid ueteres tradiderant collegit Athenaeus 296, 297. Paus. ix. 22. 7 Τούτων τὲ δή ἐστι τῇ Ἀνθηδόνι μνήματα, καὶ ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ καλούμενον Γλαύκου πήδημα. εἶναι δὲ αὐτὸν ἁλιέα, καὶ ἐπεὶ τῆς πόας (herbam dicit cuius gustu immortalitatem consecutus est Glaucus, cf. Aesch. fr. Glauci 27 Nauck, Athen. 679, Apostol. v. 49, Ouid. M. xiii. 905, sqq., Lobeck Agl. p. 866, Meineke Anal. Al. p. 238) ἔφαγε, δαίμονα ἐν θαλάσσῃ γενέσθαι καὶ ἀνθρώποις τὰ ἐσόμενα ἐς τόδε προλέγειν οἵ τε ἄλλοι πιστὰ ἥγηνται, καὶ οἱ τὴν θάλασσαν πλέοντες πλεῖστα ἀνθρώπων ἐς τὴν Γλαύκου μαντικὴν κατὰ ἔτος ἕκαστον λέγουσι. Scripsit tragoediam de hoc Glauco Aeschylus, hymnos Euanthes et Pindarus, epos Alexander Aetolus, cuius fragm. extat ap. Athen. 296. **557. nomen.** Glauco Minois filio, qui infans adhuc dum murem persequitur (Apollod. iii. 3. 1) uel pila ludit (Hyg. 136) in dolium mellis cecidit, et sic exstinctus est. Hunc Polyidus uates, monumento cum eo inclusus, cum occisum anguem reuocatum ad uitam ab alio herbam adferente uidisset, eadem usus herba reuiuiscere fecit. Claudianus B. Get. 443 *Cretaque, si uerax narratur fabula, uidit Minoum rupto puerum prodire sepulcro, Quem senior uates auium clangore repertum Gramine restituit;*

mirae nam munere sortis Dulcia mella necem, uitam dedit horridus anguis (Const. Fanensis). Extat epistula quae fertur Eratosthenis ad Ptolemaeum de sepulcro quod Glauco Minos exstruxit, nota propter cubi duplicationem, ap. Eutocium ad Archimed. de Sphaer. et Cyl. ii. p. 144 ed. Torelli. Eam exhibuit in Eratosthenis relliquiis Hillerus p. 125. Rem fusius narrant Apollod. iii. 3. 1, Hyg. 136. Coniunxerunt trium Glaucorum fabulas etiam Apostolius v. 47, 48, 49, Eudocia Viol. 242–244. **558. Praefocent** uocabulum medicorum 'choke.' **noxia.** Melius fortasse scripserim *Gnosia.* Gnosos enim Minois regia Od. xix. 178. **559. Sollicitoque ore** ob metum mortis. **Anyti** qui cum Meleto et Lycone Socratem accusarunt Plat. Apol. x Ἐκ τούτων καὶ Μέλητός μοι ἐπέθετο καὶ Ἄνυτος καὶ Λύκων, Μέλητος μὲν ὑπὲρ τῶν ποιητῶν ἀχθόμενος, Ἄνυτος δὲ ὑπὲρ τῶν δημιουργῶν καὶ τῶν πολιτικῶν, Λύκων δὲ ὑπὲρ τῶν ῥητόρων. **doctissimus.** Nam in eo praecipue uertebatur accusatio Socratis quod σοφὸς esset et σοφίαν indagare se profiteretur. Responderatque Chaerephonti Pythia, sciscitanti numquis Socrate esset sapientior, μηδένα σοφώτερον εἶναι (Apol. v). *Anyti reum* Socratem dixerat Horatius S. ii. 4. 3. **560. Inperturbato** 'unruffled,' 'composed' uidetur Stoicorum esse. Sen. Ep. 85. 2 *Qui constans est, inperturbatus est. qui inperturbatus est, sine tristitia est.* **quod bibit** cicutae potum. Phaed. lxvi Καὶ ἅμα ὤρεξε τὴν κύλικα τῷ Σωκράτει. καὶ ὃς λαβὼν καὶ μάλα ἵλεως, ὦ Ἐχέκρατες, οὐδὲν τρέσας οὐδὲ διαφθείρας οὔτε τοῦ χρώματος οὔτε τοῦ προσώπου, ἀλλ' ὥσπερ εἰώθει ταυρηδὸν ὑποβλέψας πρὸς τὸν ἄνθρωπον, Τί λέγεις, ἔφη, περὶ τοῦδε τοῦ πόματος πρὸς τὸ ἀποσπεῖσαί τινι; ἔξεστιν, ἢ οὐ; **561. si quid amas** si quid amati habes. **Haemone** quam Haemoni, compendiarii comparatiui rariore usu; simillime tamen Scriptor Nucis 17, 18 *At postquam platanis sterilem praebentibus umbram Vberior quauis arbore uenit honor,* h. e. quam ulli arbori. Haemon filius Creontis, sponsus Antigonae, cum eam Creon damnasset ut in sepulcro uiua clauderetur, iuxta eam gladio se interfecit, uti narrat Sophocles Antig. 1220–1225 ἐν δὲ λοισθίῳ τυμβεύματι Τὴν μὲν κρεμαστὴν αὐχένος κατείδομεν, Βρόχῳ μιτώδει σινδόνος καθημμένην, Τὸν δ' ἀμφὶ μέσσῃ περιπετῆ προσκείμενον Εὐνῆς ἀποιμώζοντα τῆς κάτω φθορὰν Καὶ πατρὸς ἔργα καὶ τὸ δύστηνον λέχος. 1234–1239 εἶθ' ὁ δύσμορος Αὑτῷ χολωθείς, ὥσπερ εἶχ', ἐπενταθεὶς Ἤρεισε πλευραῖς μέσσον ἔγχος, ἐς δ' ὑγρὸν Ἀγκῶν' ἔτ' ἔμφρων παρθένῳ προσπτύσσεται. Καὶ φυσιῶν ὀξεῖαν ἐκβάλλει ῥοὴν Λευκῇ παρειᾷ φοινίου σταλάγματος. Prop. ii. 8. 21–24. Aliter Euripides in Antigona, quem secutus uidetur Hyginus 72. Scholiastae de Haemo interpretantur, qui cum sorore Rhodope, quia se inuicem amantes Iouem ac Iunonem appellabant, in montes conuersi sunt, Plut. de Flu. xi, Met. vi. 87–89. Sed Haemonem dici Haemum potuisse non credo, etsi melius sic ad Macareum transitur. **cedat** euentum habeat Pont. iv. 2. 48 *Vtiliter studium quod tibi cedit ama.* **562. sua** puella quam amabat, amoribus suis. Tib. i. 4. 75 *Pareat ille suae, uos me celebrate magistrum.* ii. 5. 103 *ferus ille suae plorabit.* **Macareus.** Plut. Parall. xxviii Αἴολος τῶν κατὰ Τυῤῥηνίαν βασιλεὺς ἔσχεν ἐξ Ἀμφιθέας θυγατέρας ἓξ καὶ ἴσους ἄῤῥενας· Μακαρεὺς δ' ὁ νεώτατος ἔρωτι ἔφθειρε μίαν, ἡ δὲ παιδίον ἐκύησεν. Ἔμπαις οὖσα δὲ καὶ ξίφους πεμφθέντος ὑπὸ τοῦ πατρὸς νόμον κρίνασα, ἑαυτὴν διεχρήσατο· ὁμοίως δὲ καὶ ὁ Μακαρεύς· ὡς Σώστρατος ἐν δευτέρᾳ Τυῤῥηνικῶν. **tua.** Prop. i. 9. 22 *Et nihil iratae posse negare tuae.* **563. uideas** infestum adstantem exercitum hostium, nec quicquam auxili Eur. Troad. 752–756. **iam** cum **tenerent** struendum. **flammae** incensi Ilii postquam *omnis humo fumat Neptunia Troia* Aen. iii. 3. **564. Hectoreus.** Troad. 1134 Θάψαι νεκρὸν τόνδ' ὃς πεσὼν ἐκ τειχέων Ψυχὴν ἀφῆκεν Ἕκτορος τοῦ σοῦ γόνος. **patria ab arce.** Troad. 779 βαῖνε πατρῴων Πύργων ἐπ' ἄκρας στεφάνας, ὅθι σοι Πνεῦμα μεθεῖναι ψῆφος ἐκράνθη. **puer** Astyanax, de quo iam u. 496. **565. Sanguine probra luas** infamiam generis incesti caede tua expies, ut Adonis

ab apro caesus. **Sanguine.** Bion Epit. Adon. 9 *τὸ δὲ οἱ μέλαν εἴβεται αἷμα Χιονέας κατὰ σαρκός.* 64 *Δάκρυον ἁ Παφία τόσσον χέει, ὅσσον* "Αδωνις *Αἷμα χέει, τὰ δὲ πάντα ποτὶ χθονὶ γίνεται ἄνθη· Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν.* **auo genitore creatus** 'he whose grandsire was the father that begot him.' Nam Cinyras Adonin ex filia sua Myrrha procreauit. **566. cui sua parens** Myrrha siue Smyrna **per facinus facta est soror,** cum ambo Cinyrae liberi essent. **567. teli genus,** aculeus trygonis 'prickly roach' quo Vlysses a filio suo *Telegono* uulneratus est. De hoc Aelianus H. A. ii. 36 dicit *κέντρον πικρότατον καὶ κίνδυνον φέρον ἁπάντων μᾶλλον ἢ τρυγὼν ἡ ἐκ τῆς θαλάσσης ἔχει.* Nicand. Ther. 828 *τρυγόνα ὀλοεργόν*, 834 *ἀνδρὶ δὲ σάρκες Πυθόμεναι μινύθουσι· λόγος γε μὲν* (**Traditur**) *ὥς ποτ'* 'Οδυσσεὺς "Εφθιτο *λευγαλέοιο τυπεὶς ἁλίου ὑπὸ κέντρου.* Historiam narrarat Sophocles in 'Οδυσσεῖ 'Ακανθοπλῆγι, tetigerat Aeschylus in Ψυχαγωγοῖς, Parthenius Erot. iii (Merry ad Od. xi. 134). **568. Icarii gener.** Penelope filia Icarii. Tzetz. ad Lyc. 794 Ὑπεργήρως *ὁ* 'Οδυσσεὺς *ἐτελεύτησεν ἀναιρεθεὶς ὑπὸ* Τηλεγόνου, *τοῦ ἐκ* Κίρκης *αὐτῷ γεννηθέντος υἱοῦ, πολεμῶν ὑπὲρ τῶν ἑαυτοῦ ποιμνίων. Μέμνηται δὲ τούτου καὶ ὁ* 'Οππιανὸς *εἰς τὰ περὶ τρυγόνος, λέγων οὑτωσί πως* Κεῖνο *ποτ' αἰγανέῃ δολιχήρεϊ κωπηέσσῃ* Κίρκη Τηλεγόνῳ *πολυφάρμακος ὤπασε μήτηρ, Αἰχμάζειν δηίοις ἅλιον μόρον. Αὐτὰρ ὁ νήσῳ Αἰγιβότῳ προσέκελσε καὶ οὐ μάθε, πώεα πέρθων* Πατρὸς *ἑοῦ· γεραρῷ δὲ βοηδρομέοντι τοκῆϊ Αὐτῷ τὸν μάστευε κακὴν ἀνεμάξατο κῆρα.* Hyg. 127 *Telegonus Vlyssis et Circes filius missus a matre ut genitorem quaereret, tempestate in Ithacam est delatus ibique fame coactus agros depopulari coepit. cum quo Vlysses et Telemachus ignari arma contulerunt. Vlysses a Telegono filio est interfectus, quod ei responsum fuerat, ut a filio caueret mortem.* **569. loquax** Anticlus qui equo durateo cum aliis primoribus Graiorum inclusus accedenti Helenae et uocem imitanti uxorum cuiusque solus responsurus erat, nisi Vlysses os manibus occlusisset. Od. iv. 285–289 "Ενθ' *ἄλλοι μὲν πάντες ἀκὴν ἔσαν υἷες* 'Αχαιῶν, "Αντικλος *δὲ σέ γ' οἶος ἀμείψασθαι ἐπέεσσιν* "Ηθελεν· *ἀλλ'* 'Οδυσεὺς *ἐπὶ μάστακα χερσὶ πίεζεν* Νωλεμέως *κρατερῇσι, σάωσε δὲ πάντας* 'Αχαιούς, qui uersus ab Aristarcho tamquam suppositicii reiecti sunt. Paulo aliter Tryphiodorus in 'Ιλίου 'Αλώσει, apud quem dum Helena iuxta aedem Mineruae circa equum incedens uxores Achiuum nominat, ceteri inclusi flent, "Αντικλος *δ' ὅτε κέντρον ἐδέξατο Λαοδαμείης,* Μοῦνος *ἀμοιβαίην ἀνεβάλλετο γῆρυν ἀνοίξας.* 'Αλλ' 'Οδυσεὺς *κατέπαλτο καὶ ἀμφοτέρῃς παλάμῃσιν* 'Αμφιπεσὼν *ἐπίεζεν ἐπειγόμενον στόμα λῦσαι·* Μύστακα *δ' ἀῤῥήκτοισιν ἀλυκτοπέδῃσι μεμαρπὼς* Εἶχεν *ἐπικρατέως· ὁ δ' ἐπάλλετο χερσὶ πιεσθείς,* Φεύγων *ἀνδροφόνοιο πελώρια δεσμὰ σιωπῆς.* Καὶ *τὸν μὲν λίπεν ἆσθμα φερέσβιον· οἱ δέ μιν ἄλλοι* Δάκρυσι *λαθριδίοισιν ἐπικλαύσαντες* 'Αχαιοὶ Κοῖλον *ὑποκρύψαντες ἐς ἰσχίον ἔνθεσαν ἵππου* Καὶ *χλαῖναν μελέεσσιν ἐπὶ ψυχροῖσι βαλόντες.** Eudocia Viol. 276 Flach nominatis 12 qui in equo inclusi sunt dubitat de Anticlo Εἰ *δὲ τοῦθ' οὕτως ἔχει, ποῦ ἐστιν* "Αντικλος *οὗ φθάσας ἐμνημόνευσεν ὁ ποιητής;* **elisus.** Her. ix. 85 *elisos faucibus.* **acerno.** Aen. ii. 112 *cum iam hic trabibus contextus acernis Staret ecus.* 'In describing the Trojan horse, Virgil first speaks of it as pinewood, then as maple, and lastly as oak; not, I think, from confusion or forgetfulness, but as an assertion of the poet's privilege to represent, in as many ways as he pleased, the general notion of wood.' Conington, Introd. to Aeneid p. 10. Optimi codices habent *agenor;* fuitque Agenor inter Troianos quos nocte caesos dixit Lesches qua Troia capta est. Paus. x. 25. 5, 6, 27. 2, Kinkel Epic. Graec. Fragm. pp. 44, 45: ut non desit causa erroris inueterati. **571. Anaxarchus.** Diog. L. ix. 58 'Ανάξαρχος, 'Αβδηρίτης. *ὁ δ' οὖν* 'Ανάξαρχος *καὶ* 'Αλεξάνδρῳ *συνῆν, καὶ ἤκμαζε κατὰ τὴν δεκάτην καὶ ἑκατοστὴν* 'Ολυμπιάδα, *καὶ εἶχεν ἐχθρὸν* Νικοκρέοντα *τὸν* Κύπρου *τύραννον. καί ποτε ἐν συμποσίῳ τοῦ* 'Αλεξάνδρου

* Primus ex Odyssea et Tryphiodoro locum sic interpretatus est Politianus Misc. 75.

ἐρωτήσαντος αὐτὸν τί ἄρα δοκεῖ τὸ δεῖπνον; εἰπεῖν φασίν, Ὦ βασιλεῦ, πάντα πολυτελῶς· ἔδει δὲ λοιπὸν κεφαλὴν σατράπου τινὸς παρατεθεῖσθαι· ἀποῤῥίπτων πρὸς τὸν Νικοκρέοντα. ὁ δὲ μνησικακήσας μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ βασιλέως, ὅτε πλέων ἀκουσίως προσηνέχθη τῇ Κύπρῳ ὁ Ἀνάξαρχος, συλλαβὼν αὐτὸν καὶ εἰς ὅλμον βαλών, ἐκέλευσε σιδηροῖς ὑπέροις τύπτεσθαι· τὸν δὲ οὐ φροντίσαντα τῆς τιμωρίας εἰπεῖν ἐκεῖνο δὴ τὸ περιφερόμενον, Πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πλήττεις. κελεύσαντος δὲ τοῦ Νικοκρέοντος καὶ τὴν γλῶτταν αὐτοῦ ἐκτμηθῆναι, λόγος ἀποτραγόντα ἐμπτύσαι αὐτῷ. Val. Max. iii. 3. 4 Ext., Philo p. 881, Cic. Tusc. ii. 22. 52, de N. D. iii. 33. 82. Tertullian. Apolog. 532 Migne *Anaxarchus cum in exitium ptisanae pilo tunderetur*, Tunde, Tunde, *aiebat*, Anaxarchi follem; *Anaxarchum enim non tundis.* Vide quae ad Diog. L. ix. 58 congessit Menagius. Nonnus ad Greg. Inuect. 15 ab Archelao tradit cruciatum Anaxarchum; id quod nullo modo fieri potuit (Bentleius ad Phal. p. 95). **pila** mortario. **minuaris** comminuaris 'may you be crushed small.' F. ii. 647 *Ligna senex minuit, concisaque construit arte.* **572. Ictaque** tunsa. **pro solitis frugibus** loco frugum quae ibi tundi solent. **573, 4.** Quod uiderant Schol. et Domitius in comment. ad h. l., pleraque in hoc disticho excepto nomine Psamathes conueniunt fabulae quam narrat Ouidius M. iv. 190–255, Lactantius Narrat. iv. 5, Anonymus ap. Mythog. Graec. Westermann p. 348. *Ἥλιος Λευκοθόῃ τῇ Ὀρχομένου* (l. *Ὀρχάμου*) *μιγῆναι θελήσας εἰς τὴν μητέρα τῆς προειρημένης μετεμορφώθη. ταύτην ὁ πατὴρ ζῶσαν κατώρυξεν, Ἥλιος δὲ εἰς δένδρον λιβανοφόρον μετεμόρφωσε, ποιήσας ἐκ τοῦ τάφου αὐτῆς φῦναι, τὴν δὲ ἀδελφὴν αὐτῆς εἰς πόαν ἡλιοτρόπιον διὰ τὸ κατηγορῆσαι αὐτῆς.* Bene enim cum uerbis **condat te Phoebus in ima Tartara quod natae fecerat ille suae** conueniunt M. iv. 237 *Ille* (parens Leucothoes) *ferox inmansuetusque precantem Tendentemque manus ad lumina solis et 'Ille Vim tulit iratae' dicentem* defodit alta Crudus humo, *tumulumque super grauis addit harenae*: quod autem in Metam. non addidit Ouidius patrem Leucothoes ipsum interfectum fuisse, id ne de Crotopo quidem nisi ex hoc loco Ibidis constat. Praetuli tamen Scholiastarum G et Ask. interpretationem, quamuis haesitans; cum in sequente disticho de Crotopo transitus fiat ad Coroebum, h. e. ad eiusdem fabulae alteram partem. **573. patrem Psamathes** Crotopum, qui filiam Psamathen, Lini ex Phoebo matrem, interfici iussit. Paus. i. 43. 7 *Ἐπὶ Κροτώπου λέγουσιν ἐν Ἄργει βασιλεύοντος Ψαμάθην τὴν Κροτώπου τεκεῖν παῖδα ἐξ Ἀπόλλωνος, ἐχομένην δὲ ἰσχυρῶς τοῦ πατρὸς δείματι τὸν παῖδα ἐκθεῖναι. καὶ τὸν μὲν διαφθείρουσιν ἐπιτυχόντες ἐκ τῆς ποίμνης κύνες τῆς Κροτώπου, Ἀπόλλων δὲ Ἀργείοις ἐς τὴν πόλιν πέμπει Ποινήν· ταύτην τοὺς παῖδας ἀπὸ τῶν μητέρων φασὶν ἁρπάζειν, ἐς ὃ Κόροιβος ἐς χάριν Ἀργείοις φονεύει τὴν Ποινήν* (575, 6). Cf. Anth. P. vii. 154. Sed Crotopum ipsum aut ex immissa Poena aut alio quo supplicio periisse non comperi. Sepulcrum eius Argis uidit Pausanias ii. 23. 7. **in ima Tartara** ex mente Ouidii in Ibin. **574. natae fecerat** ut *uati quod fecit Achaeo* 541. Con. xix *Ἡ δὲ ὑπερπαθήσασα κατάφωρος γίνεται τῷ πατρὶ καὶ δικάζει αὐτῇ θάνατον, πεπορνεῦσθαι καὶ καταψεύδεσθαι αὐτὴν Ἀπόλλωνος οἰηθείς.* Stat. T. i. 594 *Occurrit confessa patri: nec motus et atro Imperat* (*infandum*) *cupientem occurrere leto.* **575. pestis** Ποινή. Vide locum Pausaniae citatum ad 573. Κὴρ dicitur Anth. P. vii. 154. 3. Statius sic descripsit T. i. 598 *cui uirginis ora Pectoraque, aeternum stridens a uertice surgit Et ferrugineam frontem discriminat anguis.* **Argolicisque**: notandum *que* post tertium demum uocabulum additum, quod non rarum Ouidio in Fastis Tristibus Epistulis de Ponto: et *Argolicis* pro *Argiuis* quod uereor ut Latinum sit. An *Argolisin?* Nam in matres praecipue Poena saeuiebat. **577. nepos Aethrae,** Hippolytus. **Veneris moribundus ob iram** recte Saluagnius explicat ex F. v. 309 *Hippolyte infelix, uelles coluisse Dionen, Cum consternatis diripereris equis* et Euripidis Hippolyto. Hipp. 1400 ΑΡΤ. *Κύπρις γὰρ ἡ πανοῦργος ὧδ'*

ἐμήσατο. ΙΠ. *Ὤμοι φρονῶ δὴ δαίμον' ἥ μ' ἀπώλεσε.* ΑΡΤ. *Τιμῆς ἐμέμφθη, σωφρονοῦντι δ' ἤχθετο.* **moribundus** de eo dicitur qui grauiter uulneratus mortem toto corpore accepit. Cic. Sest. xxxix. 85 *tribunum plebis plus uiginti uulneribus acceptis iacentem moribundumque uidistis.* Sed hic fortasse praestat quod habet T *moriturus* h. e. cui in fatis erat ut moreretur. **578. Exul** in exilium actus propter suspiciones Thesei Hipp. 1048–1050, 1125. **attonitis**, exterritis, primum sonitu subterraneo, deinde ingenti fluctu ex quo taurus prouenit, postremo mugitu et praesentia tauri (Hipp. 1201–1217). **excutiaris** 'may you be dashed to the ground.' Aen. x. 590 Excussus *curru* moribundus *uoluitur aruis.* **579. Propter opes magnas.** Eur. Hec. 10 *Πολὺν δὲ σὺν ἐμοὶ χρυσὸν ἐκπέμπει λάθρα Πατὴρ* (Priamus, Polydori pater). **ut perdidit hospes alumnum.** Hec. 25 *Κτείνει με χρυσοῦ τὸν ταλαίπωρον χάριν Ξένος πατρῷος καὶ κτανὼν ἐς οἶδμ' ἁλὸς Μεθῆχ' ἵν' αὐτὸς χρυσὸν ἐν δόμοις ἔχῃ.* **hospes**, Polymnestor cui Priamus Polydorum educandum tradiderat. **580. exiguas.** Hinc suspiceris Ibidis fortunas non ita magnas fuisse. **581. sex cum Damasichthone fratris**, filios Niobes. Erant secundum Apollod. iii. 5. 5 Sipylus Minytus (Eupinytus Hyg. 11) Ismenus Agenor (Archenor Hyg.) Phaedimus Tantalus. Hos septem Apollo interfecit, sorores et ipsas septem Diana, quia Niobe fecunditate se parem Latonae dixerat. Homerus Il. xxiv. 602 bis sex liberos Niobae tribuit, Mimnermus et Pindarus bis decem, alii aliter (Apollod. l. c. Ael. V. H. xii. 36). **583. Addidit**, mortes liberorum cumulauit sua, 'completed the tale of his children's deaths by his own.' F. vi. 798 *coeptis addite summa meis.* **fidicen** Amphion, maritus Niobes. **sua funera.** Met. vi. 271 *Nam pater Amphion, ferro per pectus adacto, Finierat moriens pariter cum luce dolorem.* Sed Hyginus 9 docet Amphionem cum templum Apollinis expugnare uellet ab Apolline sagittis interfectum esse. **584. iusta** 'well-merited,' qualia te subire par est, qui talis sis. Pont. iv. 15. 29, 30 *Et pudet et metuo semperque eademque precari, Ne subeant animo* taedia iusta *tuo.* **585. soror Pelopis** Niobe, Tantali filia. **saxo.** Hyg. 9 *At genitrix liberis orba flendo lapidea facta esse dicitur in monte Sipylo, eiusque hodie lacrimae manare dicuntur.* Il. xxiv. 614 Νῦν δέ που ἐν πέτρῃσιν, ἐν οὔρεσιν οἰοπόλοισιν, Ἐν Σιπύλῳ ὅθι φασὶ θεάων ἔμμεναι εὐνὰς Νυμφάων, αἵ τ' ἀμφ' Ἀχελώιον ἐρρώσαντο, Ἔνθα θεός περ ἐοῦσα θεῶν ἐκ κήδεα πέσσει. **oborto.** M. v. 202 *Gorgone conspecta saxo concreuit oborto*, x. 67 *saxo per corpus oborto* 'by a sudden growth of stone.' **586. lingua.** Lact. Narrat. ii. 11 *Apollo Iouis et Latonae filius cum pecus Admeti Pheretis filii pasceret, fistulae cantu solitudinem protegens, boues eius in agros Pyliae regionis progressae sunt, quas Mercurius auertit et in silua occubuit. quod cum Battus Nelei filius equas pascens uidisset, Mercurius uero ut indicium premeret, ex armentis formosissimam uaccam ei concessit. at ille discedenti affirmauit lapidem proximum quem uidisset celerius quam se quicquam indicaturum. deus uero ut mortalis fidem experiretur, paullo post mutata figura ad eundem reuersus est, simulauitque se amissas boues quaerere, et praemium promisit si demonstrasset. at ille cum sub quo monte pascerentur ostendisset, Mercurius perfidia eius offensus* in lapidem eum mutauit, *qui ab euentu* index *circa Pylum uocatur.* Historiam narrant Ouidius M. ii. 683–707, Ant. Liberalis xxiii, qui inter auctores nominat Nicandrum in Heteroeumenis, Hesiodum in Eoeis, Apollonium Rhodium in Epigrammatibus. **Battus.** Erant quaedam Βάττου σκοπιαὶ iuxta Maenalum quae causam dederunt fabulae, et, si fides Ouidio M. ii. 706, nomen *Indicis* retinebant. **587. Aëra.** Non ad certum ac finitum terminum mittebant discos, sed conabantur quantum longissime per uacuum aërem prospiciebant iaculari. Sic Phlegyas ille ap. Stat. T. vi. 678 *non protinus horrida campi Iugera, sed caelo* dextram metitur, *humique Pressus*

utroque genu, collecto sanguine discum Ipse super sese rotat atque in nubila condit. **misso** 'by launching.' **iaculabere** 'fling at.' Idem fere quod metiere. **588. Quo orbe**, ut *qui aper* 503, 4: nam neque discus neque aper *unus* intelligitur, sed est brachylogia pro 'eodem modo te aper rumpat quo Lycurgiden, discus quo Hyacinthum.' **orbe**, disci M. x. 183 *Tollere Taenarides orbem properabat, at illum Dura repercussum subiecit in aëra tellus In uultus, Hyacinthe, tuos.* Stat. T. vi. 656. **Oebalides** M. x. 196. Hyacinthus Oebali filius est Hygino 271, Luciano Dial. Mort. 14. Plerisque Hyacinthus filius Amyclae, patruus Oebali est: Oebalus enim filius Cynortae, fratris Hyacinthi. Paus. iii. 1. 3. **589. alternos lacertos**, quod fit in nando. M. iv. 353 *Desilit in latices, alternaque brachia iactans In liquidis translucet aquis.* **590. Abydena** in qua Leander periit. **peior** infestior, ut *melior* 629 est tutior. **591. Comicus.** (1) *Eupolis.* Suid. s. u. Εὔπολις. Ἀπέθανε ναυαγήσας κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον ἐν τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους πολέμῳ· καὶ ἐκ τούτου ἐκωλύθη στρατεύεσθαι ποιητήν. Quibus uerbis Meinekius Com. Fragm. i. p. 105 non dubitauit quin aut celebris illa Atheniensium uictoria de Lacedaemoniis ad Cynossema reportata aut proelium ad Aegospotamos commissum significatum sit. Plures Eupolin 'ab Alcibiade in Siciliam nauigante propter Baptas fabulam in mare deiectum esse ferunt.' Meinekius l. c. Schol. Aristidis p. 444 Dindorf ap. Bergk. Poet. Lyr. p. 593 Ἐκωμῴδουν ὀνομαστὶ τοὺς ἄνδρας μέχρις Εὐπόλιδος· περιεῖλε δὲ τοῦτο Ἀλκιβιάδης ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ. κωμωδηθεὶς γὰρ παρὰ Εὐπόλιδος ἔρριψεν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάττῃ ἐν Σικελίᾳ συστρατευόμενον, εἰπὼν Βάπτε με (Βάπτεις μ' Bergkius) ἐν θυμέλῃσιν, ἐγὼ δέ σε κύμασι πόντου Βαπτίζων ὀλέσω νάμασι πικροτάτοις. Cic. ad Att. vi. 1. 18 *Nos publicam prope opinionem secuti sumus ut multa apud Graecos. Quis enim non dixit* Εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας *ab Alcibiade nauigante in Siciliam deiectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes, affert enim quas ille post id tempus fabulas docuerit.* Cum itaque uulgatam fuisse hanc de Eupolidis morte fabulam diserte doceat Cicero, non multum contra ualet id quod idem Meinekius ostendit, Aelianum H. A. x. 41 et Tzetzam Chil. iv. 245 Eupolin in Aegina insula mortuum sepultumque tradere, Pausaniam autem ii. 7. 4 monumentum eius in agro Sicyonio se uidisse narrare. Fuitque haec sententia Politiani*, Turnebi Aduers. ix. 26, Schotti Obs. ii. 32. (2) *Menander.* Schol. Saluagnii dicit hunc dum in Piraeeo nataret submersum esse: quod uerum habuit Meinekius Prolegom. ad Menandri Fragm. p. xxv, quamuis ex tanta eorum qui uitam Menandri attigere multitudine nemo id alius commemorarit. Sane sepulcrum eius in uia quae a Piraeeo Athenas ducebat uidit Pausanias i. 2. 2, et in Piraeeo praedium habuit, si non commenta finxit Alciphron ii. 4. Sed tam multa Scholiastae Ibidis aut ficta aut certe falsa habent ut nolim his contra Ciceronem credere. (3) *Terentius.* Sueton. in uit. Terentii p. 32 Reyfferscheid *De morte eius Volcatius sic tradit. Sed ut Afer populo sex dedit comoedias, Iter hinc in Asiam fecit. nauem autem ut semel Conscendit, uisus numquam est: sic uita uacat. Q. Cosconius redeuntem e Graecia perisse in mari dicit cum* C *et* VIII *fabulis conuersis a Menandro: ceteri mortuum esse in Arcadia Stimphali siue Leucadiae tradunt, Cn. Cornelio Dolabella M. Fuluio Nobiliore consulibus, morbo implicatum ex dolore ac taedio amissarum sarcinarum quas in naue praemiserat, simul fabularum quas nouas fecerat*†. Fuit haec sententia Phil. Beroaldi: ueram tamen non credo. Semper in his

* Nutricia 681 *Eupolin in medium quem mendax fabula pontum Cliniadae manibus puppi deturbat ab alta.*

† Emendarunt hunc locum Suetonii Ritschelius ap. Reyfferscheid pp. 520, 1, Behrensius et Fleckeisenus in Annal. Philol. Fleckeiseni anni 1876, pp. 594-6, sed ut litem quae de eo est maxima non diremerint.

historiis Graeca Romanis praetulit Ouidius. **liquidis** dicitur respectu nantis ut M. i. 95 *in liquidas pinus descenderat undas*, Cat. lxiv. 2 *liquidas Neptuni nasse per undas.* **dum nabat** 'swimming.' Sperabat nando se in tutum euasurum. **592. Et** etiam, cf. 460. **Stygius.** Inepte Saluagnius ad Styga Arcadicam retulit, quasi *uenenatis* aquis Ibis periturus esset. (Paus. viii. 17. 6 sqq., Strab. 389, Ael. H. A. x. 40, Vitruu. viii. 3, Sen. N. Q. iii. 25, Plin. H. N. ii. 231, xxx. 149, xxxi. 26). **Stygius liquor** eodem sensu dicitur quo M. xii. 321 '*Miscenda*'*que dixit* '*Cum Styge uina bibes*,' h. e. bibes cum uino mortem, bibentem mors ex me occupabit. Sic *Stygia unda*, *aqua*, *Stygiae undae*, *aquae* constanter usurpantur Ouidio. Sed hic non bene Stygis uel leti amnem cum ueris aquis confudit quibus inimicum strangulatum cupit, nimirum quod quae aquae mersurae, eaedem leto essent daturae. Et sic Merkelius ad loc. Eodem fere modo dum in undis iactatur marinos deos alloquens dicit *Mittere me Stygias si iam uoluisset ad undas Caesar, in hoc uestra non eguisset ope.* Tr. i. 2. 65, 6. **strangulet ora liquor.** Sic de Paeto naufragante Propertius iii. 7. 52 *Et miser inuisam traxit hiatus aquam*, 56 *Cum moribunda niger clauderet ora liquor.* **593. superaris** euaseris. Agric. xxxiii *Superasse tantum itineris, siluas euasisse, transisse aestuaria.* **594. humo.** Aen. vi. 355 *Tres Notus hibernas inmensa per aequora noctes Vexit me uiolentus aqua: uix lumine quarto Prospexi Italiam summa sublimis ab unda. Paulatim adnabam terrae: iam tuta tenebam, Ni gens crudelis madida cum ueste grauatum Prensantemque uncis manibus capita aspera montis Ferro inuasisset, praedamque ignara putasset.* **595. cothurnatum uatem,** Euripidem. **tutela Dianae,** canes qui Dianae aedem tuebantur, ut ex 596 uigilum *canum* apparet, et ex Hyg. 247 *Euripides tragoediarum scriptor* in templo *consumptus est.* Sic M. viii. 711 *templi tutela fuere* (Baucis et Philemon), id quod petiuerant 707, *Esse sacerdotes, delubraque uestra tueri Poscimus;* sic M. iii. 617 *flauus prorae tutela Melanthus.* 'Or as the wrathfull dogges that kept Dianas thinges in peace: In peeces may thee teare, as once they did Euripides.' T. Vnderdown. Non est 'canes qui in tutela erant Dianae,' etsi nonnumquam sic usurpatur *tutela*, Trist. i. 10. 1, nec raro struitur cum genitiuo, qui dicitur, subiecti, ut *tutela Priapi* G. iv. 111, *t. deorum* Grat. 407, 482; canes autem Dianae sacros fuisse notissimum est. Eudoc. Viol. iv. de Diana uenatrice agens Συνῳδὸν δὲ τούτῳ καὶ τὸ τοὺς κύνας ἱεροὺς αὐτῆς νομισθῆναι, πρός τε τὰς θύρας ἔχοντας ἐπιτηδείως καὶ ἀγρυπνεῖν ἐν ταῖς νυξὶ καὶ ὑλακτεῖν πεφυκότας. Ar. Ran. 1360, Grat. 483–496: denique Euripides a Molossis discerptus dicitur quod genus canum uenantibus utilissimum erat. **596. Dilaniet.** Euripides in Bormisco Macedoniae κυνοσπάρακτος traditur fuisse a canibus quos ἑστερικὰς uocitabant Macedones (Steph. B. s. u. Βορμίσκος). Hermesianax ap. Athen. 598 Εἰσόκε σοὶ δαίμων, Εὐριπίδη, εὗρετ' ὄλεθρον Ἀμφιβίου στυγνῶν ἀντιάσαντι κυνῶν. Anth. P. vii. 44. 2 Καί σε λυκορραῖσται δεῖπνον ἔθεντο κύνες. Gell. xv. 20. 9 *Is cum in Macedonia apud Archelaum regem esset utereturque eo rex familiariter rediens nocte ab eius cena canibus a quodam aemulo inmissis dilaceratus est.* Res uarie tradita est; nam ut omittam eos qui ut Addaeus Anth. P. vii. 51 negabant poëtam aut a canibus aut a feminis discerptum esse, scriptores uitae Euripidis, quos Dindorfius in Schol. T. i. pp. 1–15 exhibet quinque, non inter se consentiunt. Horum primus dicit Archelai uagam canem Molossicam cum Thraces patrio more mactassent comedissentque et ab Archelao talento multarentur, Euripidem multam deprecatum: postea dum in nemore (sic etiam quartus) conquiescit uenantis Archelai canibus ex cane illa editis dilaniatum. Tertius, noctu ab Archelao redeuntem a regis canibus periisse; quintus, insidiatos ei duos poetas Arribaeum Macedonem, Thessalum Crateuam persuasisse seruo Archelai Lysi

macho,* ut regios canes in eum inmitterent. Aliam narrationem secutus uidetur Ouidius, nescio unde mutuatus. **uigilum.** M. ii. 538 *Nec seruaturis* uigili *Capitolia uoce Cederet anseribus.* **597. Trinacrius,** Empedocles *philosophus Agrigentinus id est Siculus, qui cum lacum Aetnae montis inuestigare contenderet, decidit in igneam foueam et incendio consumptus est*, ut docet Placidus s. u. Casus Empedocleos. **salias.** Diog. L. viii. 69 'Ἱππόβοτος δέ φησιν ἐξαναστάντα αὐτὸν ὡδευκέναι ὡς ἐπὶ τὴν Αἴτνην· εἶτα παραγενόμενον ἐπὶ τοὺς κρατῆρας τοῦ πυρὸς ἐναλέσθαι καὶ ἀφανισθῆναι, βουλόμενον τὴν περὶ αὐτοῦ φήμην βεβαιῶσαι ὅτι γεγόνοι θεὸς, ὕστερον δὲ γνωσθῆναι ἀναῤῥιπισθείσης αὐτοῦ μιᾶς τῶν κρηπίδων· χαλκᾶς γὰρ εἴθιστο ὑποδεῖσθαι. Hor. A. P. 462 *Qui scis an prudens huc se proiecerit atque Seruari nolit, dicam, Siculique poetae Narrabo interitum. Deus inmortalis haberi Dum cupit Empedocles ardentem frigidus Aetnam Insiluit.* Simili morte anno 1821 Gallicus quidam iuuenis in Vesuuium se praecipitasse dicitur. 'On the third day he went out as usual to collect and examine the volcanic matter on the mountain, and on approaching this crater, then in action, desired the guide to fetch him a particular stone at a little distance off, but on the instant of his turning his back he threw himself headlong into the burning crater. The guide instantly ran to the spot, but only in time to see him thrown up, and immediately reduced to a cinder.' Life of Charles J. Mathews, I. p. 131. **ora.** Menagius ad Diog. L. l. c. 'Crateres sunt quas Latini *fauces* siue *ora* appellant. Lucretius in vi (702) ubi de Aetna *In summo sunt uertice item crateres, ut ipsi Nominitant, nos quod fauces perhibemus et ora.*' Hunc sensum credo Ouidium respexisse. **Gigantis.** Pont. ii. 10. 23, 24 *Vidimus Aetnaea caelum splendescere flamma Suppositus monti quam uomit ore gigans.* Hunc alii alium tradunt: Pindarus Pyth. i. 34, Aeschylus Prom. 365, 370, Val. Fl. ii. 24, Ouid. F. iv. 491, Typhoeum: Callimachus H. Del. 143 Briareum: Vergilius Aen. iii. 578, scriptor Aetnae 71–73 Munro, Lucanus vi. 294, Statius T. xi. 8, Silius xiv. 580, Enceladum. Cf. Coningtonem ad Aen. iii. 578. **598. Plurima Aetna.** Significationem superlatiui a re ad locum transtulit. Simillime Statius T. i. 114 *abrupta qua plurimus arce Cithaeron Occurrit caelo.* Minus dure Vergilius Aen. viii. 257 *qua plurimus undam Fumus agit*, 'in volumes.' **599. Diripiantque.** Plat. Rep. x. 620 'Ἰδεῖν γὰρ ψυχὴν ἔφη τήν ποτε Ὀρφέως γενομένην κύκνου βίον αἱρουμένην, μίσει τοῦ γυναικείου γένους διὰ τὸν ὑπ' ἐκείνων θάνατον οὐκ ἐθέλουσαν ἐν γυναικὶ γεννηθεῖσαν γενέσθαι. (Saluagn.) **insanis unguibus.** Orphei mortem descripsit M. xi. 1–66, ubi Ciconum nurus postquam uelut Maenades (22), feras uolucresque, theatrum uatis, rapuere, *Inde cruentatis uertuntur in Orphea dextris* (23). **600. Strymoniae matres.** Vergilio *Ciconum matres* sunt G. iv. 520. **601. Natus ut Althaeae,** Meleager. **flammis absentibus,** titione qui quamdiu esset incolumis, Meleager uicturus erat: quem titionem mater Althaea, irata quod is apri Calydonii pellem Atalantae donatam auunculis suis Idaeo Plexippo Lynceo nollet concedere eosque ui eripientes occidisset, *memor Parcarum praecepti ex arca prolatum in ignem coniecit* (Hyg. 174). Aesch. Choëph. 605 Τὰν ἁ παιδολύμας τάλαινα Θεστιὰς μήσατο Πυρδαῆ τινα πρόνοιαν, καταίθουσα παιδὸς δαφοινὸν Δαλὸν ἧλικ' ἐπεὶ μολὼν ματρόθεν κελάδησε Σύμμετρόν τε διαὶ βίου μοιρόκραντον ἐς ἦμαρ. Prop. iii. 22. 31 *Nec cuiquam* absentes arserunt *in caput* ignes *Exitium nato matre parante suo* (Saluagn.) Swinburne Atalanta in Calydon *Without sword, without sword is he stricken; Slain, and slain without hand. He wastes as the embers quicken, With the brand*

* Suidas haec tradit s. u. Προμέρου κύνες· τοῦτόν φασι βασιλικὸν δοῦλον ὄντα μισῆσαι Εὐριπίδην καθ' ὑπερβολήν· ὥστε καὶ κύνας ἀγρίους ἐπαφεῖναι αὐτῷ, οἵτινες αὐτὸν κατεθοινήσαντο, quae eadem extant ap. Diogenianum vii. 52.

M 2

he fades as a brand. **602. Sic**, absente te, nec sciente unde tua mors ueniat. Precatur ut Ibis per magicas deuotiones pereat. 'So may a fire-brand kindle thy funeral-pile.' **603. Phasiaca** Colcha, quo uocabulo corona et Medeae fuisse et uenenata significatur. Hyg. 25 *Huic* (Iasoni) *Creon Menoecei filius rex Corinthius filiam suam minorem Glaucen dedit uxorem. Medea cum uidit se erga Iasonem bene merentem tanta contumelia esse affectam coronam ex uenenis fecit auream eamque muneri filios suos iussit nouercae dare. Creusa munere accepto cum Iasone et Creonte conflagrauit.* Naphtha delibutam coronam rati sunt Plutarchus Alex. xxxv et Suidas s. u. *Μήδεια*. (Muncker.) **conpressa est** 'was crushed,' cum capiti adhaereret immobilis. Eur. Med. 1190 *Φεύγει δ' ἀναστᾶσ' ἐκ θρόνων πυρουμένη Σείουσα χαίτην κρᾶτά τ' ἄλλοτ' ἄλλοσε, Ῥῖψαι θέλουσα στέφανον· ἀλλ' ἀραρότως Σύνδεσμα χρυσὸς εἶχε, πῦρ δ' ἐπεὶ κόμην Ἔσεισε, μᾶλλον δὶς τόσως τ' ἐλάμπετο.* Sed uerum potest esse **conprensa** 'took fire,' quod de subito incensis usurpari probauit Heinsius ex Liu. xxvi. 27, M. ix. 235. **nupta** Glauce siue Creusa. **604. pater** Creon. **domus**. Hyg. 25 *Medea ubi* regiam *ardere uidit, natos suos ex Iasone Mermerum et Pheretem interfecit et profugit Corintho.* **605. cruor** Nessi Centauri. **abiit**. Eodem sensu de Hercule moriente M. ix. 161 *Incaluit uis illa mali, resolutaque flammis Herculeos* abiit *late diffusa per artus.* Absorptum uenis uirus sanguinis dicit. Trach. 832, 3 *Χρίει δολοποιὸς ἀνάγκα Πλευρὰ προστακέντος ἰοῦ.* **607, 8. Penthiladen** si uere tradunt MSS, uidetur is ex Penthiladarum fuisse stirpe, qui Penthilo filio Orestis orti Lesbi in Mitylenis tyrannidem exercebant. Aristot. Polit. v. 10 *Πολλοὶ δὲ καὶ διὰ τὸ εἰς τὸ σῶμα αἰκισθῆναι πληγαῖς ὀργισθέντες οἱ μὲν διέφθειραν οἱ δὲ ἐνεχείρησαν ὡς ὑβρισθέντες, καὶ τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ βασιλικὰς δυναστείας, οἷον ἐν Μιτυλήνῃ τοὺς Πενθαλίδας Μεγακλῆς περιιόντας καὶ τύπτοντας ταῖς κορύναις ἐπιθέμενος μετὰ τῶν φίλων ἀνεῖλεν, καὶ ὕστερον Σμέρδις πληγὰς λαβὼν καὶ παρὰ τῆς γυναικὸς ἐξελκυσθεὶς διέφθειρεν.* Cf. Plut. de Sollert. Animal. 984, Conuiu. Sapient. 163. Sed Lycurgum aliquem inter hos fuisse non reperio. Ceterum Aristotelis codices *πενθαλίδας* uel *πενταλίδας* exhibent, quod sane ad Penthiladen Pentheliden Penteliden (sic enim scriptum est in Ibidis codicibus) proxime accedit. Iam Penthilus filius Erigones (Tzetz. ad Lyc. 1374): Erigone autem alia, filia Icarii, paulo post inducitur (613): quo filo interdum conectuntur Ibidis historiae. Historia quamquam periit, potuit huiusmodi aenigma subesse; talis teli plaga te maneat qualis Lycurgum, qui cum nouum genus teli in supplicium reorum excogitasset, hoc proprio inuento et quasi quadam *prole sua* extinctus est. Sic *Θηρικλέους τέκνον* culicem a Thericle repertam uocabant teste Photio in Lex. s. u. Vide Excursum. **609. Milon.** Val. Max. ix. 12. 9 Ext. *Milo Crotoniates, cum iter faciens quercum in agro* cuneis adactis fissam *uidisset, fretus uiribus, accessit ad eam, insertisque manibus diuellere conatus est: quas arbor excussis cuneis in suam naturam reuocata compressit, eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris praebuit.* Gell. xv. 16, Strab. 263, Paus. vi. 14. 2. Vide Mayor ad Iuuen. x. 10. **fissile** 'wedge-split.' G. i. 144 *Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.* Aen. vi. 181 *cuneis et fissile robur.* **610. captas.** Gell. xv. 16 *Quercus autem in duas diducta partes, cum ille, quasi perfecto quod erat conixus, manus laxasset, cessante ui rediit in naturam,* manibusque eius retentis inclusisque *stricta denuo et cohaesa dilacerandum hominem feris praebuit.* **611. Icarus.** Hyg. 130 *Cum Liber pater ad homines esset profectus, ut suorum fructuum suauitatem atque iucunditatem ostenderet, ad Icarium et Erigonam in hospitium liberale deuenit. iis utrem plenum uini muneri dedit iussitque ut in reliquas terras propagarent. Icarius plaustro onerato cum Erigone filia et cane Maera in terram Atticam ad pastores deuenit et genus*

suauitatis ostendit. pastores cum immoderatius biberent ebrii facti conciderunt, qui arbitrantes Icarium sibi malum medicamentum dedisse fustibus eum interfecerunt. **Icarus** pro solito Graecorum *Icarius*, et hic et M. x. 450 posuit, quod monuit Buntius ad Hyg. 130. Fluctuasse Romanos indicio est Hygini cod. Frisingensis qui in 224 *Icarus Icari Icarus* ter exhibet, teste M. Schmidtio. **in quem.** Vsitatior datiuus post *inferre.* **613. dolore necis patriae.** Hyg. 130 *Icarium autem occisum canis ululans Maera Erigonae monstrauit ubi pater insepultus iaceret. quo cum uenisset, super corpus parentis in arbore suspendio se necauit.* Eadem historia in scholiis Arateorum Germanici p. 66 Breysig. **614. Vincula per laquei.** M. xiv. 735 *Cum foribus laquei religaret uincula summi.* **615. Obstructoque.** Primus Const. Fan. Hecatost. 9 interpretatus est de Pausania rege Spartanorum ex Thuc. i. 134 *Καὶ ἐς οἴκημα οὐ μέγα, ὃ ἦν τοῦ ἱεροῦ, ἐσελθὼν ἵνα μὴ ὑπαίθριος ταλαιπωροίη, ἡσύχαζεν* (Pausanias). *οἱ δὲ τὸ παραυτίκα μὲν ὑστέρησαν τῇ διώξει, μετὰ δὲ τοῦτο τοῦ τε οἰκήματος τὸν ὄροφον ἀφεῖλον καὶ τὰς θύρας ἔνδον ὄντα τηρήσαντες αὐτὸν καὶ ἀπολαβόντες εἴσω ἀπῳκοδόμησαν, προσκαθεζόμενοί τε ἐξεπολιόρκησαν λιμῷ. Καὶ μέλλοντος αὐτοῦ ἀποψύχειν ὥσπερ εἶχεν ἐν τῷ οἰκήματι αἰσθόμενοί τε ἐξάγουσιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἔτι ἔμπνουν ὄντα καὶ ἐξαχθεὶς ἀπέθανε παραχρῆμα.* Idem narrant Lycurgus c. Leocr. 132, Corn. Nep. Paus. v, Diod. xi. 45, Polyaen. viii. 51. **limine tecti.** Nep. Paus. v *In aedem Mineruae, quae Chalcioecos uocatur, confugit. hinc ne exire posset, statim ephori ualuas eius aedis obstruxerunt tectumque sunt demoliti, quo celerius sub diuo interiret.* Miror in nullo codice scriptum uideri templi. **616. parens.** Nep. Paus. l. c. *Dicitur eo tempore matrem Pausaniae uixisse eamque iam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium claudendum lapidem ad introitum aedis attulisse.* Cum Ouidio facit Diodorus xi. 45 qui dicit ephoros Pausaniae matrem rogasse num eum punirent, hanc nihil dixisse sed laterem ad templi introitum uexisse, et abiisse: tum Lacedaemonios matris secutos iudicium ostium aedis obstruxisse. Addit Polyaenus viii. 51 cum primum laterem mater Theano aduexisset, ceteros pro se quemque laterem adposuisse. **617.** Ex Pausaniae caede transitur ad Palladium per **simulacra.** Nam ut expiaretur Pausaniae caedes Lacedaemonii *duas aeneas eius imagines* in templo sacrauerunt. Thuc. i. 134. Sed et *Theano* commune nomen utriusque historiae: nam Tzetzes ad Lyc. 658 tradit Vlixen Palladium surripuisse dono Antenoris, cuius uxor Theano Mineruae sacerdos esset. **Illius** *Vlyssis* qui cum Diomede Palladium rapuit Aen. ii. 164 sqq. *Tydides sed enim scelerumque inuentor Vlixes, Fatale adgressi sacrato auellere templo Palladium, caesis summae custodibus arcis, Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis Virgineas ausi diuae contingere uittas,* ubi Seruius *Diomedes et Vlixes ut alii dicunt cuniculis ut alii cloacis ascenderunt arcem, et occisis custodibus sustulere simulacrum. qui cum reuerterentur ad naues, Vlixes, ut sui tantum operis uideretur effectus, uoluit sequens occidere Diomedem; cuius ille conatum cum ad umbram lunae notasset, religatum prae se usque ad castra Graecorum egit: ideo autem hoc negotium his potissimum datur, quia cultores fuerunt Mineruae.* Hoc igitur inprecatur Ibidi, ut fortuna utatur Vlixis rapientis Palladium; per angustias et stercus accedas, ut Vlixes et Diomedes ap. Sophoclis *Λακαίνας* fr. 337 *Στένην δ' ἔδυμεν ψαλίδα κοὐκ ἀβόρβορον*; partes agas secundas, et terga praebeas alteri, sicut Vlixis super umeris Diomedes in aedem Mineruae iter penetrauit, nec Vlixem post se adtraxit (Conon xxxiv); decipiaris, ut Vlixi Diomedes ementiebatur non uerum se Palladium surripuisse, ne is sibi gloriam furti per insidias adsumeret; fraudem frustra cupias ulcisci, nec nisi cum ignominia et indignissima coactus pati a sacrilego facinore reuertaris. Conon. ib. Notum est prouerbium *Διομήδεια ἀνάγκη*, quod ad hanc Vlixis cum Diomede expeditionem refere-

bant. **simulacra.** Palladii et ἀρχέτυπον et imago seruabatur Troiae; Dionys. Antiq. Rom. i. 69 ap. Kinkel Ep. Fragm. p. 50. Sed Ouidius solet pluraliter *simulacra* ponere ubi unum tantum intelligitur, M. x. 280. **618. Aulidis a portu** struendum cum **iter**, non cum **uertit**. 'May you suffer the fate of the ravisher of the Palladium, who turned aside the ill-considered journey from Aulis' harbour.' Videtur tempus respicere quo Agamemnoni in Aulide tempestatibus per iram Dianae retento, *cum Calchas scelus* (ceruae uiolatae) *respondisset aliter expiari non posse nisi Iphigeniam filiam immolasset* et *re audita Agamemnon recusare* coepisset, Vlysses eum consiliis ad rem pulcram transtulit, et *cum Diomede ad Iphigeniam missus est adducendam, qui cum ad Clytaemnestram matrem eius uenissent, ementitur Vlysses eam Achilli in coniugium dari* (Hyg. 98). **leue iter** est Agamemnonis et Graecorum ex Aulide, quod inconsiderate parabant facere obstante Diana ac tempestatibus: Cic. de diuin. i. 16. 29 *quod eodem modo euenit Agamemnoni: qui cum Achiui coepissent* Inter sese strepere aperteque artem obterere extispicum, Soluere imperat secundo rumore aduersaque aui. Hoc iter Vlysses **uertit**, h.e. fecit ut ab eo reuerterentur neque ante temptarent quam placata dea esset. Nec temere Vlysses sic inducitur, nam et in hoc incepto ut in Palladio furando et in Palamedis morte cum Diomede coniungitur. **a portu.** Hesych. ἐς Αὐλίδα· ἐς λιμένα. Sen. Med. 622 *Aulis amissi memor inde regis Portubus lentis retinet carinas stare querentes.* **uertit iter.** Aen. v. 22 *superat quoniam fortuna sequamur, Quoque uocat, uertamus iter.* Tib. i. 2. 46 *Fluminis haec rapido carmine uertit iter.* Met. ii. 730 *Vertit iter caeloque petit terrena relicto.* Pont. iv. 4. 20 *Ad gentes alias hinc dea uertit iter.* 6. 46 *Ister In caput Euxino de mare uertet iter.* Tac. Hist. ii. 2 *Fuere qui accensum desiderio Berenices reginae uertisse iter crederent.* Iustin. xxiv. 6 *Delphos iter uertit.* Ex quibus apparet *uertere iter* non esse i. q. iter dirigere, sed aut regredi aut certe iter ab alia regione in aliam mutare. An potius significatur *Acamas*, filius Thesei, frater Demophoontis? Hic enim antequam Graeci ex Aulide classem soluerent, missus est Troiam cum Diomede Helenam repetiturus (Parthen. Erot. xvi, Tzetz. ad Lyc. 447, 495), ibique cum Laodice rem habuit. Quo ex itinere cum redisset ἄπρακτος, merito dicendus erat **leue**, h. e. inutile **iter uertisse**. Iam hic idem Acamas cum inter eos fuerit qui Athenis egressi Graecos cum Palladio redeuntes Troia adorti sunt (Eustath. 1419. 55, quem locum in Excursu addidi), quamuis id inuitus fecerit, uiolauit simulacra Mineruae. *Illius exemplo* significat mortem qua Acamas periit; nam cum post deceptam Phyllidem in Cyprum uenisset, ibi incitati uehementius equi tergo delapsus gladio suo transfigitur (Tzetz. ad Lyc. 495). **619. Naupliadae.** Palamedis, filii Nauplii. Hyg. 105 *Vlysses quod Palamedis Nauplii filii dolo erat deceptus, in dies machinabatur, quomodo eum interficeret. tandem inito consilio ad Agamemnonem militem suum misit, qui diceret ei, in quiete uidisse, ut castra uno die mouerentur. id Agamemnon uerum existimans castra uno die imperat moueri. Vlysses autem clam noctu solus magnum pondus auri, ubi tabernaculum Palamedis fuerat, obruit; item epistulam conscriptam Phrygi captiuo ad Priamum dat perferendum, militemque suum priorem mittit, qui eum non longe a castris interficeret. postero die cum exercitus in castra rediret, quidam miles, epistulam, quam Vlysses scripserat, super cadauer Phrygis positam ad Agamemnonem attulit, in qua scriptum fuit: PALAMEDI A PRIAMO MISSA, tantumque ei auri pollicetur, quantum Vlysses in tabernaculo obruerat, si castra Agamemnonis ut ei conuenerat proderet. itaque Palamedes cum ad regem esset productus et factum negaret, in tabernaculum eius ierunt et aurum effoderunt. quod Agamemnon ut uidit uere factum esse credidit. quo facto Palamedes dolo Vlyssis deceptus ab exercitu uniuerso innocens occisus est.*

Tragoedias de Palamede scripserunt Aeschylus Sophocles Euripides Astydamas, cf. Seru. ad Aen. ii. 82, Philostr. Heroic. 714 *ἀλλ' ἔφθησαν αὐτὸν αἱ Ὀδυσσέως μηχαναὶ σοφῶς ξυντεθεῖσαι καὶ χρυσοῦ μὲν ἥττων ἔδοξε, προδότης τε εἶναι κατεψεύσθη, περιαχθεὶς δὲ τὼ χεῖρε κατελιθώθη, βαλλόντων αὐτὸν Πελοποννησίων τε καὶ Ἰθακησίων. ἡ δὲ ἄλλη Ἑλλὰς οὐδὲ ἑώρα ταῦτα, ἀλλὰ καὶ δοκοῦντα ἀδικεῖν ἠγάπα. ὠμὸν καὶ τὸ ἐπ' αὐτῷ κήρυγμα· μὴ γὰρ θάπτειν τὸν Παλαμήδην μηδὲ ὁσιοῦν τῇ γῇ, ἀποθνήσκειν δὲ τὸν ἀνελόμενόν τε καὶ θάψαντα.* **621, 2.** Historia ignota, et nominibus incerta. Quam nunc coniecturam propositurus sum, pendet ex Diod. i. 88, ubi de Aegyptiis dicens haec habet. *Τοὺς δὲ πυρροὺς βοῦς συγχωρηθῆναι θύειν διὰ τὸ δοκεῖν τοιοῦτον τῷ χρώματι γεγονέναι Τυφῶνα τὸν ἐπιβουλεύσαντα μὲν Ὀσίριδι, τυχόντα δὲ τιμωρίας ὑπὸ τῆς Ἴσιδος διὰ τὸν τἀνδρὸς φόνον. Καὶ τῶν ἀνθρώπων δὲ τοὺς ὁμοχρωμάτους τῷ Τυφῶνι τὸ παλαιὸν ὑπὸ τῶν βασιλέων φασὶ θύεσθαι πρὸς τῷ τάφῳ τοῦ Ὀσίριδος· τῶν μὲν οὖν Αἰγυπτίων ὀλίγους τινὰς εὑρίσκεσθαι πυρρούς, τῶν δὲ ξένων τοὺς πλείους· διὸ καὶ περὶ τῆς Βουσίριδος ξενοκτονίας παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐνισχῦσαι τὸν μῦθον, οὐ τοῦ βασιλέως ὀνομαζομένου Βουσίριδος, ἀλλὰ τοῦ Ὀσίριδος τάφου ταύτην ἔχοντος τὴν προσηγορίαν κατὰ τὴν τῶν ἐγχωρίων διάλεκτον.* Plut. de Is. et Osir. xxxiii *Τυφῶνα δὲ πᾶν τὸ αὐχμηρὸν καὶ πυρῶδες καὶ ξηραντικὸν ὅλως καὶ πολέμιον τῇ ὑγρότητι. Διὸ καὶ πυρρόχρων γεγονέναι τῷ σώματι καὶ πάρωχρον νομίζοντες οὐ πάνυ προθύμως ἐντυγχάνουσιν οὐδὲ ἡδέως ὁμιλοῦσι τοῖς τοιούτοις τὴν ὄψιν ἀνθρώποις· τὸν δὲ Ὄσιριν αὖ πάλιν μελάγχρουν γεγονέναι μυθολογοῦσιν, ὅτι πᾶν ὕδωρ καὶ γῆν καὶ ἱμάτια καὶ νέφη μελαίνει μιγνύμενον.* Hinc edocemur homines rufo colore odio fuisse Aegyptiis, et antiquitus ad sepulcrum Osiridis immolatos tamquam inimicum eius Typhona qui ipse rufus esset referentes; praeterea hoc colore qui essent, uelut externos notari ab Aegyptiis, nec libenter adiri solitos. Haec poëtam sic adumbrare censeo ut Aethalos sit i. q. *πυρρόχρως*, hoc autem nomine uniuersa gens *τῶν πυρρῶν*, id quod solet in mythis fieri, denotetur. Hunc **Aethalon** siue externum **hospes** suus Aegyptius **in Isidis** templo fertur coniectis telis (625) occidisse; unde institutum ut qui simili specie essent a ritu deae arcerentur. **621. uita spoliauit**, interfecit. Aen. vi. 168 *Postquam illum* uita *uictor* spoliauit *Achilles.* Iustin. xvi. 4 *spoliatos fortunis* uita *quoque* spoliauit. xxxv. 1 *uictumque* uita *pariter ac regno* spoliat. **in Isidis** templo. Callim. Ep. 57. 1 *Ἰναχίης ἕστησεν ἐν Ἴσιδος.* **622. memor**, ut memoria facti extet 'recording' siue 'in record of the event.' **Io** sic Ĭ correpta legitur Her. xiv. 103 *Quae tibi causa fugae? quid Io freta longa pererras?* 'quamquam libellus iste, qualis nunc quidem fertur, adeo omnis generis ineptiis dissonantiisque scatet, uix quidquam ut indignum uideatur eius auctore.' Luc. Mueller de re Metrica p. 247, quocum facit etiam A. Palmer. Sed in Ibidis uersu nonnulli codices habent *ion.* Cf. Varro L. L. viii. 22 *huius Artemidori et huius Ionis et huius Ephesii: sic in casibus aliis.* Quo retento, scriptoque in u. 621 *Isindius* uel *Sindius*, sic interpretaberis, ut credas Isindium aliquem (Steph. B. *Ἴσινδος, πόλις Ἰωνίας. ὁ πολίτης Ἰσίνδιος*, cf. s. u. *Ἄμβλαδα* et *Σινδία*) hospitem Aethalon uel Attalon occidisse; cuius facti memores Ionas a festo Panioniorum Isindios arcuisse. Panionia Strabonis aetate nondum haberi desierant 384, 639: cf. Philostr. Vit. Apollon. 143 p. 66 Kayser. **623, 4.** Historia ex Odyssia sumpta, leuiter tamen immutata: **parens** enim hic est quae in Odyssia *nutrix*. **623. Vtque** Vlyssem **tenebris latentem a Melanthea caede** conuertentem se in obscuriorem partem atrii ne, si agnitus fuisset, intelligeretur caedes quam Melanthio parabat, **ipsa parens** Anticlea **prodidit** indicauit quis esset **officio luminis** cum foci lumine cicatricem uidisset. **623. Melanthea.** Melanthius siue Melantheus (Od. xvii. 212 *υἱὸς Δολίοιο Μελανθεύς*) caprarius Vlyssis quem cum ancillis Penelopes Vlysses interfecit Od. xxii. 474. **tenebris**, nam ut foco adsidebat Vlysses, ad tenebras se conuertit, ne agnosceretur cicatrice dum a nutrice lauatur.

Od. xix. 386 γρηὺς δὲ λέβηθ' ἕλε παμφανόωντα. Τοῦ πόδας ἐξαπένιζεν, ὕδωρ δ' ἐνεχεύατο πουλὺ Ψυχρόν, ἔπειτα δὲ θερμὸν ἐπήφυσεν· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἷζεν ἐπ' ἐσχαρόφιν, ποτὶ δὲ σκότον ἐτράπετ' αἶψα. Αὐτίκα γὰρ κατὰ θυμὸν ὀΐσατο, μή ἑ λαβοῦσα Οὐλὴν ἀμφράσσαιτο καὶ ἀμφαδὰ ἔργα γένοιτο. **a caede latentem** durius dictum de eo qui se occultat ne prodatur caedes quam parat. An ex memoria dixit poeta? ut putaret Vlyssem lotum fuisse *postquam* Melanthium necasset. Nam et in eo quod parens Vlyssem, non nutrix lauat, alios secutus est, non Homerum. **624. Prodidit.** Od. xix. 473 Ἁψαμένη δὲ γενείου Ὀδυσσῆα προσέειπεν. Ἦ μάλ' Ὀδυσσεύς ἐσσι, φίλον τέκος· οὐδέ σ' ἔγωγε Πρὶν ἔγνων πρὶν πάντα ἄνακτ' ἐμὸν ἀμφαφάασθαι. Quae uerba ut locuta est, Penelopen intuens iam iam significatura erat rediisse Vlyssem, nisi is dextra os nutricis occlusisset, his additis 482 Μαῖα, τίη μ' ἐθέλεις ὀλέσαι; **officio** ope, ut M. xii. 91 *remouebitur omne Tegminis officium, tamen indestrictus abibo.* **parens,** immo nutrix, Od. xix. 354, quae apud Homerum Euryclea audit 357. Atqui ap. Cic. Tusc. Disp. v. 16. 46 Anticlea Vlixi pedes abluens inducitur ex Niptris Pacuuii. Itaque siue Pacuuium siue Ciceronem errasse credideris, habes cur *parens* haec in Ibidis uersu uocata sit: nam mater Vlyssis Anticlea. **626. auxiliis,** iis qui tibi opitulari debuerant. **627, 8. Qualis nox acta est Phrygi timido Doloni equos pacto quos f. a. Achilles** postquam pactus esset cum Hectore ut ab eo equos Achillis acciperet, si ex Graecorum castris certum nuntium reportasset eos fugam meditari (Il. x. 309, 321–323), **nox tibi talis eat,** hoc modo agatur. Dolon, Troianus, Eumedis filius, Ὃς δή τοι εἶδος μὲν ἔην κακός, ἀλλὰ ποδώκης, noctu egressus ex suis ab Vlysse et Diomede nequiquam fugiens deprehenditur (Il. x. 322 sqq.). Orantem ne pereat interrogant de Troianorum fortuna, et quem quisque ordinem teneat; tum compertis quae ibi agebantur, Diomedes interficit. **627. equos pacto.** Il. x. 321 καί μοι ὄμοσσον Ἦ μὲν τοὺς ἵππους τε καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ Δωσέμεν, οἳ φορέουσιν ἀμύμονα Πηλείωνα. **628. timido.** Il. x. 374 ὁ δ' ἄρ' ἔστη τάρβησέν τε Βαμβαίνων, ἄραβος δὲ διὰ στόμα γίγνετ' ὀδόντων, Χλωρὸς ὑπαὶ δείους. **629. Rhesus** de quo Dolon interrogatus ab Vlysse haec retulerat Il. x. 435 Ἐν δέ σφιν Ῥῆσος βασιλεύς, πάις Ἠϊονῆος, Τοῦ δὴ καλλίστους ἵππους ἴδον ἠδὲ μεγίστους· Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. **somno meliore quiescas.** Rhesum inter comites Thracas dormientem cum duodecim ex suis interfecit Diomedes; equos eius iuxta dominum religatos Vlysses abegit Il. x. 473, 4, 488, 498. **630. Quam comites Rhesi tum necis, ante uiae.** Notandus duplex genitiuus ex uoce **comites** pendens, quam nolui immutare, quamuis *Rheso* Merkelius ex coniectura posuerit, et datiuum personae post *comites* plerumque praeferat Ouidius. Cic. de Amic. xi. 37 *Non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit, nec se comitem illius furoris, sed ducem praebuit.* **tum necis, ante uiae.** Necis, cum leto datus est, uiae, cum simul aduentabant ex Thracia. Il. x. 434 Θρήϊκες οἷδ' ἀπάνευθε νεήλυδες, ἔσχατοι ἄλλων, Ἐν δέ σφιν Ῥῆσος βασιλεύς, πάις Ἠετίωνος. Plerique codd. habent *ante diem*, satis commode ad sensum: nam noctu Rhesus occisus est, et reuersis domum Vlysse ac Diomede Ἠὼς ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο Ὤρνυθ' Il. xi. 1. Hoc retento scribendum erit *Quam comites Rhesi, tu, necis ante diem*, neque omni ui caret *tu* ἐμφατικῶς sic repetitum: quamquam Ouidium ita scripsisse non crediderim. **631. quos.** Aen. ix. 315 *multis tamen ante futuri Exitio.* Niso tres famuli Ramnetis, Remus cum armigero et auriga, Lamyrus Lamus Serranus; Euryalo Fadus Herbesus Rhoetus Abaris sternuntur. **Ramnete.** Aen. ix. 324 *simul ense superbum Ramnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis Exstructus toto proflabat pectore somnum, Rex idem et regi Turno gratissimus augur, Sed non augurio potuit depellere pestem.* **632. Hyrtacides** Nisus. Aen. ix. 176 *Nisus erat portae custos, acerrimus armis, Hyrtacides.* Hinc **inpiger** dicitur.

comes Euryalus. Aen. ix. 179 *Et iuxta* comes *Euryalus.* **633. Cliniadae** Alcibiadis, Cliniae filii. **circumdatus ignibus atris.** Corn. Nep. Alcib. x *Itaque misit* (Pharnabazus) *Susamithren et Bagaeum ad Alcibiadem interficiendum, cum ille esset in Phrygia iterque ad regem compararet. missi clam uicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negotium ut eum interficiant. illi cum ferro aggredi non auderent,* noctu ligna contulerunt circa casam eam in qua quiescebat, *eaque succenderunt, ut incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant. ille autem ut sonitu flammae est excitatus, etsi gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare (?subulare) telum eripuit. namque erat cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui numquam discedere uoluerat. hunc sequi se iubet et id quod in praesentia uestimentorum fuit, arripit. his in ignem eiectis flammae uim transiit. quem ut barbari incendium effugisse uiderunt, telis eminus missis interfecerunt, caputque eius ad Pharnabazum retulerunt**. Idem tradit Diodorus xiv. 11, Plutarchus Alc. xxxix; hic tamen alios dicit narrasse Alcibiadem a fratribus mulierculae quam rapuisset confossum telis, dum incensa casa fugam pararet. Paulo aliter Iustinus v. 8 *Quem cum profectum ad Artaxerxen Persarum regem conperisset, citato itinere miserunt, qui eum interciperent: a quibus occupatus, cum occidi aperte non posset, uiuus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus est.* Ignes **atri** dicuntur tamquam fumo pleni. Vide Coningtonem ad Aen. iv. 384. **634. semicremata** ἡμίφλεκτα. Sic de Hercule Lucianus Dial. Mort. xiii. 2 Πρῴην ἀνῆλθες ἡμίφλεκτος ὑπ' ἀμφοῖν διεφθαρμένος τὸ σῶμα, καὶ τοῦ χιτῶνος καὶ μετὰ τοῦτο τοῦ πυρός. **Stygiae neci** 'So that thou mayst halfe burned beare thy members to thy grave.' T. Vnderdown. Merkelius comparat M. iii. 694 *cruciataque diris Corpora tormentis Stygiae demittite morti.* **635. Remo.** Liu. i. 7 *Vulgatior fama est ludibrio fratris Remum nouos transiluisse muros, inde ab irato Romulo, cum uerbis quoque increpitans adiecisset, 'Sic deinde quicunque alius transiliet moenia mea' interfectum.* Alii, ab iis qui cum Romulo erant, Ouidius F. iv. 843, a Celere, quem urbi condendae praefecerat, interfectum Remum tradiderunt. **636. rustica,** F. iv. 809 *omne* Pastorum *gemino sub duce uulgus erat. Contrahere* agrestes *et moenia ponere utrique Conuenit: ambigitur, moenia ponat uter.* Ibi Ouidius dicit Celerem *rutro,* quod est instrumentum agrestium, Remum oppressisse (843). **638. his . . locis** hac regione Ponti. **639–644.** 'These things in sodain mode thus pend to thee directed be, That thou neede not complayne that I unmindefull am of thee. They are but few, I graunt, but God can geue my prayers more, And with his fauor my requestes can multiply with store. Hereafter thou much more shalt reade wherin shalbe thy name:

* Similis fuit mors imperatoris Romani Valentis post pugnam ad Hadrianopolim A.D. 378. Gibbon, Decline and Fall, c. xxvi, 'By the care of his attendants, Valens was removed from the field of battle to a neighbouring cottage, where they attempted to dress his wound, and to provide for his future safety. But this humble retreat was instantly surrounded by the enemy: they tried to force the door; they were provoked by a discharge of arrows from the roof, till at length, impatient of delay, they set fire to a pile of dry faggots, and consumed the cottage with the Roman Emperor and his train.' Estque dignum notatu quoties in proeliis et rebus gestis Gothorum mortes Ibidis ac supplicia renouentur. Sic Tydeus Menalippi caput exsorbens similem sui habet Saracenum illum ap. Amm. Marc. xxxi. 16 *Crinitus quidam nudus omnia praeter pubem, subraucum ac lugubre strepens, educto pugione agmini se medio Gothorum inseruit et interiecti hostis iugulo labra admouit, effusumque cruorem exsuxsit.* Sic Mettii Suffetii poenam Hermanricus rex Gothorum imitatus est cum *quamdam mulierem Suanihildam nomine equis ferocibus illigatam incitatisque cursibus per diuersa diuelli praecepisset.* Iordan. de Get. Orig. xxiv. Sic Sardanapalli funus cum carissimis suorum repraesentant exsequiae Attilae *cum sepelientibus sepulti* (Iordan. xlix), et Hunnorum (Procop. Bell. Pers. i. 3).

And in such verse as men are wont such cruell warres to frame.' T. Vnderdown. **639. sint missa,** missa habeto. **tantisper** refertur ad tempus quo aliud et longius et iambis scriptum poema ad inimicum missurus sit. Tusc. Disp. v. 7. 20 *Sed uidero quid efficiat.* Tantisper *hoc ipsum magni aestimo, quod pollicetur* (Roby, Lat. Gram. ii. 1485), 'for the present,' 'in the meanwhile.' **subito** 'hasty,' 'extemporized.' Her. iii. 103 *ossa uiri* subito *male tecta sepulcro*, ubi A. Palmer affert F. vi. 532 *liba Traditur in* subito *cocta dedisse foco.* **641. rogatis** quam quae ab iis rogaui. **642. fauore** 'countenance,' 'good will.' **uota fauore mea,** clausula uere Ouidiana. **644. pede** scripta ἰάμβοις.

EXCVRSVS.

Ad Ib. **99**. Quisquis ades sacris, lugubria dicite uerba.

Optime haec illustrantur iis quae de Lindiorum sacris tradit Lactantius i. 21 *Non εὐφημίᾳ sed maledictis et exsecratione celebrantur*, eaque pro uiolatis habent, si quando inter sollemnes ritus uel imprudenti alicui exciderit bonum uerbum.

Ad **287**. Aut uelut †Eurylochi, qui sceptrum cepit ab illo,
Sint artus auidis anguibus esca tui.

Codices *Eurilocum* hunc plerique nominant, unus Turonensis habet *Yrioni*. Εὐρυλόχου τοῦ Θεσσαλοῦ mentionem fecit Strabo 418 ubi dicit eum κατὰ τὸν Κρισαῖον πόλεμον fuisse, iterum 421 μετὰ τὸν Κρισαῖον πόλεμον οἱ Ἀμφικτύονες ἱππικὸν καὶ γυμνικὸν (ἀγῶνα) ἐπ' Εὐρυλόχου διέταξαν στεφανίτην καὶ Πύθια ἐκάλεσαν. Eiusdem meminit Schol. Pind. Pyth. p. 298 Boeckh ubi citantur tres hexametri Euphorionis, quibus ὁπλότερος Ἀχιλεὺς dictus est. Ibi Meinekius (Anal. Alex. p. 95) 'Crisaei quum iniustius uectigalia exigerent ab iis, qui oraculum consulturi Delphos proficiscerentur, tandem Eurylochus Larisaeus extitit, qui eorum temeritatem comprimeret et debellatis Crisaeis, longo tempore intermissam Pythiorum solennitatem instauraret Olymp. xlvii.' Eodem refert Polyaeni narrationem vi. 13, ubi dicitur Eurylochus Amphictyonibus suasisse ut aquam quae in Crisaeorum urbem cuniculo influeret helleboro corrumperent: quo facto urbem cepisse. Sed hic cum Ol. xlvii uixerit, nec quisquam tradat anguibus consumptum fuisse, non potest is esse de quo dixit Ouidius.

Neque uero ad Thessaliam pertinet is Eurylochus qui Cychrea interfectorem (Diod. iv. 72, Tzetz. ad Lycoph. 110), vel expulsorem (Strab. 393) draconis Salaminii, ipse post expulit et in regnum Salaminis receptus est. Quamquam aliis testibus, Stephano Byz. s. u. Σαλαμίς, Eustath. ad Dionys. Perieg. 512, Cychreus hic ipse propter morum asperitatem Ὄφις cognominatus ab Eurylocho pulsus Salamine fuit. Neque absurdum qui talia fecisset, eum anguibus deuoratum memorari. Vide Mein. Anal. Alex. p. 52.

Superest ut meam sententiam de uersu firmem argumentis. Nam qui Triopas est Hygino P. A. I. 14, is modo natus (Diod. iv. 58) modo pater (Hom. H. ii. 211, Hyg. P. A. 14) dicitur Phorbantis, quem Rhodii a Thessalia arcessiuerunt ut angues perimeret (Diod. v. 58). Hunc Hyginus narrat et ipsum, sicut Triopam, a nonnullis pro Ophiucho habitum esse (P. A. i. 14). Atqui Phorbas, Lapithae et Orsinomes filius, nepos *Eurynomi* fuit (Diod. iv. 69). Itaque Eurynomus auus Phorbantis, proauus Triopae: unde non inepte conicias aut ad hunc tralatam fuisse fabulam de anguibus, aut ipsum Triopam proaui nomine a nonnullis appellatum fuisse. Nam non deerant qui Eurynomum socium facerent Phorbantis, non propinquum (Schol. Ven. Hom. Il. xviii. 483). Certe non multum a scriptura T *Yrioni* hoc nomen *Eurynomi* distat.

Ad **293, 4**. Si per codices liceat, bene de Eryce interpreteris, quem Hercules τρὶς περιγενόμενος κατὰ τὴν πάλην (Apollod. ii. 5. 11) occidit et ex alto praecipitauit (Tzetz. ad Lyc. 866). Et uictus quidem scriptum est in T. Sed non multum praesidii habebis ex scriptura G ethreclides,

quamquam potuit Eryx Erechthides uocari, siue quod Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως (Tzetz. ad Lyc. 158, Hesych. Ἐρεχθεὺς Ποσειδῶν ἐν Ἀθήναις) ex Venere, siue quod Butae filius habitus est (Seru ad Aen. v. 24). Nam Pandionis, regis Atheniensium, filii Butes, Erechtheus; Erechthei autem fratris natam, Chthoniam, duxit Butes; (Apollod. iii. 14 et 15): Eryx igitur, si huius Butae filius habitus est a scriptore Ibidis, (et potuit, nam Butes is quem Apollonius inter Argonautas recenset i. 95 et Atheniensis filius fuit et a Venere Erycina ex mari, in quod se coniecerat ut Sirenas adiret, dicitur seruatus fuisse iv. 910 sqq., cf. Seru. ad Aen. v. 24,) *Erechthides* iure suo uocari meruit. Colebanturque uicinis aris Poseidon cum Erechtheo et Butes Athenis teste Paus. i. 26. 5.

An retinendum est *Echecratides* et ea significatione explicandum qua Euphorion κακοζήλως Iasonem ναυαγὸν dixit quasi ναῦν ἄγοντα, oliuam γλαυκώπιδα, aratrum ἐνοσίχθονα, Dionysius tyrannus uirginem μένανδρον, columnam μενεκράτην, iaculum βαλλάντιον, murium latibula μυστήρια, (Meinek. An. Alex. p. 136)? Sic *Atreus Hector Hippodamia Antenor Cyclops Diomedes Aristarchus Agesilaus Telemachus* pro adiectiuis usurpata fuisse docet ex Athen. 98, 99 idem Meinekius ad Euphor. fr. 95. Certe non immerito Ἐχεκρατίδης Eryx uocandus erat qui praepotens uiribus *aduenas caestibus prouocabat uictosque perimebat* (Seru. ad Aen. i. 570) uel uiribus suis fidens *legem posuit uenientibus ad se ut secum caestibus decertarent* (Myth. Vat. i. 94). Nam ut *Egestiades* uel *Acestiades* scribam uix adducor.

Ad **307, 8.** Incertum est quo pertineat Phot. Bibl. p. 530 Bekker. Ὅτι ὄνομα θεραπαίνης Πηλούσιον ἦν, δι' ἧς ὁ Μολοσσὸς Πύῤῥος ἀνεῖλε φαρμάκῳ τὴν μητέρα. Si ad Pyrrhum II, conicias Olympiadem postquam Tigrin amicam filii ueneno necasset, ipsam postea a filio ope Pelusii interemptam esse. Sed hoc discordat cum Ouidio.

Certe non potest nepos dicti modo regis ad Hieronymum, Pyrrhi I ex filia Nereide nepotem, tyrannum Syracusanum, referri. Is enim confossus uulneribus periit in turba Leontinis, teste Liuio xxiv. 7.

Sed explicatione Saluagnii inueni quae melius uel certe non minus locum expedirent. Lycophron enim, de Vlysse mortuo dicens, haec habet Al. 799

Μάντιν δὲ νεκρὸν Εὐρυτὰν στέψει λεώς,
Ὅ τ' αἰπὺ ναίων Τραμπύας ἐδέθλιον,
Ἐν ᾗ ποτ' αὖθις Ἡρακλῆ φθίσει δράκων
Τυμφαῖος ἐν θοίνῃσιν Αἰθίκων πρόμος,
Τὸν Αἰακοῦ τε κἀπὸ Περσέως σπορᾶς
Καὶ Τημενείων οὐκ ἄπωθεν αἱμάτων.

Ubi Tzetzes ἐν ᾗτινι Τραμπυίᾳ ποτὲ αὖθις, φθίσει καὶ φθερεῖ ἐν θοίναισι καὶ εὐωχίαις ὁ δράκων ὁ Τυμφαῖος καὶ Ἠπειρώτης, ἤτοι ὁ Πολυσπέρχων, ὁ πρόμος καὶ ὁ πρόμαχος τῶν Αἰθίκων καὶ Ἠπειρωτῶν. Τίνα φθίσει; τὸν Ἡρακλέα, τὸν ἀπὸ τῆς σπορᾶς τοῦ Αἰακοῦ καὶ Περσέως, καὶ οὐ πόῤῥω τῶν αἱμάτων τοῦ Τημένου. Ἡ δὲ ἱστορία τοιαύτη. Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος καὶ Βαρσίνης τῆς Περσίδος υἱὸς ἐγένετο καλούμενος Ἡρακλῆς, ὃν ἀνεῖλε καλέσας εἰς δεῖπνον Πολυσπέρχων ὁ Τυμφαῖος, Αἰθίκων βασιλεὺς, χαριζόμενος Κασσάνδρῳ. Tum ad δράκων] ὁ Πολυσπέρχων, διὰ τὸ ἰῶδες τῶν φαρμάκων, ὡς φαρμάκοις αὐτὸν ἀνελών. Et ad 803 τὸν Ἡρακλῆ τοῦτον ἀπὸ ταύτης λέγει κατάγεσθαι τῆς σειρᾶς, ὅτι ὁ τούτου πατὴρ Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν, κατὰ μὲν τὸν πατέρα εἰς Ἡρακλέα καὶ Περσέα ἀνάγει τὸ γένος· κατὰ δὲ μητέρα, εἰς Νεοπτόλεμον καὶ Ἀχιλλέα καὶ Αἴακον.

Hunc Heraclem, Barsines et Alexandri Magni filium, ueneno exstinctum in epulis a Polysperconte in gratiam Cassandri (Paus. ix. 7. 2) ab Ouidio significari credo potuisse his causis.

1. Aeacidarum gentem, primum Epiri reges, deinde Neoptolemum, Achillem, Aeacum per matrem attigit. Nam Plutarcho teste Pyrrh. i. Νεοπτόλεμος ὁ Ἀχιλλέως λαὸν ἀγαγὼν αὐτός τε τὴν χώραν (Epirum) κατεσχε

καὶ διαδοχὴν βασιλέων ἀφ' αὑτοῦ κατέλιπε Πυρρίδας ἐπικαλουμένους. Regum Epiri hoc est stemma (Plut. Pyrr. I, Paus. i. 11. 1, iv. 35. 3)

Tharybas
- Alcetas
  - Neoptolemus
    - Alexander rex Epiri
    - Olympias
      - Alexander M.
        - Herakles
  - Arybas
    - Aeacides = Phthia
      - Pyrrhus M.
        - Alexander = Olympias
          - Ptolemaeus
          - Pyrrhus II*
            - Deidamia.
      - Deidamia (periit morbo Plut. Demet. 32)

Olympias mater Alexandri magni, auia Heraclis. Heracles igitur *pronepos* Neoptolemi, regis Epirotarum, quem credibile est Ouidium uerbis dicti modo regis hic significasse. Nam ut per *Achilliden* intellexit Pyrrhum Magnum, ut per *Pyrrhum* Neoptolemum, filium Achillis, sic per *Aeaciden* Neoptolemum regem Epiroticum potuit indicare: quo obscurius fieret aenigma nominum. Quod si uerum est, nata Aeacidae non Deidamia, sed ipsa Olympias fuit, quam capta Pydna propinqui eorum quos interfecerat ingestis siue telis siue, ut Pausanias ix. 7. 3 tradit, saxis necarunt. Sic a Neoptolemi filia Olympiade transitur ad huius ex Alexandro nepotem Heraclem, cui Barsine, mater sua, uenenum, fortasse inscia, tradidisse fingitur.

Quod Heracles Neoptolemi nepos, non pronepos, dicitur, propter incestum mutata est necessitudo. Nam cum Neoptolemi filius Alexander, frater Olympiadis, sororis huius filiam Cleopatram duxerit, Neoptolemus quasi pater nepti suae, mox etiam nepotibus, in his Alexandro Magno, habitus est; unde Heracles, filius Alexandri, et pronepos fuit et nepos potuit existimari. Quod si cui contortius uidebitur, poterit sic explicare ut Heraclem Ouidius putarit Alexandri regis Epirotici, non Alexandri Magni, filium fuisse.

2. *Thessalidum* quod pro *Cantharidum* exhibent nonnulli codices Ibidis conuenit cum Scholiasta Il. ii. 744, quem Potterus laudat ad Lyc. 802 Αἴθικες ἔθνος Θετταλικόν, ὑπερκείμενον τῆς Ἠπείρου.

3. Mortes Olympiadis et Heraclis eodem modo coniunxit quo Pausanias ix. 7. 2 et Porphyrius Tyrius in Euseb. Chron. p. 232 Tom. i. Schöne, Ἀριδαῖον μὲν οὖν Ὀλυμπιὰς ἔκτεινεν ἡ μήτηρ Ἀλεξάνδρου· αὐτὴν δὲ καὶ τοὺς δύο παῖδας Ἀλεξάνδρου Κάσανδρος ὁ Ἀντιπάτρου ἀναιρεῖ, τὸν μὲν αὐτὸς φονεύσας, τὸν δ' ἐκ Βαρσίνης Πολυσπέρχοντα πείσας.

4. In utraque morte praecipuae partes Polyspercontis fuerunt, si quidem teste Polyaeno iv. 11 Olympias Pydna exire conata est fide signatae anulo Polyspercontis epistulae quam prius Cassander interceperat; unde spe triremis decepta qua noctu auehenda fuisset, a Polysperconte se delusam credidit ac Pydnam Cassandro tradidit. Quod mors ipsius consecuta est.

5. Verba Non licet hoc Cereri dissimulare sacrum satis bene ex-

* Hunc Pyrrhum Ptolemaei fratrem, non filium, facit Iustinus xxviii. 3, et Ouidius, si modo hic Pyrrhus est *nepos dicti nostro modo carmine regis.*

plicantur ex Plut. Al. ii. *Λέγεται Φίλιππος ἐν Σαμοθράκῃ τῇ Ὀλυμπιάδι συμμυηθεὶς αὐτός τε μειράκιον ὢν ἔτι κἀκείνης παιδὸς ὀρφανῆς γονέων ἐρασθῆναι καὶ τὸν γάμον οὕτως ἁρμόσας*, et iis quae ibidem de Olympiade dicit, quod non solum Cabirorum sed etiam Orphicis et Bacchicis mysteriis initiata fuerit, *μᾶλλον ἑτέρων ζηλώσασα τὰς κατοχὰς καὶ τοὺς ἐνθουσιασμοὺς ἐξάγουσα βαρβαρικώτερον.* Nam Cabirorum mysteria ad Cererem eiusque filios Dardanum et Iasionem redibant, ut fusius docet Lobeckius Aglaoph. p. 1221 sqq. ex Strab. 198 *Ὅμοια τοῖς ἐν Σαμοθράκῃ περὶ τὴν Δημήτραν καὶ τὴν Κόρην ἱεροποιεῖται*, Schol. Ap. R. i. 917 *Μυοῦνται δὲ ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις, ὡς Μνασέας φησί. Καὶ τὰ ὀνόματα αὐτῶν δ̄ τὸν ἀριθμόν, Ἀξίερος Ἀξιόκερσα Ἀξιόκερσος. Ἀξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ, Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη, Ἀξιόκερσος δὲ ὁ Ἅιδης, ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος ὁ Ἑρμῆς ἐστιν.** Itaque *εἰρωνικῶς* dicit poëta: 'multa tu quidem, Olympias, mysteriorum ac Cereris nomine facinora patraras, idque secreto: hoc sacrum, quo initiati te occiderunt, non iam dissimulandum erit, sed palam enuntiandum, cum auctor tu tot facinorum moriaris.'

6. Sic si interpreteris, non turbatur ordo uersuum. Contra si cum plerisque 305, 6 de Laodamia siue Deidamia, 307, 8 de Pyrrho II intelligas, post commemoratum 301, 2 Pyrrhum Magnum, 303, 4 Pyrrhum filium Achillis, quasi reditus fit 305, 6 ad Pyrrhi Magni natam, et hinc 307, 308 ad eiusdem Pyrrhi nepotem. Et ne hoc quidem nisi admisso errore fit: nam ut Pyrrho Magno filia Deidamia siue Laodamia fuerit, ex uno loco Iustini xxviii. 3 elicitur. Qui cum dicat ex gente regia solam Nereidem uirginem cum Laodamia sorore superfuisse, e quibus Nereis nubat Geloni, Laodamia a populo interfecta sit, Pausanias autem vi. 13. 3 et Polybius vii. 4. 5 Pyrrhum M. filiam Nereidem Geloni collocasse tradant, concludunt Pyrrho alteram filiam Laodamiam fuisse. Atqui Iustino Nereis et Laodamia solae ex gente regia Epirotarum supererant post interfectos Ptolemaeum et Pyrrhum Pyrrhi M. nepotes; quibus mortuis et matre Olympiade, *sic demum* Geloni nubit Nereis, Laodamia interficitur. Itaque Iustinus non Pyrrhi M. filias Nereidem et Laodamiam, sed multo recentioris habuit, credo Pyrrhi II cui filiam Deidamiam Pausanias iv. 35. 3 tribuit, additque eam, cum fuerit sine liberis, rem Epirotarum populo demandasse. Nec tamen infitior potuisse Ouidium sic errare, cum *Aeacides* Pyrrhus M. non semel uocatus sit, qui autem Aeacides uero nomine fuit, et natam Deidamiam habuit (Diod. xvi. 72, xix. 35) ab Ouidio significari nequeat, siue quod haec Deidamia morbo, non ui, periit (Plut. Demet. xxxii), siue quod huius Aeacidae nepos nullus ueneno exstinctus dicitur. Sed esto: non sic errarit poëta, sed A e a c i d a e n a t a m intellexerit Pyrrhi II Laodamiam siue quo alio nomine usa est: at restabit non minus explicatu difficile, quomodo d i c t i m o d o r e g i s non ad proxime praecedentem A e a c i d e n h. e. Pyrrhum II referatur, sed ad eum cuius sex ante uersibus mentionem fecit, *Achilliden* h. e. Pyrrhum Magnum. Nam hic ordo euadit, Pyrrhus M., Pyrrhus Achillis f., Pyrrhi II filia, Pyrrhus II ipse. Ecquid futtilius magisue praeposterum?

Ad **309, 310.** A u t p i a t e c a e s o d i c a t u r a d u l t e r a, s i c u t
Q u a c e c i d i t L e u c o n u i n d i c e d i c t a p i a s t.

Dixi cur Scholiastae non adstipulor, Leuconem regem Bosporanum significari; nam hic et ad senectutem produxit imperium nec quicquam de adulterio eius nec de morte quae id ulta sit ab antiquis traditur.

Alius Leuconis (Schol. Il. ii. 649) siue Leuci extat memoria ap. Lycoph. 1214–1225.

* Ad Cabirorum et Cereris initia non iniuria referas quod idem Plutarchus tradit de serpente qui Olympiadi accubuerit (Al. ii), et de mansuetis anguibus quos thyrsis et cistis bacchantium circumplicari instituerit; nam serpentes *Δήμητρος ἀμφιπόλους* memorat Strabo 394.

Ἥξει δὲ Κνωσσὸν κἀπὶ Γόρτυνος δόμους
Τοὐμὸν ταλαίνης πῆμα, πᾶς δ' ἀνάστατος
Ἔσται στρατηγῶν οἶκος. οὐ γὰρ ἥσυχος
Πορκεὺς δίκωπον σέλμα ναυστολῶν ἐλᾷ,
Λεῦκον στροβήσων φύλακα τῆς μοναρχίας,
Ψυδραῖσί τ' ἔχθραν μηχαναῖς ἀναπλέκων.
Ὃς οὔτε τέκνων φείσετ' οὔτε συγγάμου
Μήδας δάμαρτος, ἠγριωμένος φρένας,
Οὐ Κλεισιθήρας θυγατρός, ἧς πατὴρ λέχος
Θρεπτῷ δράκοντι συγκαταινέσει πικρόν.
Πάντας δ' ἀνάγνοις χερσὶν ἐν ναῷ κτενεῖ
Λώβαισιν αἰκισθέντας Ὀγκαίου βόθρου.

Vbi Tzetzes Ὁ Λεῦκος τοῦ Χαλκοῦ Τάλου τοῦ Κρητὸς ἦν υἱὸς, ᾧτινι Ἰδομένευς τὴν βασιλείαν καὶ τὸν οἶκον παρέθετο, ἐπὶ τὴν Τροίαν ἀπαίρων. Τοῦτον πείθει Ναύπλιος ἐπιθέσθαι τῇ βασιλείᾳ τοῦ Ἰδομενέως· ὃς τὴν γυναῖκα τοῦ Ἰδομενέως Μήδαν καλουμένην ἀνεῖλε, καὶ τὴν θυγατέρα Κλεισιθήραν, ἣν ὑπέσχετο αὐτῷ δώσειν γυναῖκα ἐπειδὰν ἀπὸ τῆς Τροίας ὑποστρέψῃ· ἀνεῖλε δὲ καὶ τοὺς παῖδας αὐτῆς Ἴφικλον καὶ Λεῦκον. Οὗτος δὲ ὁ Λεῦκος παῖς ὢν ἐξετέθη, ὃν λαβὼν Ἰδομένευς ἔθρεψε καθ' ἑαυτοῦ· διὸ καὶ θρεπτὸν δράκοντα τοῦτον καλεῖ.

Idem ad Lyc. 384. Τότε δὲ μαθὼν τὴν τοῦ υἱοῦ ἀναίρεσιν ὁ τούτου πατὴρ Ναύπλιος ἔπλευσε πρὸς τοὺς Ἕλληνας καὶ τὴν τοῦ παιδὸς ἀπῄτει ποινήν. Ἄπρακτος δὲ ὑποστρέψας, πάντων χαριζομένων τῷ βασιλεῖ Ἀγαμέμνονι, μεθ' οὗ τὸν Παλαμήδην ἀνεῖλεν ὁ Ὀδυσσεύς, περιπλέων λοιπὸν τὰς Ἑλληνίδας χώρας, παρεσκεύασε τὰς τῶν Ἑλλήνων γυναῖκας μοιχευθῆναι, οἷον Κλυταιμνήστραν τὴν τοῦ Ἀγαμέμνονος Αἰγίσθῳ, Αἰγιάλειαν τὴν Διομήδους τῷ υἱῷ τοῦ Σθενέλου, Μήδαν δὲ τὴν Ἰδομενέως ὑπὸ Λεύκου, ἣν καὶ ἀνεῖλε Λεῦκος, καὶ Κλεισιθήραν τὴν θυγατέρα αὐτῆς ἐν τῷ ναῷ καταφυγούσας καὶ τῶν λοιπῶν ὁμοίως. Καὶ δέκα πόλεις τῆς Κρήτης ἀποσπάσας ἐτυράννησε καὶ μετὰ τὸν Τρωικὸν πολεμὸν καὶ τὸν Ἰδομενέα τῇ Κρήτῃ καταίροντα ἐξήλασε. Idem Tzetzes ad 1093 eadem fere dicens de Clytaemnestra et Aegiale haec subiungit καὶ ἐν Κρήτῃ Λεῦκον τὸν τοῦ Τάλω ἔπεισεν ἀντᾶραι καὶ ἀνελεῖν τὴν Ἰδομενέως γυναῖκα Μήδαν καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς. Haec non prorsus inter se conuenire uidentur: sed tamen huius modi fabulam elicias.

Leucus, Cres, filius Tali, puer adhuc expositus ab Idomeneo seruatur et educatur. Huic Idomeneus in Troiam proficiscens regni curam tradit. Leucus, Nauplii dolis obsequens, Medam Idomenei uxorem corrumpit, imperium occupat: mox incensus ira Medam et filiam Medae Cleisitheram, quam ei Idomeneus desponderat si a Troia rediisset, occidit in templo quo confugerant, simul Iphiclum ac Leucum, Medae liberos. Mox decem urbes Cretae rapit, Idomeneum domum redeuntem abigit.

Tetigit haec eadem scholiasta Il. ii. 649 ubi Λεύκων ὁ Τάλας dicitur, quod per errorem scriptum putat Dindorfius pro ὁ Τάλω, quod habet Schol. Od. xix. 174. Eustathius p. 1860 Leuconis cum Meda stuprum cum Clytaemnestrae et Aegiales coniungit adulteriis. Haec utraque in Ibide narrantur; unde Medae quoque flagitium commemorari potuit. At Meda a Leucone periisse dicitur a Lycophrone, non Leucon a Meda. Aut aliter fabulam legerat Ouidius, aut corrupta sunt quae habent codices. Nam si legeris

Quae cecidit Leuco uindice, dicta piast

finxeris autem Medam *pietatis* nomen sibi arrogasse quod cum Leuco mallet adulterari quam in Idomenei redire matrimonium, postquam is filium uel filiam (nam utrumque traditum est, Seru. ad Aen. xi. 264, Mythogr. Vat. i. 195, ii. 210) aut immolasset aut se immolaturum uouisset; mortem denique de qua dicit Lycophron post hoc cognitum uotum factam sumpseris, satis commode res se expediet. Dicit enim Ouidius 'Habeas coniugem quae et adultera sit et pietatis laudem mereatur si te necauerit, quemadmodum Idomenei uxor Meda et adultera in Leuco fuit et pia dicta est quod maritum liberos suos immolantem non tulerit.'

Ad **325**. Vtque †Milo sub quo cruciata est †Pisa tyranno
Viuus in occultas praecipiteris aquas.

Mira in his uersibus uarietas scripturae. Nam pro *Milo* quod exhibent plerique, in Vaticano est *nullo*, in Vindobonensi *malo*. Deinde pro *quo* Vat habet *qua*; denique pro *pisa* uel *pysa* F habet *ipsa*, Vat *pyra*, G *Roma*.

Dixi in annot. ad loc. posse Etruscorum significari Pisam. Quod si uere conclusi, fortasse huc spectant quae ap. Plutarchum leguntur Parall. xl. Ἄννιος δὲ Τούσκων βασιλεύς, ἔχων θυγατέρα εὔμορφον, τοὔνομα Σαλίαν, παρθένον ἐτήρει. Κάθητος δ' ἐκ τῶν ἐπισήμων ἰδὼν τὴν παρθένον παίζουσαν ἠράσθη καὶ μὴ στέγων ἥρπασε καὶ ἦγεν εἰς Ῥώμην. ὁ δὲ πατὴρ ἐπιδιώξας καὶ μὴ συλλαβών, ἥλατο εἰς τὸν Παρεούσιον ποταμόν, ὃς Ἀνίων μετωνομάσθη: ut legendum sit Vtque Anio, occultas autem aquas intelligas de καταράκτῃ ὃν ποιεῖ πλωτὸς ὢν ὁ Ἀνίων ἀφ' ὕψους μεγάλου καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν καὶ καταλσῆ (Strab. 238).

Hanc fabulam ita coniunctam crediderim cum altera ut in unum coaluerint. Est autem haec altera de muliere, quam uariis nominibus pro loco ubi res geri fingebatur, *Setaeam siue Seten* (Lyc. 1075, cum Schol. Kinkeliano), *Caietam* (Aurel. Victor x, quem locum attulit Heynius in Excursu ad Aen. v. 604), *Romam* (Tzetz. ad Lyc. 1075, Festus. s. u. Romam. *Lembos, qui appellatur Heraclides, existimat reuertentibus ab Ilio Achiuis quendam* (*quosdam* Muellerus) *tempestate deiectos in Italiae regiones secutos Tiberis decursum peruenisse ubi nunc sit Roma, ibique propter taedium nauigationis impulsas captiuas auctoritate uirginis cuiusdam tempestiuae nomine Rhomes incendisse classem*, Aristoteles ap. Dionys. Antiqq. i. 72, Eusebii Chron. i. p. 277 Schöne), credo etiam *Pisam* siue *Pissam* (Seru. ad Aen. x. 179) uocabant. Hanc mulierem, quam Setaeam appellat, Lycophron dicit dum a Graecis inter captiuas Troadas in Italiam ducitur circa Sybarin naues incendisse, et propterea in scopulis tamquam cruce suspensam periisse.

Σήταια τλῆμον, σοὶ δὲ πρὸς πέτραις μόρος
Μίμνει δυσαίων, ἔνθα γυιούχοις πέδαις
Οἴκτιστα χαλκείῃσιν ὠργυιωμένη
Θανῇ, πυρὶ φλέξασα δεσποτῶν στόλον,
Ἔκβλητον αἰάζουσα Κράθιδος πέλας
Τόργοισιν αἰώρημα φοινίοις δέμας.

Incensas a uirgine naues alii alibi retulerunt, ad Crathin et Neaethum Strabo 262, ad Tiberis ostium uel in alia parte Latii, Aristoteles cum Heraclide et Damaste Sigeensi, cf. Plut. Romul. i, ad Egestam Vergilius et Dionysius Antiqq. i. 52, ad Scionen Conon xiii et Polyaenus vii. 47, Pisis denique Italiae Seruius ad Aen. x. 179.

Hos parere iubent Alpheae origine Pisae;
Vrbs Etrusca solo.
Tercentum adiciunt (mens omnibus una sequendi)
Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in aruis,
Et Pyrgi ueteres, intempestaeque Grauiscae.

Quibus conferenda sunt quae habet Mela ii. 72 *Ardea Laurentum Ostia citra Tiberim in hoc latere sunt. ultra Pyrgi Anio* (*Minio* Cluuerius) *Castrum Nouum Grauiscae Cosa Telamon Populonia Pisae Etrusca et loca et nomina.*

Credo igitur fabulam istam qua Setaea cruci affixa fuerit ad Pisas simul cum incendio quod Troiana mulier fecisset nauium tralatam fuisse; et hoc esse quod poëta significarit *cruciata est Pisa*, uel ut est in G, *Roma.*

Iam uidimus esse iuxta Pisas amnem Minionem, siue, ut est apud Melam, Anionem; nec mirum ut locos, sic nomina in eadem fabula coniungi. Itaque Anio uel Minio iste sub quo tyranno cruciata est Pisa,

fingebatur et rex* fuisse Pisarum, et idem uitam simul ac crudelitatem praecipitatus in profundum finiuisse. Nihil moror quod Annius iste quem Plutarchus scribit ob crudelitatem in filiam insiluisse in fluuium et huic Anienem nomen indidisse, non Pisis uicinus amniculus, sed maior ille Anio fuerit. Quid enim crebrius quam idem nomen ab obscuris ad notiora transdi? Certe sic expeditur quod est difficillimum, *Roma* scriptum in Galeano, *Pisa* in plerisque.

Quamquam ne illud quidem reticendum est, quod alii fortasse amplectentur, *Roma* illud potuisse Galeani scribam de suo inferre. Nam G exeunte saeculo xii scriptus est, quo tempore Milo, notarius mox legatus Papae Innocentii III, Albigenses in Gallia omni studio insectabatur. Qui cum nihil non paratus fuerit in eos moliri (Bénoit, Histoire des Albigeois T. i. p. 145) merito locum tenere potuit inter eos qui crudelitatis supplicium passi sunt. Hoc uolens significare scriba codicis G quid potius faceret quam ut Romam, sedem papae, ubi Milo plerumque habitabat, unde ad delendam haeresin profectus est, cum Milonis nomine uno uersu coniungeret? Non quo Milo hic legatus Papae in aquas praecipitatus sit, nam subito morbo correptus periit: satis est ad id quod agimus si odio instinctus scriba eam mortem huic attribuit qua dignum arbitrabatur.

Ad **351, 2**. Quaeque sui uenerem iuncxit cum fratre mariti,
Locris in ancillae dissimulata nece.

Haec minus commode explicabis de *Helena* quae post Paridis mortem fratri eius Deiphobo nupsit, *Locris* autem siue ob perfidiam ac fraudes (Eustath. 275. 44 *Λοκρῶν ξύνθημα ἐπὶ ἀπατεώνων*, cf. Apostol. x. 76 Leutsch) siue ob inpudicitiam (Athen. 639 A, 697 B) uocari meruit. Nam haec quoque, teste Polyaeno i. 9, dum ab Aegypto cum Menelao rediens Rhodum applicat, iam in eo erat ut a Rhodiis opprimeretur igni ac lapidibus, nisi sumpta uesta ancillae adgredientium uim in eam a se auertisset. Quae si uera est sententia, in ancillae dissimulata nece pro epexegesi Locridis addidit quasi diceret 'quae ueros mores Locridis referebat, simulatione qua ancillae personam in se sumpsit, suam huic transtulit, ut mutatis inuicem uestibus ancilla moreretur, ipsa incolumis euaderet.' Quod si cui durius uidebitur, scribat Latris, quod Phillippici scholio subesse existimo, *ancilla siquidem locris* (l. *latris*) *uocabatur*. Hesych. *λάτρις θεραπαίνη, παιδίσκη ὑπηρετοῦσα, ἡ δούλη*. Nam hoc uerbo recte Helena tamquam Therapnaea (A. A. iii. 49) significari potuit: est enim *θεράπνη θεραπαινίς, δούλη* (Hesych.) et *Θεράπνη ὄνομα μὲν τῷ χωρίῳ γέγονεν, Μενελάου δέ ἐστιν ἐν αὐτῇ ναός, καὶ Μενέλαον καὶ Ἑλένην ἐνταῦθα ταφῆναι λέγουσι* (Paus. iii. 19. 9). Itaque *Latris* i. q. *Therapnis* h. e. (1) Helena *rure Therapnaeo nata* (Her. xvi. 196), (2) ancilla, siue quae ancillae uestes sumpsit et sic mortem effugit. Quid quod a Theodecte tragico hoc ipsum *λάτρις* de Helena usurpatum est ap. Aristot. Pol. i. 6 *Θείων δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἔκγονον ῥιζωμάτων, Τίς ἂν προσειπεῖν ἀξιώσειεν λάτριν*;

Iam inter adulteras nulla Helena famosior, quae non solum Menelaum reliquerit, Paridi nupserit, sed ne hoc quidem contenta Deiphobo, Paridis fratri, post huius mortem cesserit; Deiphobum denique immisso Menelao occiderit (Aen. vi. 511–530).

Ad **418**. Quique tenet pontem, qui tibi maior erit. Sic ut scribas et de senibus intelligas depontatis suadent quae Philippus Beroaldus, non de hoc uersu disserens, attulit in Centum Annotationibus, fol. 3[a] Macrob. Sat. i. 5. 10 *Tamquam* sexagenarios maiores *de ponte deicies?* h. e. maiores annis sexaginta. Varro Sexagessi ap. Non. 214, fr. xviii Riese, *Acciti sumus ut depontare*(*-mur* add. Iunius) *murmur fit ferus*,

* Tota fabula uidetur ad tempus referenda quo *Tusci piraticam exercebant* (Seru. ad Aen. x. 184); quorum crudelitas *Tyrrhenorum* nomen ad *tyrannos* deflexit.

et 86, fr. xix Riese, *Vix ecfatus erat, cum more maiorum ultro casnares* (sic Iunius, *carnales* MSS) *arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant.*

Ad **447**. Et quae Panthoides fecit de fratre Medusae
Eueniant capiti uota sinistra tuo.

Nihil his uersibus Ibis habet difficilius. Nolo morari in iis quae ad explicandum locum Scholiastae tradidere: adeo sunt confusa et carentia fundamento. Sane Bupalum Hipponactis actum conuiciis ut se suspendio necaret ex Plin. xxxvi. 12, Acronis Schol. Hor. Epod. 6. 14 scimus, quamuis uerum id fuisse Plinius neget: sed Hipponactem ipsum nescio cuius Penthidae opprobriis uexatum laqueo uitam finiuisse quis credat? Immo Hipponax Pythei filius potuit Pythides uocari, potuit diras inprecari alicui cuius soror Medusa uel Melusa esset: sed haec ita euenisse uix satis tuto confirmes ex ineptiis scholiastarum. Codices habent pentides GHMPX Vat, penthides de Mure cum VF, pentelides T, pitoides Harleianus: de fratre FHMT de Mure, fraterque GPX: meduse omnes sinceri, meluse Harl., medulle Phillippicus 3360.

Penthides si uere traditum est de uno Menoeceo explicari poterit. Hic enim filius Oclasi, nepos Penthei fuit (Schol. Phoen. 942), sese autem pro patria deuouit et de muris Thebarum praecipitauit. Neque id sane a Curtii morte (443, 4) neque a deuotione auis Ibidis (449–450) abhorret, nec denique a mentione Spartorum. Haec enim Menoeceus de se dicit Phoen. 1006.

Μὰ τὸν μετ' ἄστρων Ζῆν' Ἄρη τε φοίνιον
Ὃς τοὺς ὑπερτείλαντας ἐκ γαίας ποτὲ
Σπαρτοὺς ἄνακτας τῆσδε γῆς ἱδρύσατο.
Ἀλλ' εἶμι καὶ στὰς ἐξ ἐπάλξεων ἄκρων
Σφάξας ἐμαυτὸν σηκὸν ἐς μελαμβαθῆ
Δράκοντος, ἔνθ' ὁ μάντις ἐξηγήσατο,
Ἐλευθερώσω γαῖαν. εἴρηται λόγος.
Στείχω δὲ θανάτου δῶρον οὐκ αἰσχρὸν πόλει
Δώσων, νόσου δὲ τήνδ' ἀπαλλάξω χθόνα.
Εἰ γὰρ λαβὼν ἕκαστος ὅ, τι δύναιτό τις
Χρηστὸν διέλθοι τοῦτο, κεἰς κοινὸν φέροι
Πατρίδι, κακῶν ἂν αἱ πόλεις ἐλασσόνων
Πειρώμεναι τὸ λοιπὸν εὐτυχοῖεν ἄν.

Cf. Hyg. 67 *interrogatus Tiresias quid ita Thebae uexarentur respondit; si quis ex* Dracontio genere superesset *et pro patria interiisset pestilentia liberaturum. Tum Menoeceus Iocastae pater se de muris praecipitauit.*

Neque a Menoecei fabula dissident quae secuntur si cum Galeano (G) legeris fraterque Medusae. Nam Polybus qui Oedipum pro filio suo aluit teste Pherecyde ap. Schol. Soph. O. T. 785 uxorem habuit Medusam Orsilochi, fratris sui, filiam. Huius igitur Polybi natus, ut habebatur, Oedipus, Orsilochum patruum, Orsilochi filiam patruelem habuit; unde *frater Medusae* dici potuit. Oedipodis autem *uota sinistra* ea dicit quibus inprecatus est filiis Eteocli et Polynici ut regnum Thebarum ensibus partirentur (Phoen. 68, 765, 876, 1053).

Quod si quis obiciat non bene coniungi uota Menoecei se pro patria deuouentis, Oedipodis filiis imprecantis dissidium, scripto Pitthides huic uitio medebitur. Nam Theseus Aegei et Aethrae Pitthei filiae filius (Hyg. 14) cum ei *tres optationes Neptunus dedisset, optauit interitum Hippolyti filii, cum is patri suspectus esset de nouerca; quo optato impetrato Theseus in maximis fuit luctibus.* (Cic. de Off. iii. 24. 94.) Et sane Aethra *filia penthei* per errorem sic dicta est in Scholiis C. C. C. ad Ib. 577. Neque illud omittendum uidetur, Oedipum a Scholiasta Ven. Il. iv. 376 mortua Iocasta cum Astymedusam duxisset, haec autem priuignos suos accusaret tamquam se temptassent, id inprecatum dici

iis quod ante commemoraui, h. e. δι' αἵματος παραλαβεῖν τὴν χώραν.* Hanc Astymedusam siue Medusam (Schol. Phoen. 55, Apollod. ii. 4. 5) si scriptor Ibidis, nescio quem secutus, patruelem finxerat eius cui nupsit Oedipodis, artissime cohaerebunt *uota sinistra* Thesei in Hippolytum, Oedipodis in filios suos: nam et hi et ille nouercam sollicitasse credebantur. Atque Pitthiden uerum esse magis adducor ut credam, quod Merkelium uideo sic coniecisse

Et quae Pitthides fecit, pariterque Molinae.

Cf. Paus. v. 2. 2 ὡς δὲ ἡμάρτανον καὶ τούτου, Μολίνην θέσθαι φασὶν ἐπὶ τοῖς πολίταις κατάρας, ἣν Ἰσθμίων μὴ θελῶσι εἴργεσθαι: in Isthmo enim etiam Hippolytum afflictum fuisse. Quod quamquam ingeniose ut solet excogitauit, obscurior illa Molinae deuotio quam quae cum Hippolyti conexa sit: tum uix Ouidianum erat post *quae Pitthides fecit* noua structura addere *pariterque Molinae* (uota). Neque ipse Merkelius coniecturam suam in carmen admisit.

Ceterum post interpretationes aliorum—nam nihil ex his nouum fuit nisi quod *fraterque Medusae* de Oedipo primus interpretatus sum—liceat mihi aliquid peculiare proferre et de meo.

Nam sub dubio illo Penthides Pentides poterat etiam aliud latere. Hauthalius in Scholiis Acronis ad Hor. i. 28. 10 panthoi uarie scriptum panthois panthi penthus tradit: quam eandem corruptelam Ribbeckius Proleg. pp. 384, 5 fuse ex Vergilii codicibus illustrauit. Itaque Panthoides ex Penthides elicio. Quod si uere elicui, ad Homerum reuoluimur. Panthous enim unus ex principibus Troianorum ex Phrontide filios tres creauit Pulydamanta Euphorbum Hyperenora. Ex his Panthoi filiis Romani poetae unum Euphorbum Panthoiden uidentur nominasse, quod nomen etiam in Iliade habet xvi. 808 Πανθοΐδης Εὔφορβος, cf. xvii. 81, et 70 Πανθοΐδαο. Hor. C. i. 28. 20 *habentque Tartara Panthoiden.* Ouid. M. xv. 161 *Panthoides Euphorbus eram.* Iam ut Panthous circa Priamum (Il. iii. 146) sic Panthoi filius Pulydamas circa Hectorem plerumque uersatur (xiii. 725, 756, xiv. 440, 449, xv. 446, 458, 515, 518, xviii. 249). Nam reliqui filii Euphorbus et Hyperenor semel tantum in aciem prodeunt, Euphorbus quo die Patroclum telo coniecto uulnerat, atque ipse a Menelao occiditur (xvi. 808 sqq., xvii. 59, 60), Hyperenor cum a Menelao perimitur, quod ne ipsum quidem nisi a Menelao narratum est (xvii. 24). Sed quoniam Panthoi cum Priamo, Panthoidarum cum Priamidis maxima fuit necessitudo, habemus quo referatur quod in Ibidis uersu est obscurissimum frater Medusae. Nam Medusa inter filias Priami recensetur a multis Hyg. 89, Apollod. iii. 12. 5, Paus. x. 26: idque fecerat Stesichorus (Paus. u. s.); nam apud Homerum nomen non inuenitur. Sed age uersus inspiciantur.

Et quae Panthoides fecit de fratre Medusae
Eueniant capiti uota sinistra tuo.

In quibus uerba ista *capiti tuo* non temere posita sed quasi certa designatione ad ipsum Sphingos cubile nos deductura arbitror. Nam Il. xvii. 38 Panthoides Euphorbus, postquam ei mortem Menelaus minatus est, haec dicit

Ἦ κέ σφιν δειλοῖσι γόου κατάπαυμα γενοίμην,
Εἴ κεν ἐγὼ κεφαλήν τε τεὴν καὶ τεύχε' ἐνείκας
Πάνθῳ ἐν χείρεσσι βάλω καὶ Φρόντιδι δίῃ.

Hanc capitis deuotionem Euphorbus inprecatur Menelao memor ille quidem fratris ab eo ante occisi, quod idem fatum Menelaus ipsi minitatus erat. Sed non de hoc fratre *uota* illa *sinistra* facit, utpote diu iam mortuo, sed de eo quem paulo ante caesum a Graecis aut uiderat

* Plut. Pyrr. ix. τῆς τραγικῆς ἀρᾶς ἐκείνης; θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τοὺς ἀδελφούς.

aut uidentibus superuenerat. Dico Cebrionen, *νόθον υἱὸν ἀγακλῆος Πριάμοιο*, ut etiam Medusa a *concubina* orta est (Apollod. l. c.), eundem aurigam Hectoris, quem paucis ante horis de curru deiecerat Patroclus, addideratque ludibria Il. xvi. 745.

Ὢ πόποι ἦ μαλ' ἐλαφρὸς ἀνήρ, ὡς ῥεῖα κυβιστᾷ.
Εἰ δή που καὶ πόντῳ ἐν ἰχθυόεντι γένοιτο,
Πολλοὺς ἂν κορέσειεν ἀνὴρ ὅδε τήθεα διφῶν
Νηὸς ἀποθρώσκων, εἰ καὶ δυσπέμφελος εἴη,
Ὡς νῦν ἐν πεδίῳ ἐξ ἵππων ῥεῖα κυβιστᾷ.
Ἦ ῥα καὶ ἐν Τρώεσσι κυβιστητῆρες ἔασιν.

Est enim haec mors Cebrionae quasi primus actus tragoediae quae finem habet mortem Euphorbi. Interposita est mors Patrocli, quae sic narratur. Occiso Cebrione, super corpore eius decertant Hector et Patroclus (755); tandem uictores Graeci corpus auferunt (782). Dein Patroclum a tergo Apollo manu premit, galeam deicit (793); eum sic confusum Euphorbus, hoc die primum in pugnam progressus, telo fodit (812); Hector denique interficit (822). Tum quae pugna fuerat inter Hectorem ac Patroclum de Cebrione, eadem nunc fit inter Euphorbum ac Menelaum de Patroclo: denique Euphorbum Menelaus, spreta eius inprecatione *Εἴ κεν ἐγὼ κεφαλήν τε τεὴν* etc., imo gutture transfixum spoliat.

Has tres heroum mortes Ouidium credo ita animo sibi figurasse ut quae prima esset, Cebrionae, hanc cum extrema illa Euphorbi quasi perpetuo uinculo conecteret: neque illud iniuria, cum altera ex altera in Iliade haereat semper ac pendeat. Non absurdum igitur si, alternatis uicibus leti Troianorum Graecorumque, Euphorbus, dum hostis Patrocli corpus uindicat tamquam a se occisum, ipse animo reuolutus ad amici Cebrionae fatum quem hic extinxerat, *uota sinistra* fingitur concepisse quibus Cebrionem *fratrem Medusae* ac Priamidarum ulcisceretur. Ea uota *sinistra* dixit tamquam in Euphorbum redundantia; qui enim optarat ut Menelai caput cum armis in Panthi sinu deponeret ipse a Menelao occisus armis exuitur.

Non me fugit posse haec quibusdam dicta uideri arbitrario. Quibus illud responderim: Ouidium Tomis exulantem non semper ad amussim singula exegisse, sed quaedam ex memoria prout sibi animo inhaesissent repraesentasse. Quamquam ne hoc quidem necessarium: nam post Homerum multos uaria de Euphorbo tradidisse docent Eustathius, Scholiastae, Ptolemaeus Hephaestion in secundo *Καινῆς Ἱστορίας*.

Ad **451, 2**. Menedemus dicitur *δαίμων ἐπιχώριος* fuisse Cythniorum a Clem. Alex. Protr. 12 S.

Ad **465**. Verba s a c r a s m a c t e r i s a d a r a s optime illustrantur iis quae Diegylis, rex Thracum, a Diodoro dictus Phalaride et Apollodoro crudelior, in duos adulescentes patrauit. Diod. xxxiii. 14 *Τούτους ἀμφοτέρους καταστέψας ἱερείου τρόπον εἰσήγαγε καὶ τὸν μὲν νεώτερον κατατείνας μακρὸν διὰ τῶν ὑπηρετῶν ὡς μέσον διακόψων, ἀνεφώνησεν ὡς οὐχ ὁμοίοις ἱερείοις δεῖ χρῆσθαι τοὺς ἰδιώτας καὶ τοὺς βασιλεῖς. Κλαίοντος δὲ τοῦ πρεσβυτέρου καὶ φιλάδελφον πάθος προφαίνοντος καὶ τιθέντος ἑαυτὸν ὑπὸ τὸν σίδηρον, προσέταξε τοῖς ὑπηρέταις καὶ τοῦτον ὁμοίως τεῖναι μακρόν. Διπλασιάζων δὲ τὴν ὠμότητα, καὶ μιᾷ πληγῇ καθ' ἑκατέρου χρησάμενος, ἐν ἀμφοτέροις εὐστόχησε, παῖανι τῶν θεωμένων ἐπισημηνάντων τὴν κατόρθωσιν.*

Ad **467**. Locus Philostrati hic est, iv. 147. *Ξυναγαγὼν οὖν τοὺς Ἐφεσίους, Θαρσεῖτε, ἔφη, τήμερον γὰρ παύσω τὴν νόσον, καὶ εἰπὼν ἦγεν ἡλικίαν πᾶσαν ἐπὶ τὸ θέατρον, οὗ τὸ τοῦ Ἀποτροπαίου ἵδρυται· πτωχεύειν δέ τις ἐνταῦθα ἐδόκει γέρων ἐπιμύων τοὺς ὀφθαλμοὺς τέχνῃ, καὶ πήραν ἔφερε καὶ ἄρτου ἐν αὐτῇ τρύφος, ῥάκεσί τε ἠμφίεστο καὶ αὐχμηρῶς εἶχε τοῦ προσώπου. περιστήσας οὖν τοὺς Ἐφεσίους αὐτῷ, Βάλλετε τὸν θεοῖς ἐχθρόν, εἶπε, ξυλλεξάμενοι τῶν λίθων ὡς πλείους. θαυμαζόντων δὲ τῶν Ἐφεσίων ὅ, τι λέγοι, καὶ δεινὸν ἡγουμένων,*

εἰ ξένον ἀποκτενοῦσιν ἀθλίως οὕτω πράττοντα, καὶ γὰρ ἱκέτευε καὶ πολλὰ ἐπὶ ἐλέῳ ἔλεγεν, ἐνέκειτο παρακελευόμενος τοῖς Ἐφεσίοις ἐρείδειν τε καὶ μὴ ἀνιέναι. ὡς δὲ ἀκροβολισμῷ τινες ἐπ' αὐτῷ ἐχρήσαντο, καὶ καταμύειν δοκῶν ἀνέβλεψεν ἀθρόον, πυρός τε μεστοὺς τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔδειξε, ξυνῆκαν οἱ Ἐφέσιοι τοῦ δαίμονος καὶ κατελίθωσαν οὕτως αὐτόν, ὡς κολωνὸν λίθων περὶ αὐτὸν χώσασθαι. διαλιπὼν δὲ ὀλίγον ἐκέλευσεν ἀφελεῖν τοὺς λίθους καὶ τὸ θηρίον ὃ ἀπεκτόνασι γνῶναι. γυμνωθέντος οὖν τοῦ βεβλῆσθαι δοκοῦντος ὁ μὲν ἠφάνιστο, κύων δὲ τὸ μὲν εἶδος ὅμοιος τῷ ἐκ Μολοττῶν, μέγεθος δὲ κατὰ τὸν μέγιστον λέοντα ξυντετριμμένος ὤφθη ὑπὸ τῶν λίθων καὶ παραπτύων ἀφρόν, ὥσπερ οἱ λυττῶντες. Nempe, ut ipse pro se loquens dicit 340 Τὸ *τοῦ λοιμοῦ εἶδος, πτωχῷ δὲ γέροντι εἴκαστο, καὶ εἶδον καὶ ἰδὼν εἷλον οὐ παύσας νόσον ἀλλ' ἐξελών.*

An legendum est Abdira, quem locum Ptolemaeus Geog. iv. 3. 34 non longe Carthagine statuit? Nam si Ibis ille, quisquis fuit, in hoc loco natus est, poterat Ouidius id sic commemorare ut diceret, Vtinam tibi diras inprecetur *oppidum istud in quo editus es;* quod cum Abdira uocaretur, uera nominis significatio latitura erat, cum omnibus illa altera Abdera animo obuersaretur. Certe non disconuenit id quod in P scriptum est, Abdrida. Afros autem, Aegyptios saltem lapides conicere solitos in deuotum testis est Diodorus i. 91. 4 ap. Lob. Aglaoph. p. 676.

Ad **475**. Scholiastarum confirmant quodammodo explicationem uerba Caesarii *πύστεων* in Bibl. Graec. Patrum T. 38 p. 993 Migne, citata a Lobeckio Aglaoph. p. 574 *Ἰλιεῖς τὸν Ἕκτορα μᾶλλον δὲ οὐδ' ἀλέκτορα χρηστόν, οἱ ἐν Λεύκῃ τὸν ἴκαχον Ἀχιλλέα, Πόντιοι* (*Ὀπούντιοι* Lobeck) *τὸν πατραλοίαν Πάτροκλον, Ῥόδιοι τὸν εἰκημάχον Μακεδόνα.* Rhodos sedes Telchinum; bellum temerarium putes id esse quod cum superis gessisse Telchinas credibile est, quos Seruius ad Aen. iv. 377 ab Apolline occisos in lupi habitu, alii Rheae aduersatos esse tradiderint (Schol. Apoll. R. i. 1141, *Ἀνταία. ἡ Ῥέα οὕτω λέγεται διότι ἐναντία τοῖς Τελχῖσιν ἐγένετο,* cf. Etym. M. p. 111, Lob. Aglaoph. p. 1197).

Iam si quae partes Curetum, eaedem erant Telchinum, ut deos modo educandos susciperent modo amolirentur, uelut Iouem Bacchumque tutati, Epaphum leto dedisse dicuntur (Apollod. ii. 1. 3), non mirum si Telchines alternis uicibus Rheae filium Neptunum educasse (Diod. v. 55), iidem mox Rheae aduersati perhibentur. Curetas autem si ob occisum Epaphum Iupiter peremit (Apollod. l. c.), Telchinas propter iniuriam aliquam fulminatos dici quis miretur? Et erat inter Curetas Telchinasque necessitudo, teste Strabone 472 ap. Lobeck. Agl. p. 1148. Quae si Lobeckium secutus p. 1197 uere colligo, scribendum erit ex T X Vt Macedon rapidis ictus cum coniuge flammis.

Ad **499, 500**. Diod. v. 62 *Ἔστι δ' ἐν Καστάβῳ τῆς Χεῤῥονήσου ἱερὸν ἅγιον Ἡμιθέας, ἧς τὴν περιπέτειαν οὐκ ἄξιον παραλιπεῖν. Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ποικίλοι λόγοι περὶ αὐτῆς παραδέδονται τὸν δ' ἐπικρατοῦντα καὶ συμφωνούμενον παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις διέξιμεν. Σταφύλου γὰρ καὶ Χρυσοθέμιδός φασι γενέσθαι τρεῖς θυγατέρας Μολπαδίαν καὶ Ῥοιὼ καὶ Παρθένου ὄνομα. Καὶ τῇ μὲν Ῥοιοῖ τὸν Ἀπόλλωνα μιγέντα ἔγκυον ποιῆσαι· τὸν δὲ πατέρα αὐτῆς ὡς ὑπ' ἀνθρώπου τῆς φθορᾶς γεγενημένης ὀργισθῆναι, καὶ διὰ τοῦτο τὴν θυγατέρα εἰς λάρνακα συγκλείσαντα βαλεῖν εἰς τὴν θάλατταν. Προσενεχθείσης δὲ τῆς λάρνακος τῇ Δήλῳ τεκεῖν ἄῤῥενα καὶ προσαγορεῦσαι τὸ παιδίον Ἄνιον. Τὴν δὲ Ῥοιὼ παραδόξως σωθεῖσαν ἀναθεῖναι τὸ βρέφος ἐπὶ τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ ἐπεύξασθαι τῷ θεῷ, εἰ ἔστιν ἐξ ἐκείνου, σώζειν αὐτό. Τὸν δ' Ἀπόλλωνα μυθολογοῦσι τότε μὲν κρύψαι τὸ παιδίον, ὕστερον δὲ φροντίσαντα τῆς τροφῆς διδάξαι τὴν μαντικὴν, καί τινας αὐτῷ περιτιθέναι μεγάλας τιμάς. Τὰς δὲ τῆς φθαρείσης ἀδελφὰς Μολπαδίαν καὶ Παρθένον φυλαττούσας τὸν τοῦ πατρὸς οἶνον, προσφάτως κατ' ἀνθρώπους εὑρημένον, εἰς ὕπνον κατενεχθῆναι· καθ' ὃν δὴ καιρὸν τὰς τρεφόμενας παρ' αὐταῖς ὗς εἰσελθεῖν, καὶ τόν τε ἔχοντα τὸν οἶνον κέραμον συντρίψαι καὶ τὸν οἶνον διαφθεῖραι. Τὰς δὲ παρθένους μαθούσας τὸ γεγονός, καὶ φοβηθείσας τὸ ἀπότομον τοῦ πατρός, φυγεῖν ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν καὶ*

ἀπό τινων πετρῶν ὑψηλῶν ἑαυτὰς ῥῖψαι. Ἀπόλλωνα δὲ διὰ τὴν οἰκειότητα τὴν πρὸς τὴν ἀδελφὴν ὑπολαβόντα τὰς κόρας εἰς τὰς ἐν Χεῤῥονήσῳ πόλεις καταστῆσαι· καὶ τὴν μὲν ὀνομαζομένην Παρθένον ἐν Βουβάστῳ τῆς Χεῤῥονήσου τιμὰς ἔχειν καὶ τέμενος. Μολπαδίαν δὲ εἰς Κάσταβον ἐλθοῦσαν διὰ τὴν ἀπὸ τῆς Θεοῦ γενομένην ἐπιφάνειαν Ἡμιθέαν ὠνομάσθαι καὶ τιμᾶσθαι παρὰ πᾶσι τοῖς ἐν Χεῤῥονήσῳ.

Etiam apud Parthenium Erot. i Hemithea et Rhoeo Staphyli, Baccho progeniti, filiae dicuntur et in Bubasto Cariae habitasse; quamquam cetera non congruunt, cum Hemitheam pater Lyrco ebrio concubinam fecerit, deque eo concubitu inuida Rhoeo tamquam sororis riualis inducatur. Sed diuersis modis fabulam narratam fuisse ipse Diodorus testatur: nobis eliciendum quomodo eam sibi scriptor Ibidis repraesentarit. Nam Hemitheam intelligi Lydiam uirginem eo fit ueri simile quod Leucotheam uersus proxime antecedens (unus 498 interpositus est) habet: Leucothea autem et Hemithea ita inter se conectuntur ut interdum utroque nomine una denotetur, uelut Tenis soror (Tzetz. ad Lyc. 232, Schol. Il. i. 38), interdum, facta alterius mentione, altera sequatur, uelut ap. Lyc. 229, 232 ubi post inductum Palaemonem, Leucotheae filium, transitus fit ad Tenen Hemitheamque. Idem etiam alibi fecit: sic a Crotopi filio Lino transitus fit ad Oeagri Calliopesque nurum Eurydicen: Oeagrus autem et Calliope Linum et Orphea progenuerunt (Apollod. i. 3. 2).

Versus Ibidis hi sunt

Lidia se scopulis ut uirgo misit ab altis
Dixerat inuicto (inuito) quae mala uerba deo.

Ad quae Schol. C et Ask *Lidiae uirgines conuitia Baccho ingerentes et festum eius profanantes nimium potae de quodam monte praecipitarunt, ut ait Gallus:* unde quasi ex fumo scintilla quaedam perlucet. Nam quod dixit *uirgines*, non *uirginem*, bene ad Hemitheam et sorores referas: nec male *inuicto deo* de Baccho interpreteris, cf. Eur. Bacch. 975 *ὁ νικήσων δ' ἐγὼ Καὶ Βρόμιος ἔσται*, 777 *Διόνυσος ἥσσων οὐδενὸς θεῶν ἔφυ*, Macrob. i. 19 *plerique Liberum cum Marte coniungunt, unum deum esse monstrantes: unde Bacchus* Ἐνυάλιος *cognominatur . . . nec non et calor uini, cuius Liber pater auctor est, saepe homines ad furorem bellicum usque propellit . . . Hinc etiam Liber pater bellorum potens probatur, quod eum primum ediderunt auctorem triumphi.*

Iam attende quam dextre narrationi Diodori poëtae uerba se accommodent. Non enim temere ne illud quidem accidit quod uirgo in hoc uno uersu Ibidis scriptum est. Quis enim dubitet Hemitheam a poëta *Parthenon*, non Molpadiam, designari? Sane Diodorus tradit Hemitheae nomine Molpadiam uocitatam fuisse; sed idem addidit Parthenon *in Bubasto* lucum habere et cultus diuinos: unde credas Hemitheam Bubastiam (Parth. Erot. i) modo huius, modo huius personam suscepisse. Quod uirgines Diodorus tradit metu repertoris Staphyli se praecipitasse, poëta propter ingesta Baccho conuicia, uides parua esse quibus a se differant, unum quod ambobus sit commune in eo uerti omnia, ut poenam sororibus intulerit is a quo uinum repertum est.

Hemitheam *Lydiam* uocare duplici modo potuit, siue quod hoc nomine urbes Caricae nonnumquam designantur ut Tralles ap. Steph. Byz., et quod Maeandrus utramque regionem Lydorum ac Carum perfluit, siue Bacchi respectu, cuius cultus, ut uitium repertoris ac uini, ad Lydiam saepius refertur. Sic Eur. Bacc. 13 Bacchus de se dicens *Λιπὼν δὲ Λυδῶν τοὺς πολυχρύσους γύας*, 55 Bacchas alloquens *Ἀλλ', ὦ λιποῦσαι Τμῶλον, ἔρυμα Λυδίας, θίασος ἐμός, γυναῖκες*: sic de se ipsis Bacchae 64 *Ἀσίας ἀπὸ γαίας Ἱερὸν Τμῶλον ἀμείψασα θοάζω Βρομίῳ πόνον ἡδύν*, cf. 153; sic de Baccho Pentheus *ξένος Γόης, ἐπῳδὸς Λυδίας ἀπὸ χθονός*. Sic Diogenes tragicus ap. Athen. 636 *Κλύω δὲ Λυδὰς Βακχίας τε παρθένους* dixit; sic Statius

S. iii. 3. 61, 2 *Hermique uadum, quo Lydius intrat Bacchus et aurato reficit sua cornua limo* Hermi flumen cum Bacchi cultu coniunxit.

Ad **517, 518.** Faciunt uerba cupidine mortis ut de interpretatione Leopardi haeream : non enim mori cupiens sed potius metu ne in manus Ptolemaei ueniret incendio Biothea perire destinauit. Idem suadent uerba succensae pyrae, etiam fortasse des tua membra cremanda : nam illa pyram solito more structam paratamque ut subditis facibus incenderetur, haec uoluntariam poenam, uel transitum de uita mortalium ad immortalem qualis Callani.fuit uidentur significare. Sane non rara haec mors inter antiquos Cic. de Diuin. i. 23. 47 *Ad mortem proficiscens Callanus Indus cum inscenderet in rogum ardentem 'O praeclarum discessum' inquit 'e uita, cum ut Herculi contigit, mortali corpore cremato in lucem animus excesserit.'* Tusc. Disp. ii. 22. 52. Plut. Alex. lxvii 'Ο δὲ Καλλανὸς ἐνταῦθα χρόνον οὐ πολὺν ὑπὸ κοιλίας ἐνοχληθεὶς ᾐτήσατο πυρὰν αὐτῷ γενέσθαι. Καὶ κομισθεὶς ἵππῳ πρὸς αὐτήν, ἐπευξάμενος καὶ κατασπείσας ἑαυτοῦ καὶ τῶν τριχῶν ἀπαρξάμενος, ἀναβαίνων ἐδεξιοῦτο τοὺς παρόντας τῶν Μακεδόνων, καὶ παρεκάλει τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἡδέως γενέσθαι καὶ μεθυσθῆναι μετὰ τοῦ βασιλέως, αὐτὸν δὲ ἐκεῖνον ἔφη μετ' ὀλίγον χρόνον ἐν Βαβυλῶνι ὄψεσθαι. Ταῦτα δ' εἰπὼν κατακλιθεὶς καὶ συγκαλυψάμενος οὐκ ἐκινήθη τοῦ πυρὸς πλησιάζοντος, ἀλλ' ἐν ᾧ κατεκλίθη σχήματι, τοῦτο διατηρῶν ἐκαλλιέρησεν ἑαυτὸν τῷ πατρίῳ νόμῳ τῶν ἐκεῖ σοφιστῶν. Similia Strabo 715–716 ubi dicit Callanum ἐξάγειν ἑαυτὸν διὰ πυρός, νήσαντα πυράν, ὑπαλειψάμενον δὲ καὶ καθίσαντα ἐπὶ τὴν πυρὰν ὑφάψαι κελεύειν. In quibus ut ὑφάψαι ad uerbum exprimit *succensae*, sic quae ex Megasthene sumpsit Strabo tamquam dicta a Callano 718 ἀποθανὼν δὲ ἀπαλλάξαιτο τῆς τετρυχωμένης ἀπὸ γήρως σαρκός, μεταστὰς εἰς βελτίω καὶ καθαρώτερον βίον mire conueniunt iis quae in Ibide sunt cupidine mortis. Curtius de Indis sapientibus viii. 9 *Viuos*, ait, *cremari se iubent quibus aut segnis aetas aut incommoda ualitudo est: expectatam mortem pro dedecore uitae habent, nec ullus corporibus, quae senectus soluit, honos redditur.* Hanc mortem habuit Augusti tempore Athenis ipso praesente Augusto Ἰνδὸς σοφιστὴς quem Strabo Zarmanochegan (720), Dion (liv. 9) Zarmaron uocat, cuius sepulcro inscriptum est Ζαρμανοχήγας Ἰνδὸς ἀπὸ Βαργόσης κατὰ τὰ πάτρια Ἰνδῶν ἔθη ἑαυτὸν ἀπαθανατίσας κεῖται. De eo Dion dicit ἀποθανεῖν ἐθελήσας ἐμυήθη τε τὰ τοῖν θεοῖν . . . καὶ πυρὶ ἑαυτὸν ζῶντα ἐξέδωκεν.

Etiam ex athletis commemorantur qui hunc exitum habuerunt : uelut Timanthes ille Cleonaeus ap. Paus. vi. 8 cum deficiente robore arcum intendere non iam posset, in ardentem pyram uiuus se iniecit : quod facinus cum ceteris eiusdem modi uel ante editis uel post edendis exemplis insaniae partem, non uirtutis Pausanias habuit.

Illud sane mirum de his Ibidis uersibus quod iam Alciatus obseruarat, non longe abesse nomen quale in codicibus inuenitur *Broteam* G *broteā* T *brotheam* de Mure *prothean* Pal. 1709 a nomine illo satis celebri Peregrini Protei de quo haec in Euseb. Chron. Ol. ccxxxvi. 1, 167 A. D. extant *apud Pisas Peregrinus filosofus rogo quod* (?*quem*) *ex lignis conposuerat incenso semet superiecit.* De huius uiri morte scripsit Lucianus libellum singularem Περὶ τῆς Περεγρίνου τελευτῆς, in quo philosophum nec Gellio (viii. 3, xii. 11) contemptum nec Ammiano (xxix. 1) omni contumelia insectatus est. Cynicus fuit, unde ὁ κύων Πρωτεὺς dictus est Philostrato (Vit. Sophist. ii. 13) cuius haec sunt uerba Ἦν μὲν γὰρ τῶν οὕτω θαῤῥαλέως φιλοσοφούντων ὁ Πρωτεὺς οὗτος, ὡς ἐς πῦρ ἑαυτὸν ἐν Ὀλυμπίᾳ ῥίψαι : quibus adde Tert. ad Mart. 4. p. 625 Migne *Heraclitus, qui se bubulo stercore oblitum exussit, item Empedocles, qui in ignes Aetnaei montis dissiliuit* (l. *desiliuit*)*; et Peregrinus, qui non olim se rogo immisit, cum feminae quoque contempserint ignes.* Ad hunc Peregrinum siue Protea Alciatus uerba Ibidis retulit, distichon ratus post Peregrini mortem carmini inlatum esse. Sed Peregrinus ille quamuis propter

celebritatem mortis iure inter eos accensendus fuerit qui se in pyra combusserunt, facta est enim res Olympiae in maximo conuentu spectatorum (Pereg. xxi *ἐν Ὀλυμπίᾳ τῆς πανηγύρεως πληθούσης μόνον οὐκ ἐπι σκηνῆς ὀπτήσει ἑαυτὸν*), neque in uniuersum inconueniens sit uerbis poëtae exitus Peregrini qualis a Luciano narratur, cf. cupidine mortis cum Luc. xxi *ἐχρῆν μὴ δραπετεύειν ἐκ τοῦ βίου*, xxxii *θανατιῶντι σοφιστῇ*, succensae pyrae cum xxix *πῦρ ἀνακαύσας*, xxxv *καταλαμβάνομεν πυρὰν νενησμένην ἐν βάθει ὅσον ἐς ὀργυιὰν τὸ βάθος. Δᾷδες ἦσαν τὰ πολλὰ καὶ παρεβέβυστο τῶν φρυγάνων, ὡς ἀναφθείη τάχιστα*—non ea tamen est conformatio uersuum quam uere huic respondere censeas. Quid enim ferunt? Num de eo dicendum erat cuius mors erat notissima? nonne de eo potius qui multis ante saeculis uixerat, ut incerta tantum fama ad posteros peruenerit? Neque in Peregrino tantum ualuit ad cremationem mortis cupido quam iactantia et gloriae amor. Saepius hoc iterat Lucianus, xiv *δέξαιτ' ἂν ἀποθανεῖν, ὡς δόξαν ἐπὶ τούτῳ ἀπολίποι*, xx *οὐδὲν ἔτι καινουργεῖν ἐδύνατο ἐφ' ὅτῳ ἐκπλήξει τοὺς ἐντυγχάνοντας καὶ θαυμάζειν καὶ πρὸς αὐτὸν ἀποβλέπειν ποιήσει, οὗπερ ἐξ ἀρχῆς δριμύν τινα ἔρωτα ἐρῶν ἐτύγχανε*, xxx *Ἀλλ' ὁπόταν Κυνικὸς πολυώνυμος ἐς φλόγα πολλὴν Πηδήσῃ δόξης ὑπ' ἐρινύϊ θυμὸν ὀρινθείς*, xxxiv *οὕτω δυσέρωτα τῆς δόξης ἄνθρωπον*, ib. *ἐνεφορεῖτο τῆς δόξης*, xxxviii *τὸ φιλόδοξον οἷόν τί ἐστιν ἀναλογιζόμενος*. Et quod est multo grauissimum Proteus semper uocatur a Luciano, *ὡς αὐτὸς ἔχαιρεν ὀνομάζων ἑαυτὸν Πρωτεὺς, αὐτὸ δὴ ἐκεῖνο τὸ τοῦ Ὁμηρικοῦ Πρωτέως ἔπαθεν*, iii *ἐς τὸν Πρωτέα*, iv *Πρωτέα τὸν ἐν Συρίᾳ δεθέντα*, v *οὐκ εἰς μακρὰν καύσει ἑαυτὸν ὁ Πρωτεὺς*, cf. vi, xii, xv, xxiii, xxvii, xxviii, xxix, xxx, xxxii, xxxvi, xxxix, xl, xlii, et sic ap. Ammian. xxix. 1, Philost. Vit. Soph. ii. 13, Gell. xii. 11. Contra codices Ibidis optimi *Brŏtean* exhibent, nec breuitate primae syllabae nec accusatiui forma congruentem cum *Prōteo*; nec uideo quomodo ex *protheam* quod habet codex recentissimus Pal. 1709 quicquam sis extorturus quod Ibidis uersus possit recipere.

Nam si nomen per se spectes neque ad Proteum neque ad Biotheam referendum erat. Sensit id Gerhardus in Mus. Rhen. Nou. viii. 130–133, ubi locos affert ueterum quibus Broteas mentionem habet. Sunt autem (praeter Ouid. M. v. 107, ubi inter Cephenas Broteas est, xii. 260 ubi inter Lapithas) hi: Paus. ii. 22. 3, ubi Tantalum τὸν Θυέστου παῖδα ἢ Βροτέου Pausanias distinguit ab alio Iouis et Plutus filio; iii. 22. 4 Μάγνησι (a Sipylo) Μητρός ἐστι θεῶν ἀρχαιότατον ἁπάντων ἄγαλμα· ποιῆσαι δὲ οἱ Μάγνητες αὐτὸ Βροτέαν λέγουσι τὸν Ταντάλου. Ad eandem Tantali stirpem Broteas refertur in Schol. Eur. Orest. 5, Mantissa Prouerb. ii. 94 Leutsch, Tzetz. Exeg. Il. p. 68 Hermann, sed ut Tantali filius, non pater dicatur (Ταντάλου καὶ Εὐρυανάσσης Πέλοψ Βροτέας Νιόβη). Iam cum in Paus. iii. 22 et Tzetz. Exeg. Il. p. 68 Βροντέας pro u. l. inueniatur, Gerhardus, allato Merkelii Scholio p. 471 *Brothea filius Iouis excaecatus est a Ioue quia nequissimus erat, et ideo proiecit se in pyram ardentem odio habens uitam suam, ut ait Darius* coniecit posse ad hoc nomen Βροντέου reuocari fabulam illam qua ipse se Broteas igni absumpserit eodem modo quo tonitrua in sese reuolui ac resorberi uideantur. Quod quamuis ipse reiecerit, uero similius iudico iis quae post subnexuit, nec quemquam fugit quantae partes in mythologia sint caeli ac similium.

Vnum tamen locum Gerhardus praetermisit qui si minus ad expediendam rem, ad Scholiorum certe explicationem est maximi. Nam Tzetzes ad Lyc. 111 haec habet *Ἀθηνᾷ τινὶ Βασιλίδι, τῇ καὶ Βελονίκῃ λεγομένῃ, θυγατρὶ δὲ* Βροντέου *ὑπαρχούσῃ, Ἥφαιστος γάμῳ μιγεὶς γεννᾷ Ἐριχθόνιον, ὃς ἐβασίλευσεν τῆς Ἀττικῆς*. Recte igitur ab Hieronymo in Euseb. Chron. p. 31 Schöne Erichthonius Vulcani et Mineruae filius dicitur: quem secutus Scholiasta cod. Reg. 2061 addit Brotheam uel Brotheum eundem fuisse atque hunc Erichthonium, Vulcani et Mineruae filium. Quod ut non Tzetzes tradiderit, ad hunc tamen redire scholion uidetur.

An est Broteas Hercules Bruttius? Nam Hercules in Bruttiorum numo fulmen tenens inuenitur (Cuper Harpocr. p. 65): neque incredibile est et huic tamquam tonitrali deo (Gloss. Laudunense p. 70 in *Notices et Extraits* anni 1880, Βροταῖος *tonitralis*) Broteae nomen adhaesisse; sicut Bruttiorum nomen ab eadem stirpe duci credas ex Hesychianis Βρέντιοι ἔθνος ἐν Ἰταλίᾳ. Βρενταί· Βρονταί. Sed et simpliciter Hercules sic uocari potuit; cum hoc nomine aliis dis adsimilaretur, qui rogis consumpti, ex mortalibus immortales, arces attigerunt igneas. Audi Welckerum Griechisch. Götterl. ii. p. 797. So ist der Selbstverbrennung des Assyrisch-Lydischen und Kilikischen Sandon in dem Oetäischen Flammentode des Herakles nachgeamt, indem der Geist desselben zu den Olympischen Göttern übergeht, während der Leib in Asche zerfällt. In der Trachinierinnen hat dieser entlehnter Mythus deutlich genug nicht den Phönixartigen Character der Verbrennung einer Zeitperiode. Münzen von Tarsos hingegen, wo man jährlich die symbolische Cäremonie wiederholte, enthalten den Assyrischen Rogus nach seiner Kosmischen Bedeutung.

Et adstipulatur Liuius xxxvi. 30 *Ipse Oetam ascendit Herculique sacrificium fecit in eo loco quem* Pyram, *quod ibi mortale corpus eius dei sit crematum, appellant.*

Ad **525, 6.** Quam difficilis explicatu hic locus sit docent non recentiorum solum opiniones sed scholiastarum quoque commenta. Vnum tamen ueteres Scholiastae habent commune quod dextera laesa de accepto uulnere interpretantur. Horum optimus G haec dicit *Orpheus repertor illiciti amoris a sacerdotibus Bacchi dexteram amisit. Tunc ille uidens se non posse citharizare irruit in eas nihil curans de uita et mortuus est.* Quae ut non possunt esse uera, ita potest illud subesse ueri, quod *dextera laesa* eius creditur qui *lyram seueram* tractauerat. Nec sane mirum si citharista uel lyricen fractis chordis uulnus manu accepit. Itaque non de poëta rectius, quam de fidicine, uersus explices. Quamquam satis cohaerebunt uersus, si fidicen ille, quisquis fuit, dum segniorem discipulum instituit, iratus eum uulnerasse et ob hoc ipse interfectus fuisse fingetur.

Inter citharistas nemo Lino notior. Vide quae congessit Clintonus F. H. i. pp. 341, 2, Welckerus Kl. Schrift. i. pp. 8–55. Hunc duplici modo interemptum tradunt: alii, ab Apolline, quod primus omisso lini usu ex neruis chordas fecerit (Eustath. 1163, Schol. Il. xviii. 570) alii ab Hercule, cum a Lino uerberatus quod parum sollers in discendo esset, magistrum suum plectro uel lyra enecauit (Ael. V. H. iii. 32, Paus. ix. 29. 9, Diod. iii. 67, Apollod. ii. 4. 9). Scriptor uersuum siue Apollinem siue Herculem respexit, non inepte omnia expedientur. (1) Vt Linus, uates lyrae seuerae, h. e. repertor* seuerioris musicae, cum ex neruis chordas primus intenderit, et naeniarum siue Threnorum auctor fuerit (Plut. Mus. iii), ob hanc rem ab Apolline peremptus dicitur, laesa manu per intentiorem et acutiorem chordarum formam, siue quod ei Apollo tamquam aemulo inuidens, manum qua praecipue ad psallendum usus erat uulnerauit ne amplius artem ostentaret, Eustath. *ἄγροικος νεανίας ὁ Λίνος ᾠδῆς τινος εὑρετής, Οὐρανίας υἱός· ὃν ἀνεῖλεν Ἀπόλλων ἐπεὶ τὸ λίνον καταλύσας χορδαῖς ἐνέτεινεν ὄργανον.* (2) Vt Linus, seuerior magister fidium, dum Herculi discipulo iratus dextram, qua inperitius psallebat, percutit,

* Schol. Il. xviii. 570 *Φασὶ δὲ αὐτὸν ἐν Θήβαις ταφῆναι καὶ τιμηθῆναι θρηνῳδέσιν ᾠδαῖς, ἃς λινωδίας ἐκάλεσαν. ἔστι δὲ μέλος θρηνητικὸν ὁ λίνος μετ᾽ ἰσχνοφωνίας ᾀδόμενος . . . . ἐθρηνεῖτο γὰρ οὗτος παρὰ τῶν Μουσῶν οὕτως. Ὦ Λίνε (πᾶσι) θεοῖσιν Τετιμένε σοὶ γὰρ ἔδωκαν Πρώτῳ μέλος ἀνθρώποισιν Φωναῖς λιγυραῖς ἀεῖσαι· Φοῖβος δὲ κότῳ σ᾽ ἀναιρεῖ Μοῦσαι δέ σε θρηνέουσιν* (sic Bergkius P. L. p. 1297).

uim eius in se conuertit, et ab eo peremptus est. Diod. iii. 67 τὸν δὲ Λίνον ἐπὶ ποιητικῇ καὶ μελῳδίᾳ θαυμασθέντα μαθητὰς σχεῖν πολλούς, ἐπιφανεστάτους δὲ τρεῖς Ἡρακλέα Θαμύραν καὶ Ὀρφέα. Τούτων δὲ τὸν μὲν Ἡρακλέα κιθαρίζειν μανθάνοντα διὰ τὴν τῆς ψυχῆς βραδυτῆτα μὴ δύνασθαι δέξασθαι τὴν μάθησιν, ἔπειθ' ὑπὸ τοῦ Λίνου πληγαῖς ἐπιτιμηθέντα διοργισθῆναι, καὶ τῇ κιθάρᾳ τὸν διδάσκαλον πατάξαντα ἀποκτεῖναι. Plaut. Bacch. i. 2. 43 Lyd. *Magistron quemquam discipulum minitarier?* Pistocler. *Iam excessit mi aetas ex magisterio tuo.* Lyd. *Nil moror discipulos mihi esse plenos sanguinis. Valens afflictet me uaciuom uirium.* Pistocler. *Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus.* Haec altera explicatio praeferenda uidetur siue quod melius sic uerbis poëtae consulitur, cum Lini seueritatem laesa dextra Herculis quae sensit, eadem ulciscatur, siue quod inter antiquos ualde celebris haec historia fuit. Demonstrauit hoc O. Iahnius (Berichte der Säxisch. Gesellschaft, 1853, pp. 145–150) qui duas tabulas exprimendas curauit quibus res manifesto depicta est. Prima (Mus. Pio-Clement. Tab. x. 2) Linum habet in sella sedentem, sublata dextra tamquam discipulum uehementius admoneat. Puer torosus Hercules ex aduerso stans lyram magnam sinistra tenet, dextra ferit. Post hunc astat femina. In altera est barbatus Linus innixus dextro genu, dextra sublata lyram torquens qua se contra Herculem iuuenem tutetur, eundem sinistra protenta implorans. In eum ruens Hercules sinistra iugulum Lini premit, dextra pedem sellae, cuius fracta membra humi iacent, intentat, iam iam occisurus. Circumstant quattuor iuuenes trepidi nec Lino succurrere audentes.

Ceterum in obscuriore loco non inutile erit quaedam de dextra commemorare quae aliis possint esse adiumento. Nam profecto non temere Merkelius Scholiastam audire maluit quam Saluagnii statim adprobare sententiam. Potuit igitur *dextera laesa* esse (1) Eorum qui ut pugnam detrectarent, manum hastae gestatricem (H. F. 268, Tyrt. fr. 11. 25) truncarunt, uelut Aeschines accusauit Demosthenem quod caput concideret ne in bellum iret Ctesiph. 213. Praeter Archilochum Alcaeum Horatium qui parmulas abiecerunt in proelio, etiam Xenoclides poëta ap. Dem. Neaer. 1353 ἀστρατείας conuictus dicitur. Sed nihil de horum dextris traditum est.

(2) Eorum qui ne militarent, dextra mutilabantur. Sic Athenienses *Aeginetis qui classe ualebant pollices* praeciderunt (Cic. Off. iii. 11. 46). Paullo aliter Aelianus V. H. ii. 9 Ἐψηφίσαντο οἱ Ἀθηναῖοι Αἰγινητῶν ἑκάστου τὸν μέγαν ἀποκόψαι τῆς χειρὸς δάκτυλον τῆς δεξιᾶς, ἵνα δόρυ μὲν βαστάζειν μὴ δύνωνται, κώπην δὲ ἐλαύνειν δύνωνται. Sic iidem Athenienses si mari uicissent Aegospotamis destinarunt dextras omnibus abscidere quos uiuos cepissent Xen. Hellen. ii. 1. fin., Plut. Lys. ix.

(3) Pugnantium, ut Cynaegiri, fratris Aeschyli, cum nauem Persicam manu adprehendisset Herod. vi. 114, Val. Max. iii. 2. 22: et C. Acilii siue Atilii qui *nauali ad Massiliam proelio, iniecta in puppim hostium dextra et abscisa memorabile illud apud Graecos Cynaegiri exemplum imitatus transiluit in nauem, umbone obuios agens,* Suet. Caes. 68, cf. Val. Max. iii. 2. 22, Plut. Caes. xvi, Luc. iii. 610. Hunc nisi Suetonius Plutarchus Valerius ad unum omnes militem uocassent, crederem cum eo confusum fuisse quem Cic. ad Att. xiv. 20. 3 *poëtam durissimum,* Licinius ap. Cic. Fin. i. 2. 5 *ferreum scriptorem* dixerunt. Illud certe nemodum probauit, hunc Atilium eundem esse quem Gellius xv. 24, Varro ap. Charis. 215 cum Trabea et Caecilio inter comicos posuerunt.

Ad **607, 608.**

Qua sua †Penthiladen proles est ulta Lycurgum,
Haec maneat teli te quoque plaga noui.

Pro *Penteliden* quod habent plerique codices, G *pentiladen,* Vindob. et

P *pentheliden*, Conradus de Mure *penthidem* exhibet. Sed hoc *penthidem* mira constantia boni respuunt codices, nec potest uerum esse, quamuis in editiones suas Merkelius et post eum Riesius admiserint. Causa erroris ex eo quod Penthea cum Lycurgo solent poëtae coniungere tamquam impios. Diod. iii. 65. 4 Τῶν δὲ κολασθέντων ὑπ' αὐτοῦ φασιν ἐπιφανεστάτους εἶναι Πενθέα μὲν παρὰ τοῖς Ἕλλησι, Μύρρανον δὲ τὸν βασιλέα παρ' Ἰνδοῖς, Λυκοῦργον δὲ παρὰ τοῖς Θραξί. Hor. C. ii. 19. 14 *tectaque Penthei Disiecta non leni ruina Thracis et exitium Lycurgi.* Prop. iv. 17. 23 *Vesanumque noua nequiquam in uite Lycurgum, Pentheos in triplices funera grata greges.* Trist. v. 3. 39 *Ossa bipenniferi sic sint male pressa Lycurgi Impia nec poena Pentheos umbra uacet.* Met. iv. 22 *Penthea tu, uenerande, bipenniferumque Lycurgum Sacrilegos mactas.* Apollod. iii. 5. 1, 2.

Fabulam Lycurgi primus Homerus narrauit Il. vi. 130

Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς κρατερὸς Λυκόοργος
Δὴν ἦν, ὅς ῥα θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἔριζεν.
Ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας
Σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσήιον· αἱ δ' ἅμα πᾶσαι
Θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν, ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου
Θεινόμεναι βουπλῆγι. Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς
Δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα, Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ
Δειδιότα· κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλῇ.
Τῷ μὲν ἔπειτ' ὀδύσαντο θεοὶ ῥεῖα ζώοντες,
Καί μιν τυφλὸν ἔθηκε Κρόνου παῖς· οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν
Ἦν, ἐπεὶ ἀθανάτοισιν ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.

Et apud Homerum quidem Lycurgus propter impietatem caecus fit. Apud Sophoclem Antig. 955 sqq. πετρώδει κατάφρακτος ἐν δεσμῷ saxo inclusus a Baccho perit. Apollodorus in Pangaeo monte equis dilaniatum, Hyginus in Rhodope pantheris obiectum tradit. Idem tamen Hyginus alio loco 242 ipsum se interfecisse dicit. Sed discrepant etiam reliqua. Nam Apollodoro teste iii. 5. 1 Lycurgus postquam insanus factus esset a Baccho, filium suum Dryantem, uitis surculum ratus, securi interfecit, seque ipse mutilauit. Secundum Hyginum 132 *Lycurgus Dryantis filius Liberum de regno fugauit. quem cum negaret deum esse uinumque bibisset et ebrius matrem suam uiolare uoluisset, tunc uites excidere est conatus, quod diceret illud malum medicamentum esse, quod mentes immutaret. qui insania ab Libero obiecta uxorem suam et filium interfecit.* Hunc uidetur secutus Val. Flaccus i. 729 *talem incita longis Porticibus coniunxque fugit natique Lycurgum.* Denique teste Seruio ad Aen. iii. 14 ed. Thilo *dum contempnens Liberum eius amputat uites, crura sua incidit*, quocum faciunt Acron et Porphyrion ad Hor. C. ii. 19. 14. Et Lucanus iii. 431 *In sua credebant redituras membra secures* hanc narrationem respexit ut monuit Schol. Vseneri in loc. *Licurgi uidelicet exemplum timentes quae passus est a Libero.*

Ex his satis bene uersus Ibidis explicabis, si finges Lycurgum cum filium suum tamquam uitem securi necasset, idem *telum* (Luc. i. 576 *saeui contorsit* tela *Lycurgi*) in se conuertisse: nam hac siue morte, siue membrorum amputatione, filii patris in se furorem *ulciscuntur.* Quod dixit telum nouum potuit ambiguam uocem βουπλῆγι respicere, quam alii stimulum, alii securim interpretabantur.

Penteliden quid sit, haereo. Putaram ex *theroleten* * corrumpi potuisse, tamquam Lycurgus Bacchum sub ferae specie tauri leonis pardi pantherae (Ant. Lib. x) adgressus fuerit. Nunc propius ad uerum puto accedere *Pantaliden* uel *Paetaliden* ex Ptol. iii. 11, 12, Steph. Byz. Παιταλία μοῖρα Θρᾴκης. τὸ ἐθνικὸν Παιταλιώτης. Quod si recte

* Hesych. θηρολέτης· κυνηγός. Fulgent. Myth. iii. 2 *contheroletas.*

scripsi, Pantalides siue Paetalides Lycurgus eodem modo dictus uidetur quo *Caspiadae* Val. Fl. vi. 107, *Gangaridae* vi. 67, *Berecyntiades* Ib. 508, ubi alia attuli.

Sed et de Lycurgo altero, Alei filio, Arcade potest uersus explicari. Historia extat ap. Hom. Il. vii. 136–149, Apoll. R. i. 161–171, Paus. viii. 4. 7 *Μετὰ δὲ Ἄλεον τελευτήσαντα Λυκοῦργος ὁ Ἀλέου τὴν βασιλείαν πρεσβεῖα ἔσχε· παρέσχετο δὲ ἐς μνήμην Ἀρηΐθοον ἄνδρα πολεμικὸν δόλῳ καὶ οὐ σὺν τῷ δικαίῳ κτείνας. γενομένων δὲ αὐτῷ παίδων Ἀγκαίου τε καὶ Ἐπόχου, τὸν μὲν νοσήσαντα ἐπιλαμβάνει τὸ χρεών, Ἀγκαῖος δὲ Ἰάσονί τε τοῦ πλοῦ μέτεσχεν ἐς Κόλχους, καὶ ὕστερον ὁμοῦ Μελεάγρῳ τὸ ἐν Καλυδῶνι κατεργαζόμενος θηρίον ἀπέθανεν ὑπὸ τοῦ ὑός. Λυκοῦργος μὲν δὴ πορρωτάτω γήρως ἀφίκετο ἐπιδὼν τοὺς παῖδας ἀμφοτέρους τελευτήσαντας.* Videlicet Lycurgus Areithoum Coryneten per insidias occidit: quod facinus filius ipsius Lycurgi Ancaeus ulciscitur dum aprum Calydonium cum Meleagro adgrediens eius dente confoditur. Penteliden fortasse explicabis ex Hesychiano *Πεντέλεια ὄρος Ἀρκαδίας, ἐξ οὗ Λάδων ὁ ποταμὸς καταφέρεται,* quae eadem omisso *καταφέρεται* habet Photius in Lexico. Eundem locum Plutarchus cum Pheneo bis coniunxit Cleom. xvii, Arat. xxix *Φένεον καὶ Πεντέλειον.*

Ad **615, 616**. Locus Eustathii hic est, 1419. 51 *Ἔστιν εὑρεῖν παρὰ τοῖς παλαιοῖς οἳ καὶ δικαστήριον ἱστοροῦσιν Ἀθήνησιν ἐπώνυμον τῆς Παλλάδος. Ἀριστοφάνης. Ἄκων κτενῶ σε, τέκνον· ὁ δ' ὑπεκρίνατο Ἐπὶ παλλαδίῳ, παρ' ᾧ* (Elsmleius *τἄρ' ὦ*), *πάτερ, δώσεις δίκην. ἐδίκαζον δὲ κατὰ Παυσανίαν* (i. 28) *ἐκεῖ ἀκουσίους φόνους οἱ ἐφέται. Ἀργεῖοι γάρ, φησιν, ἀπὸ Ἰλίου πλέοντες, ἡνίκα πρόσεσχον Φαλήροις, ὑπὸ Ἀθηναίων ἀγνοούμενοι ἀνῃρέθησαν. ὕστερον δὲ Ἀκάμαντος γνωρίσαντος καὶ τοῦ ἱστορουμένου Παλλαδίου εὑρεθέντος κατὰ χρησμὸν αὐτόθι τὸ δικαστήριον ἀπέδειξαν. Κλειτόδημος δέ φησιν Ἀγαμέμνονος σὺν τῷ Παλλαδίῳ προσενεχθέντος ταῖς Ἀθήναις, Δημοφῶντα τὸ Παλλάδιον ἁρπάσαι καὶ πολλοὺς τῶν διωκόντων ἀνελεῖν· τοῦ δὲ Ἀγαμέμνονος δυσχεραίνοντος κρίσιν αὐτοὺς ὑποσχεῖν ἐπὶ πεντήκοντα Ἀθηναίων καὶ τοσούτων Ἀργείων.* Eadem ap. Pollucem viii. 10, Suid. Harpocrat. Etym. M. s. u. *ἐπὶ Παλλαδίῳ.*

Hinc collato loco Pausaniae i. 28 constat in Palladio rapiendo partes modo Acamanti modo Demophoonti adtributas fuisse. Sed et in omni uita eaedem res utriusque communes finguntur. Nam ad Helenam repetendam cum Diomede modo Acamas, modo Demophoon missus traditur; uterque Aethram matrem reposcebat a Troianis: Laodicen ab aliis Acamas, ab aliis Demophoon amasse et ex hac filium Munitum genuisse ferebatur; Phyllida uterque et deperisse et reliquisse. Itaque quod de Acamante potius Ibidis uersus intelligo, propter mortem huius feci, nam de Demophoonte nihil eiusmodi traditum repperi. Credideramque distichon de Demophoontis *leuitate* explicandam esse, nisi uiderentur obstare uerba uertit iter quae uix satis sic expediuntur.

INDEX.

D.

M.

T.